

REVERENDI ADMODVM P.  
F. CYPRIANI MONA-  
chi Cisterciensis Commentaria in  
librum Iob.

LIBER JOB.

CAPVT PRIMVM.



**V**IR Erat in terra Hus, nomine Iob: & erat vir ille simplex, & re-  
ctus, ac timens Deum, & recedens à malo. Natiq̃e sunt ei septē  
filij, & tres filiaē. Et fuit possessio eius septem millia ouium, &  
tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingenta asinae,  
ac familia multa nimis: eratque vir ille magnus inter omnes Orientales. Et  
ibant filij eius, & faciebant conuiuia per domos, vnusquisque in die suo: &  
mittentes vocabant tres sorores suas, vt comederent & biberent cum eis.  
Cumque in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctifi-  
cabat illos: cōsurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos. Dicebat  
enim, Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.  
Sic faciebat Iob, cunctis diebus. Quadam autem die, cum venissent filij Dei,  
vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan, cui dixit Domi-  
nus, vnde venis? Qui respondens ait. Circuiui terram, & perambulauī eā.  
Dixitq; dominus ad eum, Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod  
non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens deum, & rece-  
dens à malo? Cui respondens Satan ait, Nunquid Iob frustra timet deum? nō  
nē tu vallasti eum, ac domum eius, & uniuersamq; substantiam per circuitum:  
operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra? Sed ex-  
tende paululum manum tuam, & tange cuncta quae possidet, nisi in facie be-  
nedixerit tibi.



**U**OTIVS  
operis, ac libri  
huius scopus est,  
mortales instrue-  
re, & erudire de  
rebus ad diuinā  
prouidentia per-

tinentibus, & de sacrosanctae crucis  
sustinentia. Primò, describitur per-  
sona Iob, à sexu, à virtute, & pieta-  
tis studio, à numerosa sobole, à flo-  
renti, optimaq; fortuna, & externa-  
rum rerum incredibili affluentia, à  
dignitate & æstimatione, quam in-  
ter

A

ter

ter cæteros fuerat consecutus: vt lector intelligat, sanctum Iob, & voluntate diuina ad apicem felicitatis humanæ conscendisse, & eiusdem prouidentia à summo felicitatis humanæ fuisse deturbatum: simulq; intelligat, quanta animi elatione tantum ærumnarum pondus vir sanctus tulerit. Proponitur enim vt forma quædam religiosi ac prudentis hominis, qui neque prosperis rebus extollitur, neque aduersis frangitur. Principio, vir appellatur, seu virum nominat Iob, quicumque fuerit huius libri autor, tum, vt sexum subindicet, tum, vt masculam animi virtutem. Hebraicè enim *ישׁא* Isch, hominem significat præcipuum, virtuteq; singulari præditum. Vnde *x. Reg. 16. Iud. 7.* Dauid ait ad Abner, Nunquid non vir tu es? Et Gedeon filius Ioas vir Israël dicitur. Fortasse virum, sanctum Iob nominauit, sexum notando, vt iam inde ab exordio totius operis Christianum admoneret lectorem, de summa animi celsitudine sancti Iob, quam in ferendis aduersis sanctus vir declarauit. Nam est hic sexus ad retundendos aduersæ fortunæ impetus fortior. Describitur à nomine, ac deinde à patria, vt fidem eius rei faciat, veram esse historiam, non confictam ab aliquo, quemadmodum Hebræorum quidam stultè extimarunt, dicentes, *כי איוב לא היה ולא נברא רק למשל.*

Chi Iob lo haiah, velo nibra:raq le maschal. Hoc est, Iob nusquam fuit, sed exempli gratia hic liber fuit cōscriptus. Quorum stultitia, & dementia facile reuincitur. Primò, testimonio Ezechielis. Si fuerint tres viri isti in medio eius, Noè, Daniel, & Iob: ipsi iustitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exer

cituum. Deinde, si exhortandi causa duntaxat hic liber fuisset confictus, cur tanta cura, & prouidentia describitur nomen & patria? nonne stultum fuisset eum, qui nusquam fuisset, à patria describere, & tres eius amicos præcipuos & selectos nominare, Eliphaz Themanitem, Baldad Suhitem, & Sophar Naamathitem? Postremò, maioris fuisset stultitiæ, eius qui nunquam inter viuos egisset, vitæ dies describere, diuitias, & opes, & sobolis numerum, cæteraque id genus. Augustinus, & Ambrosius super epistolam ad Romanos, in ea fuerunt sententia, vt crederent Iob fuisse Iobab, de quo in Genesi: ita vt genus duxerit ab Abraham per Esau. Quorum sententiam apud quosdam probabilem efficit, quòd in quibusdam codicibus, in calce totius operis fertur, Iob in terra habitasse Ausitide, in finibus Idumæ, & Arabiæ, cui erat prius nomen Iobal, filius Zarede filijs Esau. Probabilior quibusdam videtur sententia Hieronymi, qui ex Nachor illum duxisse originem affirmat. Atque hæc fuit vulgata inter Hebræos sententia, quos Hieronymus sequutus est, in Hebraicis quæstionibus super Genesim: quorum sententiam probabilem efficit, quòd prope finem huius operis Eliu Buzites venit cum amicis Iob, vt illum blandioribus consolaretur verbis. Buzites appellatus est, quòd originem duxerit ex Buz, secundo filio Nachor. Fuerunt autem Eliu, & Iob, ex eadem cognatione. Nominum similitudo fortasse decepit Ambrosium. Sed leue esse eorum argumentum satis declarat, quòd frequèter, qui dispari sunt patria, & genere, & simili nonnunquam, & eodem nomine

August.  
Ambros.

Gene. 36.

Hierony.

nomine interdum appellantur. Deinde non est tanta inter duo illa nomina similitudo vt ille putat. Nam in Hebræo alterum incipit ab א, alterum à , in hunc modum אבוב: אבוב Iob, Iobab.

¶ Tertio à patria ipsa describitur. [Erat (inquit) in terra Hus.] Vt patriam commemorando, aperte singularem huius viri virtutem contemplandam proponeret. Nam quis non miretur, eum, qui inter impios ageret, virtutem & constantiam animi semp̄ seruauisse? Nam erupit generosus hic fructus, quemadmodum rosa solet in medijs spinis. Nam in diuersorio, domicilioque malitiæ integram semper animi pietatem seruauit. Hinc in Threnis. Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoq̄; perueniet calix, inebriaberis, atque nudaberis. Laudatur Noë, & iure celebratur sanctus Loth, quod cum inter nefarios, & Dei contemptores vitam ducerent, virtutem tamen animi conseruarent. Hinc Petrus & iustum Loth, oppressum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit: aspectu enim & auditu iustus erat: habitas apud eos qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. Magna profectò laus viri iusti, vt non tantum abesset à crimine, sed & aliorum impietatibus non secus scrutiaretur, ac si grauiori aliquo afficeretur supplicio. Sed & illud ad laudis cumulum accedere mihi videtur, quòd auditu & aspectu iustus appellatur: vt intelligas, hos duos sensus rationi maxime coniunctos, & quasi in arce constitutos totius corporis, incredibiliter fuisse vexatos, & sceleratorum operibus, & verbis frequen-

ter quasi iaculis venenatis, fuisse confossos. Laudi igitur dandum est quòd sanctus Iob bonus inter malos vixerit. Vnde & capite trigesimo ipse inquit: Frater fui draconum, & socius struthionum. Et in Apocal. Pergamensi episcopo dicitur, Scio vbi habitas, vbi sedes est Satanæ: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Eximium profectò præconium, inter scelerum labe versari, & nullas contrahere peccatorum sordes. Agebat sanctus Iob, inter infideles, & eos qui falsis religionibus incumbant: & cum cæteros in flagitiorum barathrum se dare præcipites vidisset, propter summam creatoris Dei ignorantiam, ipse, & Deum colebat, & virtutis splendore, & pulchritudine tantoperè delectabatur, vt diuino testimonio in hunc modum illustretur, Et erat vir ille simplex, & rectus ac timens Deum. Nihil profectò ad cumulum tantarum laudum accedere posset. Omni ergò humana virtute maius est inter sceleratos agere, & illorum studia non imitari: maiorum vestigia non sectari, rarissimum, in his maxime quæ ad religionem attinent. Cham parentis maledictionibus offensus, primus inuenit idolorum cultum, totamq̄; posteritatem in eum pertraxit errorem. Esau, quòd à maiorum cultu discesserit, omnibus notum. [Nomine Iob.] Libenter commemorat Scriptura iustorum nomina, & appellationes, vt in libris Regum, & in libro Geneseos frequenter: Impiorum nomina contra supprimit, & tacet. Primò, nomina iustorum exprimit, vt diuinam prouidentiam erga electos testetur. Secundò, vt illorum nomina scripta esse in cœlis, & æterna esse commonstret.

A 2      Tertio

Tertiò, vt hoc beneficio insigni cæteri animentur ad obseruantiam virtutis. Impiorum etiam nomina aliquando commemorantur. Primò, vt eorum infelices casus ob oculos versemus, timeamusque. Secundò, vt contumelia afficiantur: vt Pharaon, Balaam, Saul, Nabuchodonosor. Tertiò, vt agnoscamus ex eorum nominum infamia, quanto odio Deus prosequatur omne genus flagitij. Iure ergò optimo inter probos viros diuina philosophia de nostro Iob inquit. [Et erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum.] Primò, effectus proponit, deinde causam. Nascitur integritas, & simplicitas animi à timore & cultu Dei. Sed timor, & religio rectis operibus innotescit. Vana est religio illa, & fides, quæ non bonorum operum testimonio se commendat. Est hic ordo cognitionis: fons bonæ vitæ religio: hinc sunt auspicandæ virtutes: Initium enim sapientiæ timor Domini. Simplex primò appellatur, vt illum intelligamus alienum fuisse ab omni fallacia, & artificio simulationis. Est simplex, apud Cicer. vniuersi modi, apertus, solitarius, purus. Vnde solet ille quosdam appellare, viros bonos, & simplices, veritatis amicos. Et in Academicis quæstionibus: ò virum simplicem, qui nos nihil celat. Et alibi: Simplicem, & communem, & consentientem amicum eligi par est. Hebraicè pro simplici legitur **תם** Tham, ac si dicas integer, perfectus, minimè vaser, aut versutus. Contraria ex contrarijs facile intelliguntur: qui sunt simplices, intelliges, si qui sunt versuti & similes cancro, mente concipias. Caliditas, apud viros sapientes, vt apud Ambrosium, cancro perfumi-

lis est: qui contra ostreum, causa voluptatis, fraudibus armatur: vehementer enim delectatur eius carnibus. Sed quia difficilis est venatio, & periculosa, quia testis validioribus esca interior includitur, & mollitiem carnis muris quibusdam natura munivit: vana sunt omnia tentamenta cancri. Et quia aperire ostreum clausum nulla vi potest, & periculosum est, si eius chelas includat, ad argumenta confugit, & insidias fraude molitur. Explorat ergò, si quando ostreum referet claustra testarum, vt libero aëre voluptatem capiat: & tunc clanculo calculum immittens, impedit conclusionem ostrei, & aperta claustra reperiens, tutò inserit chelas, visceraque interna depascitur. Illi ergò dicuntur callidi, & cancro similes, qui in alienæ circumuentionis vsum semper irrepunt, & infirmitatem propriæ virtutis, astu suffulciunt, fratribus dolos nectunt, & aliorum pascuntur ærumnis. Simplicitas insidiari nescit alienis, nec auaritiæ facibus inardescit, nec alienam vquam circumscribit innocentiam. Si iuxta Latinam significationem legas. [Simplex], commendatur ingenium Iob, à puritate, & candore, quasi nihil haberet admixtum, aut duplex, nihil cogitatis, aut verbis, aut actionibus sinuosum haberet, aut flexuosum. Sic accipitur à Paulo cum inquit, altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum. De eadem re Christus: Estote (inquit) simplices sicut columbæ, & prudentes sicut serpentes. Possit & iuxta morem loquendi sanctarum scripturarum accipi, pro recta & sana de Deo opinione. Nam simplex & integer is est, qui ad Deum semper

rota

Pf. 110.  
Ecd. 1.

Cicer.

Amb. lib.  
5. Hexæ-  
meron.

2. Cor. 2.

Matth 10.

tota mentis intentione, festinat. Vnde & pij, & fideles, integri dicuntur apud Hebræos ratione integritatis, & perfectionis Christi, cuius propter veram fidem efficiuntur compotes. Secundo loco [ Rectus ] appellatur. Rectus autem, sanctarum scripturarum more loquendo, is est, qui bene de Deo, ac diuinis rebus sentit & iudicat. Nam curui, modò huc, iam verò illuc incertis & vanis opinionibus vacillant. Tanti verò apud Dei tribunalia hæc virtus habetur, vt egregius vates diuino carmine bonitatem Dei erga rectos homines decantet, & quasi admirabundus dicat.

Quàm bonus Israël Deus his qui recto sunt corde. Salutem etiam, & libertatem pollicetur rectis corde. Loco adducto recti corde dicuntur, qui neque prosperitate impiorum, neque sua ipsorum infelicitate seducti male de Deo sentiunt, sed placet eis quidquid Deus fecerit, sola verbi cœlestis fiducia contenti. Vnde frequens est in litteris arcanis commemoratio de rectitudine cordis, & rectitudine animi. D. Basilius rectos appellat eos, qui animam retinent vtrinque paratam, vt neque in rebus excedant, neque rursus deficiant, sed in medio virtutis consistent. Ad eundem modum obliquos homines appellare posses eos, qui nunc per iactantiam, & arrogantiam elatiori sunt animo, nunc per calamitates & dolores deiectioni, huc atque illuc fluctuât. De quibus inquit Ecclesiasti. Cor ingrediens duas vias, non habebit successus. Quæ sequuntur de timore Dei, complectuntur more sanctarum scripturarum cultum Dei, seu pietatem omnem, & Dei supre-

mam venerationem. Tali reuerentia, seu timore, cum amore coniuncto, sancti patres Deum coluerunt. Vt Genesis trigesimo primo: vbi Iacob Gen. 31. iurauit per timorè patris sui Isaac. Et Moses in Deuteronom. duo illa contingit, timorem Dei, & obseruantiam præceptorum dicens, Vt timeas Dominum Deum tuum, & custodias omnia mandata & præcepta eius: Et, Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruias. Est ergo cultus Dei hic timor, cuius erat sanctus Iob studiosissimus, conuersatio coram Domino recta: cum contra impij suis seruientes libidinibus, Deum contemnant ac negligant. Nascitur autem ab hoc timore, & vera animi pietate sanctorum mentibus iuge illud studium, abstinendi ab omni scelere & flagitio: ob eamque rem statim subieitur. [ Et recedens à malo. ] Hic est enim præcipuus, ac maximus pietatis fructus, vt timor ipse diuinus omnem in nobis peccandi libidinem reprimat. Illorumque est recessus à malo, quos neque mors neque vita, neque Angeli, &c. à charitate Dei possunt separare. Postquã ergò totam beatæ vitæ rationem autor explicuit, & simplicitatem, & rectitudinem, & timorem Dei commemorando: iure ab abstinentiam ab omni scelere subiecit. Nam est quosdam pietas & cultus, quibusdam peccatorum nexis deturpata, & admixta: ob eamque rem non possunt ad eò Numini probari. Multis in locis Scripturarum hoc pietatis genus, quod negligentia ac supinitatis aliquid habet admixtum, improbat: Inquit Iacobus. Qui totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus, & Paulus Modicum

Psal. 72.  
Psal. 7.  
Psal. 72.

Basili. in  
Psal. 7.

Ecclesi. 3.

Roma. 8.

Iacob. 2.

1. Cori. 5.

fermentum totam massam corrumpit.

¶ Quòd tam diligenter huius libri autor, quicumq; sit, singulas sanctissimi viri virtutes descripsit, singulasque pietatis partes, adeò vt illius mentem, naturam & ingenium nobis contemplanda proponeret, artificiosè profectò factum est, magno cum iudicio. Sic enim qui historiam conscribunt, dicturi de certamine palæstræ, solent luctantium membra primò describere: quàm validum, latumq; sit pectus, quàm pleni lacerti tumeant, quàm subter positus venter, nec mole grauet, neque extenuatione debilitet: vt cum prius aptissimos certamini artus, membraque ostenderint, tunc demum ad ictus, & plagas describendas descendant. Erat proposita sancto Iob grauis cum dæmone colluctatio, atque duo fortissimi milites in arenam erant descensuri: sapienter ergò illius beatæ mentis singula describuntur membra, atque illius singulares virtutes, oculis legentium subiiciuntur. Priori loco recensuit quæ erant propria sancti viri, egregias videlicet virtutes animi, quas nulla sibi poterat eripere fortuna: iam secundo loco commemorare incipit, quæ bona fortunæ iurè appellantur, numerosam videlicet sobolem. [Natiq; sunt ei septem filij, & tres filiæ.] Incipit impedimenta proponere quæ hominem à recto, & honesto solent auocare, primò filios deinde opes. Diuina beneficia alijs in perniciem, alijs in laudem & gloriam cedunt. De his dicitur: Ecce, hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris. Beneficiorum vsus maxime spectandus in nobis. Deus dextra porrigit, sed quidam sinistra accipiunt.

Pl. 126.

Qualiter florenti fortuna vsus fuerit Iob, qualiter aduersa, satis superque testatur eius historia. Gemina enim ratio est probandi homines, prosperis videlicet, & aduersis. Diuitias, & paupertatem sapiens timebat. Habuit (inquit) septem filios, & duas filias. Nemo temere, aut imprudenter hæc dicta arbitretur de numerosa sobole. Nā vt illud prætermittamus, quòd inter cætera diuina beneficia proficis illis temporibus patribus collata, primas tenet multitudo filiorum: illud profectò, vt ego iudico, insinuare voluit, quanto videlicet beneficio, fuerit à Deo affectus, cum filios genuit. Nam septem habuit filios, tresq; filias. Itaque fuit numerosior mascula soboles. Nonne accedit hoc ad cumulum prosperitatis sancti Iob? filij & iuare solent parentes, & in administranda œconomia, & re domestica promouenda quoscuq; subire labores: filia, postquam adoleuerit, & anxie, & sollicitè custodiuntur, & nisi matrimonio copulentur, & tradantur viris mature, graui in periculo paterna dignitas & honor semper versatur. Si verò tradantur nuptui, paternam domum exhauriunt, & quæ multis annis, summisque laboribus fuerant congesta, vna die absumentur. Menander. Magna felicitatis pars est filios bona mente præditos procreasse: verum filia laboriosa est patri possessio, & genitori molesta & incommoda. Hermaphroditus verò similiter dixit, Filium quisq; educare potest, tametsi inops fuerit: filia verò ægre, quanuis à diuite, nutritur. Secundo describitur numerosa soboles, vt hinc etiam sanctissimi viri virtus, & animi

Pro. 30

animi constantia notior euadat. Non malè quidam filios & numerosam sobolem, amaram appellabat dulcedinem, & fel melle circumlitum. Nemo enim ignorat filios ac filias fontem esse grauium curarum, qui non finit parentes sine meru & angoribus vitam agere. Solent enim parentes breui vita longas texere curas, longioraque ordini negotia, quæ illos frequenter à cultu virtutis auocant. Quocirca bonus ille atque optimus censerì debeat, cuius pietati nihil obstitit, quòd numerosam habuerit sobolem. Quorum studiù, atque cura non potuit à virtutis cultu & studio diuellere sanctissimum hominem: quòd sanè maximè sit demirandum. Illud enim primò in sancto Job commendatur, quòd cum tot haberet hæredes, nec diuitiarum cupiditate, nec auaritia, nec parcitate nimia, aut virtutem læserit, aut diuina contempserit mandata. [Et fuit possessio eius septem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga bouum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis.] Postquam de liberorum numero, & parte illa felicitatis, quæ cum bonis corporeis maximam habet cognitionem mentio facta est: ad alteram felicitatis partem accedit, quæ bonis fortunæ constat: nihil enim sancto viro deerat ad veram felicitatis rationem, quæ in diuitiarum copia & affluentia posita est. Numerus bouum, & asinorum præscribitur: primò, vt intelligas, & pietatem animi interdum magnum habere momentum ad amplitudinem bonorum temporalium. Secundò, vt nemo ignoret, quæ dolorum fomenta sancto viro parantur tantorum amissione bonorum. Terriò

vt ancipitem esse hanc felicitatem nouerimus, quæ bonis constat externis: veram & solidam in animo consistere, quæ nullis aduersariorum machinis possit conuelli, exemplo Job. Septem millia habebat ouium, quarum poterat velleribus tota familia vestiri, & sustentari carnibus: tum tria millia camelorum: quæ animantia, ad asportanda onera sunt aptissima. Idem dixerim de quingentis asinis. Possedit & quinquaginta iuga bouum: quæ partim ad vecturam, partim ad extrahenda aratra, & proscindendam humum, vlti poterant esse. Hæc dicuntur à Mose, (si is fuit huius libri autor) quòd prudens lector intelligat, quanta fuerit huius viri constantia, & probitas, quem nec tam copiosa diuitiarum possessio, totque virtutis impedimenta potuerunt à vera pietate abducere. Non despiciebat ouium curam, sed rem pecuariam tractabat: non negligebat rem rusticam, neque aliorum animantium (quorum incredibilem habebat copiam) curam respuebat. Curabat sationes, domorum structuras, hortos, & famulorum etiam ingentem habebat multitudinem: assiduus tamen erat circa pietatis cultum. Atque ita rem œconomicam tractabat: & à timore tamen Dei, & vera animi pietate nunquam vel lato discors eunget. Hæc anceps & onerosa felicitas, incredibile est, quantum scelerum ac flagitiorum in animos hominum importare soleat: cum contra videamus euenire, tum his qui in mediocritate, tum his qui in paupertate honestè viuunt. Vt enim augefcente diuitiarum copia, decrescere solet securitas atque tranquillitas: ita etià & pietatis studium solet diminui. Postulat enim amplif-

sima diuitiarum possessio, atq; exi-  
 git totum hominem: nam est res  
 quæ situ difficilis, & custoditu an-  
 xia. Nonne igitur mirandum sit,  
 quod sancti Iob diuitiæ, neq; sparsæ  
 decreuerint, (nam erat pauperû stu-  
 diosus) nec seruatae illum fecerint  
 occupatum, aut custodê vt alios so-  
 lent? Sunt qui diuitias habeant: sunt  
 qui à diuitijs, & opibus habeantur:  
 quos fortasse propheticus sermo no-  
 tat cum inquit. Dormierunt somnû  
 suum, & nihil inuenerunt viri diui-  
 tiarum in manibus suis. Quæ igitur  
 cæteris solent esse compedes, & cor-  
 poris tantum ornamenta, sollicitudi-  
 num atq; formidinum aceruus: san-  
 cto viro vberem semper suppedita-  
 bant materiam exercendæ pietatis.  
 Itaq; tametsi diuitiæ soleant bonis  
 moribus aduersari, (multorû enim  
 corrumpere mores, vt verustissimis  
 monumentis proditum est: nam de  
 Romanorum populo, alijsq; genti-  
 bus legimus, tãdiu claros, & illustres  
 extitisse, iustos, & integros, quãdiu  
 in paupertate vixere: quosdamq;  
 gloriosos fuisse, & sui victores, qui  
 diuites facti, ab opibus victi, atq; pe-  
 fundati fuere) non fuerunt tamen  
 impedimento, quod minus vir sanctif-  
 simus Iob, virtutis fastigium conse-  
 queretur. Iã quod sequitur [Et erat  
 vir ille magnus inter omnes Orien-  
 tales] quidam ad auitam nobilita-  
 tem referendum arbitrantur: quasi  
 de generis nobilitate, & splendore  
 domestico loquatur Moyses: ita vt  
 nihil sancto viro desset ad felicita-  
 tis cumulum: vt magis huius tanti  
 viri casum, aduersamq; fortunam,  
 flebilem & lamentabilem ostendat.  
 Leuius enim aduersa fortune ictus  
 sustinent interdû qui pauperes sem-  
 per & ignobiles, quam qui diuites,  
 & illustres extiterunt: & solet ipsa ge-

neris nobilitas, vt opulentiã & copia  
 diuitiarum, aduersis casibus magna  
 secum afferre detrimenta: tolerabi-  
 liusq; est, atque facilius pauperi &  
 ignobili non acquirere diuitias, quã  
 diuiti & illustri, amittere. Elegan-  
 ter Bion aiebat, magis esse molestû  
 comatis, quam caluis pillos diuelli.  
 Quo fit, vt lætiores semper videamus  
 eos, quos nulla in re fortuna re-  
 spexit, quã quos desseruit: vt hinc  
 liceat sancti Iob virtutem admirari  
 vehementer, quem neq; prospera  
 fortuna, neq; aduersa, vlla in re mu-  
 tare potuerunt: tametsi à felicitatis  
 culmine, & fastigio opum, atq; diui-  
 tiarum, vno temporis momento fue-  
 rit deturbatus. Vel fortasse hæc  
 verba (vt alijs placet) ad diuitiarum  
 copiam & affluentiam sunt referen-  
 da, ac si dicas, Erat vir ille, vt virtu-  
 te primus, ita diuitijs refertissimus  
 super omnes, qui Orientalem plagã  
 inhabitabant. [Et ibant filij eius,  
 & faciebant conuiuium per domos,  
 vnusquisq; in die suo. Et mittentes  
 vocabant tres sorores suas, vt co-  
 mederent & biberent cum eis.]  
 Exposita sancti Iobi felicitate in his  
 quæ ad opes & diuitias, & in his quæ  
 ad claritatem generis pertinent: ag-  
 greditur dicere de prudentia, ac pie-  
 tate, & œconomica gubernatione  
 sancti viri; & conuiujs filiorum, qua  
 si ab effectu, œconomice ratione de-  
 clarat. Nam vt ciuitatis bene insti-  
 tutæ indicium est ciuium charitas,  
 contra verò, discordiæ, schismataq;  
 sic optimi œconomi munus est, mu-  
 tuã semper alere, atq; fouere inter  
 domesticos pacem, & charitatem.  
 Vnde Paulus: Si quis suorum & ma-  
 xime domesticorum curam non ha-  
 bet, fidem negauit, & est infideli de-  
 terior. Qui solent liberis discordia-  
 rum seminaria præbere, vel non ex

Bion.

1. Tim. 5.

æquo



æquo illis prospiciendo, vel alios onerando laboribus, alios blandè domini nutriendo: hi maxime inuidiæ fomenta ministrant: vnde frequenter rixæ, & intestina bella oriuntur, quæ solent cruentissima esse. Ipsa familiæ facies animum & prudentiã patris familias declarat. Iudicabit rudis, & imperitus lector, leuius esse quod de conuiujs enarratur, & indignum, quod Moses in historiam sacram retulisset: sed aberrabit longius ab scopo, qui in eã sententiã perstiterit. Cum ergo conuiuia refert, fraternam charitatem, & amorem inter fratres atq; sorores commendare voluit. Prospiciebat enim suis liberis sanctus Iob multa cura & diligentia, vt fraterna charitas semper inter illos coalesceret, nec hæreditatis, aut amplissimi matrimonij causa, aut dissidia, aut odia inter illos excitarètur. Huc pertinent quæ de conuiujs à sancto Mose proferuntur. Dictum accepimus à M. Cato-

*M. Cato.* ne, commune mensam, amicorum esse parètem, ac procreatricem amicitiarum: & animorum elationi, & tumori deprimendo aptissima esse conuiuia, sanxere nonnulli. Et inter Arist. placita, ac medicorum, illud etiam nominatur, sagax hoc & prouidum animal, quem hominem dicunt, non alia ex re maiores utilitates cõsequi, quã ex honesto recteq; instituto conuiuio. Tolle conuiuantium hilaritatem: iam parte pluri- ma euanuerit amoris fontes, amicitie condimentum, & vitæ solatia quæ inde nascuntur. Communio si quidem vitæ, rectius, honestiusq; statuitur conuiuij finis, quàm poculorum licentior inuitatio. Quod cõ- probasse nominis argumento videtur Latini. Adeo itaq; sapienter Iob filios instruebat, tantaque se cõ-

plectebantur charitate, vt per singulas domos, singulis diebus conuiuia pararent, vt alimonia promiscua, promiscuum facerent mentis bonum, voluntate comparili. Rectè Plutarchus, De amore fraterno: Qui fratrem suum non amat, is neque parentes quidem, qui generatio- nis communis auctores extirere, diligit. Boni, probiq; filij, non solum propter parentes amore mutuo se prosequuntur: sed etiam parètes propter se. Scilurus octoginta filiorum pater, iam vicinus morti, fasciculum ex iaculis porrigens, unicuique confringere iussit. Cum autem omnes defessi nihil proum effecissent, ipse sigillatim extrahens, iacula omnia facile confregit: hoc argumento docens, quod si animo essent concordii, & vnito, fortes essent permanis: sin minus, facile vincerentur ab hostibus. Sotion de fraterna charitate dixit: Qui relictis fratribus alios amicos querit, similis est ei, qui proprium eius negligit, & incultum sinit, alienum verò diligentè excolit. Celebratissimum est illud Menandri.

*Menandri.*  
 Quàm suavis est inter fratres concordies amor. Cuius sententiã, & Euripides multis verbis confirmat. Sed & illud sancti viri prudentiam, & optimam œconomix gubernationem satis declarat, quod septem filij non alias ad conuiuia foeminas adducebant, quàm sorores. Magnam adhibendam esse curam circa conuiuariũ delectum, docet Marcus Varro, & requisendos esse conuiuas gratiosos, musicos, litteratos: alienas verò vxores, aut foeminas ad conuiuia vocare, vbi solent mero & vini largiori hauktu, præcordia incalescere, longè sit periculosum. Et istius

Plutare.

Scilurus.  
Plutar. in  
Apoph.

Sotion.

Menandri

Euripid.

M Varro.  
apud A.  
Gellium.

Rom. 13. modi conuiuia Pau. fortasse dānat, cum nos ab ebrietatibus, & comestationibus, & impudicitijs clara voce dehortatur. Vix cōtingat inter epulas, & lōgiore vini haustus, necessariam mentis seruare pudicitiam, si adsint præsertim fœmiliarum aspectus, atq; colloquia. Septem ergò filij sancti Iob, sanctè, & prudenter à suo parente instituti, non alienas uxores, aut fœminas ad conuiuia vocabant. Illud verò pertinet ad optimam œconomix gubernationem, quòd cuiq; filiorum propriam tribuebat domum non imperitè: (vt aliquis existimabit) sed vt vnusquisq; alterius æmulatione clariorem & splendidiorem domus procurationem redderet: siquidem æquabilis, parq; erat eis curandi diligentia: & factò à maximo natu initio, in vltimum, minimumq; natum desinerent. [Cumq; in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat eos: consurgensq; diluculo offerebat holocausta per singulos.] Hæc pertinent ad explicandam, & prudentem sancti Iob gubernationem, & œconomix pietatis plenā. Mittere enim ad liberos, atq; illos sanctificare, vt Hebræorū doctissimi arbitrantur, nihil aliud sanè erat, quàm per seruos viros prudentes, & auctoritatis spectadæ, eos admonere, ne inter pocula & fœcundiores calices hilarioresefficti, aut aliquo coinquinarentur flagitio, aut à religione & officio declinarent. Sunt qui arbitrentur, mittèdi verbo, vt eos sanctificaret, hæc significare quæ diximus. Periculum enim erat, nè fortasse conuiuiorum lætitia nimis diuturna, Dei immemores illos redderet. [Mittebat, & sanctificabat eos] (iuxta aliorū sententiā) idest, per seruos & ministros

iubebat, adessent sacrificijs pro illis offerendis. Non est insolens litteris arcanis, has sacrificiorum oblationes, sanctificationes vocare, & præparamenta quædam, ad ipsa sacrificia efficienda. Inquit enim Ioannes Euang. Et ascenderunt multi Hierosolymam de regione ante Pascha vt sanctificarent seiplos. Hoc est, præpararet ad paschalia sacra. Iacob etiam cum ascenderet ad habitandum Bethel, conuocata vniuersa domo, hortabatur, vt seiplos sanctificarent, lauarentq; vestimenta. Eandem sanctificationis rationem in Exodo Deus exigebat à populo Israëlitico. Non secus & sanctus Iob, per ministros & seruos, filios hortabatur, vt seiplos sanctificarent, idest, omnibus modis curarent, ne, dum sacrificijs assisteret, quidpiam secum adferrent, quod maiestatis diuinæ oculos potuisset offedere. Erit itaq; liberos sanctificare, (vt paucis rem comprehendamus) à lautioribus epulis, & oblectamentis conuiuiorum, & ab vxoribus abstinere, animiq; ab his rebus sevocare, vt & omnib; modis expediti, ad cōtemplanda diuina sese possent conuertere. Sed & illud animaduertendum est, quanta diligentia, & studio sanctus vir hæc œconomix rationem, pietatis plenam dispensaret. Nam qui diluculo summoq; mane ad hæc pietatis opera efficienda excitaretur, non torpebat, nec se gerebat negligenter circa curam & prospectiōem filiorū. Sciebat, filios domi natos, arbores esse in exhausto studio excolendas, quas patres semper debeant exercere dum viuūt, modò velint virtutis, & pietatis, & honesti fructus ab illis aliquādo decerpere. Non erat enim ab spiritu cœlesti edoctus, matutinū tempus aptissimum esse & orationi

Ioan. 11.

Gen. 35.

Exod. 19.

&amp; sa-

& sacrificijs, & rebus denique diuinis perficiendis. Nam est eo tempore humana mens minus turbata. & viuida, longeq; expeditior adqueuis opera efficienda. Vnde magna prouidentia antiquitus iubebat per

Exod. 31.  
b. 34. 2. Moſem Dominus, populum ad templum, ſiue tabernaculum manè conuenire, & ad fundendas preces, & ad excipiendam doctrinam. Vnde

Eccl. 39. in Eccleſiaſtico: Iuſtus cor ſuum tradit ad vigilandum diluculo. Simi-

Pſalm. 5.  
Pſal. 62. liter & David, Manè aſtabo tibi. Et alibi. Ad te de luce vigilo. Atque hinc factū arbitror, vt propter hunc ſolènem loquendi morem, ſcriptura ſacra, atque Hebræorum gens, hanc vocem Manè, aut Diluculo, vſurparent pro valde tempeſtiuè, & opportune: vt apud Ieremi. Miſi ad vos omnes ſeruos meos prophetas per diè, conſurgens diluculo & mittens: hoc eſt, tempeſtiuè, & opportune admonens. Hoc verò ex primitiue Eccleſiæ inſtituto etiam ſeruatur, quæ antelucanos hymnos Chriſto ſeruatori occinebat, vt Tertullia

Tertullia.  
Plin. Iuni. nus eſt autor, & Plinius iunior etiã affirmat. [ Offerebat holocauſta per ſingulos. ] Nihil poteſt eſſe rectè, aut domi, aut ciuitate conſtitutum, vbi non diuinorum cura interceſſerit: hoc abundè teſtatur pſalmus ille, Niſi Dominus ædificauerit domum. Optima ergo liberorū educatio, à ſummo Deo precibus, & ſacrificijs petenda eſt: preces, quàm cura, ſacrificia, quàm ſolicitudo magis poſſunt. Diuinorum cura, vt rē publicam, ita domum maximè tectur. Filij propter ætatis rationem conuiuia celebrabant: pater quia ſenex, diuinis rebus incūbebat totus. Is qui benè præeſſe cupit, tametiſi quædam ad relaxandos animos ſubditorum interdum cōcedat, ab his

tamen abeſſe debet, & ſeriò diuina curare: hinc grauitatem ſibi conciliare, & alijs prodeſſe poterit. His verbis licet etiam colligere, quàm fuerit animo liberali, & expoſito. Non enim vnum tantum offerebat ſacrificium, ſed iuxta numerum filiorū maſtabat victimas. Nec quodcumque genus ſacrificij offerebat, ſed holocauſta: vt intelligas, neque parcè neque illiberaliter obtuliſſe. Nam erāt holocauſta, ſacrificia quæ igne penitus abſumebantur: non vt in cæteris ſacrificijs, quibus aliquid commodi ad offerentes & ſacerdotes veniret, vt potè adeps, vel pectusculum. Sapienter à D. Gregorio, & Interlineari gloſſemate obſeruatam eſt, quantam in iudicando de alieno animo adhibuerit cautionē ſanctus Iob. Nō temerè de filiorum conſcientia iudicat, nec quidpiam aſſeueranter cogitat: tantum illis vehementer timeri, ne fortasſe aliquo ſcelere inter epulas, & ſolutiora cōuiuia inſicerentur. Sed & illud eſt maiori ratione dignum, ſatisque declarat, quantam adhibuerit ſolicitudinem vir ſanctus circa filiorum curam: qui non de externis actionibus ſolicitus erat, nec liberis timebat, ne fortasſe externo opere aliquid ſceleris & flagitij admiſiſſent. Tanta enim diligentia eos ab ioſis incunabulis circa Dei timorem, & animi pietatem inſtruxerat, vt de opere, aut ſermone filiorum, nihil apud ſe cogitaret: illud tantum timebat, ne fortasſe, vt eſt lubrica humana ræſ, vel cogitatione ipſa ſceleris aliquid admiſiſſent: aut aliqua in peccatum conſenſione, aut ſe fortasſe negligenter gerendo, aut ſine gultu aliquo, & grata recordatione diuina excipiendo beneficia. [ Dicebat enim, Ne forte peccauerint filij mei, & benedix-

Gregori  
Interlin.

dixerint Deo in cordib<sup>9</sup> suis.] Hæc dicuntur per antiphrasim: nam est sensus, ne forte maledixerint. Talis enim mos loquendi apud veteres fuit. Tam inuisæ illis erant blasphemix, vt eas vel proprio vocabulo nominare vehementer pertimescerent. Est ergo benedicere, idem quod maledicere, & ad iracundiam Deum prouocare, siue ingratum erga Deum declarare animum. Quod Chaldæus interpres significare videtur, cum inquit: Ne forte peccauerint filij mei, & non orauerint in nomine Domini in cordibus suis. Sic gentes quædam, morbos à quibus maxime abhorrent, honestis solent appellare nominibus: vt leprosos, tactos paralyti, vel apoplexia, tactos bono dicunt Germani: & laborantes Erysipelate, habentes pulchritudinem. Frequens est hic tropus in scripturis arcanis. Ob eamque rem cum huius loci germanus sensus sit apertissimus, prorsum fuerit stultum in alios sensus trahere locum. Subscribunt huic sententiæ, magnus Gregorius, Origenes super hunc locum, Chrysofost. Lyranus, cæteri que diuinarum scripturarum interpretes, qui in aliquo habentur numero. Iam verò quam perseueranter hæc pietatis opera sanctus Iob exequeretur, satis declarat huius libri autor. Neque vno, aut altero die hæc efficiebat. Sed cunctis diebus.] Inquit, quo argumento satis colligi potest, vitam beatam, & cum pietate coniunctam, & quæ optimis operibus vacat, non fuisse illius iudicio duram, non ferream, aut intractabilem, vt stulti arbitrantur: qui quocumque pietatis opere adeo defatigantur, vt vix possint trahere halitum, aut ad mandatum exequendum animum appli-

care. [Quadam autem die, cum venissent filij Dei vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan. Cui dixit Dominus, Vnde venis?] Quem locum Chaldæus paraphrastes, ita explicat. Et fuit, inquit, dies iudicij magni, & venerunt Angelorum cateruæ vt starent coram Domino. Diem iudicij magni, vt arbitror, appellat Chaldæus paraphrastes, tempus, aut horam, qua diuinæ prouidentix arcanæ rationes ab æterno excogitatæ in sanctum Iob erant explicandæ, & aperiendæ: & iudicium magnum, vt ego arbitror, appellat quæcumque de varia fortuna, & ancipiti sancti viri, toto hoc opere legimus. Nonne magnum iudicium rectè dixeris, & omnino graue, & horrendum maxime, & pertimescendum, quod sanctum hominè ab ipsa felicitatis arce repente deturbauit, & in omne genus miseriæ & postremæ infelicitatis deuoluit? Nonne magnum iudicium sit, & grauis sententia ea quæ in vnum hominem tantam poenarum ac suppliciorum refudit? Rectè igitur fuit dies iudicij magni. An verò appellatione diei optimus fortunæ sancti viri exitus significetur, vt magnus Gregorius voluit, non satis habeo exploratum. Scio sacra eloquia in exordijs narrationum, rerum qualitates exprimere, terminosque causarum, & interdum à positione loci, nonnùmquã ab habitu corporis, & à qualitate aëris, & à ratione temporis, venturas res significare. Populus Israëliticus Dei verba non potuit in monte audire, sed in campestribus locis, ac planis. Legimus Stephanum vidisse Iesum stantem à dextris Dei: pròpterea enim videbat Christum, & paratum, vt sibi opitularetur. Et Genes. 3.

Post

Gregor.  
Origen.  
Chrysofost.  
Lyra.

Gregor.

Deuter. 1.

Acto. 74.

Post explicatum flagitium primorum parentum, dicitur de ambulasse Dominum ad auram post meridiem: vt ab ipsa temporis ratione, quæ gratissima solet esse æstu & calore defatigatis, intelligas, quo consilio accesserit Deus ad primos parentes. Sunt hæc à nobis fusius explicata alibi. In hunc ergo modum D. Gregorius tentationem sancti viri ad felicem victoriam deducendam, ipsa temporis ratione arbitratur exprimi. Scio, viros longè doctissimos hunc locum per fictionem personæ fuisse interpretatos, qualis est illa qua Michæas propheta dixit, se vidisse Dominum in solio sedentem, & omnes exercitus angelorum assidentes ei: dicebatq; Dominus, Quis persuadebit Achab, vt ascendat, & vadat in Ramoth Galaad? Cumq; alius diceret sic, alius autem sic, egressus spiritus quidam dixit, Ego ibo, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum. Non secus in præsentia est fictione personarum, huius loci difficultatem mollire, & complanare nituntur. De qua re ego dubitare non possum vlllo pacto. Scio scripturas arcanas Deo nonnunquam affingere personam, nonnunquam & sanctis Angelis, & nequam etiam spiritibus, quò diuina bonitas nostræ se attemperet ruditati, & infantia. Nam non sustineret alioqui humana mens, nec ferre potuisset tantam rerum sublimitatem & magnitudinem, quæ illius aciem prorsus effugiunt. Cæterum, quanuis per effictionem personæ, aut prosopopœiam plurimum lucis & claritatis huic loco inferatur, non tamen ita explicatur locus, vt nihil difficultatis aut quæstionis reliquum sit. (Nam istiusmodi personarum fictio

nibus, abstrusa diuinæ mentis iudicia, & sublimiores theologix rationes, cœlestem spiritum explicare voluisse, non dubito.) Habet ergò quæstionem primò, quod dicitur, filios Dei venisse & steterisse coram Domino. Nam si locus de sanctis Angelis explicandus est, vnde hi venerunt, vt starent coram Domino? Deinde, quid sit quod dicitur, affuisse inter eos Satan? Nam qui à diuinis conspectibus, & felicitatis consortio fuit deturbatus, quo pacto possit iterum in conspectum tantæ maiestatis admitti? Deinde, cur qui omnia probè tenet Deus, quasi ignorans interrogat? [Vnde venis?] Et iterum. [Nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?] Veniendi verbo, non motum aliquem sanctorum Angelorum, vt arbitrator, sed fortasse, Hebrææ gentis more, & alacritatem quandam, & profusorem lætitiæ, & animum ad rem quampiam efficiendam propensissimum significat. Qua significatione apud Isaiam dicitur: Venite, ascendamus in montem Domini. Quæ voces gentium mutuò sese cohortantium sunt. Nec secus quod superius dicebatur. Ibat filij Iob, & faciebant conuiuia. Et apud Psalmographum: Venite exultemus Domino. Nisi velis, vt iuxta tropum etiam sacris scripturis frequentissimum, Angelos ad diuinum còspectus venire, idem sit, quod feliciter cum Deo versari. Iubet Christus cauendum ab hypocritis & Pharisæis, qui veniunt in vestimentis ouium: hoc est, qui nobiscum versantur induti pietatis ac iustitiæ persona. Qua locutione ait Ioannes. In propria venit. Et iterum. Qui

Gregor.  
lib. 8. Op  
ficio mudi

3. Reg. 22.

Apo. 1. 6.

Isa. 6.

Iob. 1.

Psal. 94.

Match. 7.

Ioan. 1.

1. Ioan. 4.

Qui confiteretur Iesum in carne venisse, &c. hoc est, in carne fuisse versatum, &c. Nisi velis, & hunc sanctorum Angelorum aduentum, ad illorum obsequia, & ministeria referri: perpetuò enim mittuntur, & perpetuò diuinis assistunt vultibus. Nam exeunt interdum ad exequenda diuina iussa, & imperia, semper tamen assistunt, neque à diuinæ naturæ contemplatione recedunt. *Faciem ergo Parentis supremi, semper intuentur, vt Christus dixit, & ad nos frequenter veniunt, & tamen per internam contemplationem Paternos vultus nunquam deserunt. Ad eandem rem pertinet, quod dicitur. [ Vt assisterent coram Domino. ]* Quo verbo solet diuina Scriptura familiari tropo significare summam perseuerantiam, & in re aliqua multum esse. Sic Elias dicebat: *Vituit Dominus Deus Israel in cuius conspectu sto.* Et *Osee: ex diebus Gabaa peccauit Israël: ibi steterunt, hoc est, in eadem perfidia, & malitia subsistere, actis in altum impietatis radicibus: ita vt dimoueri non sustinerent.* Loquendi formula sumitur ab his, qui assistunt regi, & honesta aliqua in aula regia funguntur prouidentia. In hunc modum inquit *Daniel.* Ait rex *Asphenez* preposito cunuchorum, vt introduceret de filiis Israel, & de semine regio, & tyrannorum, pueros in quibus nulla esset macula qui possent stare in palatio regis. Et infra, *Postea starent in conspectu regis.* Et in *Genes.* Triginta annorum erat *Ioseph*, quando stetit in conspectu regis *Pharaonis.* Sancti itaque angeli Deo assistunt, id est,

perpetuo illi ministrant, & obsequuntur. Nam eo ordine Deus cuncta disponit, vt quæ sunt inferiora, vt, influxu, motu, atque sapientia superiorum gubernentur: vt de rebus sensibilibus, & cum materia coniunctis, & corporibus illis superioribus iudicare summi philosophi. Stare itaque coram Domino, non tantum est felici paterni vultus contemplatione frui, sed & legatione ad homines fungi, & diuina ad nos perferre madata. Qui interdum Angeli dicuntur, cum diuina videlicet sequuntur imperia: nonnunquam verò filij Dei appellantur, propter Paternæ gloriæ participatione, & magnam, imò proximam inter cæteras creaturas cum Deo similitudinem. Si autem ad theologiam contemplationem velis locum trahere, vt veteres quidam theologi: Angeli Deo assistunt gemina ratione: primò, quia diuinam contemplantur naturam, & illam aperta luce cognoscunt: Secundò, quia eorum cogitatus, motus, & actiones Deus habet perspectas. Quo fit, vt si priorem illam rationem standi coram Deo consideres, sancti Angeli duntaxat, & qui filij Dei appellantur assistunt coram Domino: Si verò alteram illam rationem assistendi perpendis: est quidem non tantum sanctis Angelis: verumetiam & spiritibus nequam, imò & nefarijs hominibus communis: quorum cogitatus, consilia, & actiones à Deo perspiciuntur, & ad examen interdum, atque iudicium vocantur. In hunc ergò modum accipiendum est quod dicitur, venisse *Satan*, & stetit coram Domino, quemadmodum & sanctos Angelos, qui filij Dei appellantur. Hoc est quod magnus

Gregorius

Gregor.

Gregorius inquit: Venit Satan vt videretur, non vt videret: ipse in conspectu Domini, non autem Dominus in conspectu eius adfuit: quemadmodum cæcus, qui Solijs radijs perfunditur, cum tamen solem ipse non videat, quo illustratur. Possis etiam notare, quanta Dei prouidentia est erga homines, qui sedet vt bonorum Angelorum, & malorum omnino rationes exacti muneris deposcat, vt rationes subducat. Bonis Angelis committit electorum curam, gubernatione illorum inferiorum, administrationem regnorum. Id patet in Angelis, qui Sodomam fuerunt ingressi, qui Habraham, qui Mosem, qui Eliam, qui Magos seruauerunt. Dæmoni permittit probare electos, tentare quantum sat est, & Deo visum. Illius malitia optime vtitur ad augenda electorum merita. Exigit ergo ab omnibus rationem exacti muneris: Omnes hominum, & Dæmonum, & Angelorum causæ ad tribunal illud referuntur. Nam non mouet gressum Satanas, quin etiam Deus adsit, vt adiuuet electos, vt cõfirmet, vt victores euadere faciat. Vide quantos animos electis faciat scriptura diuina. Quid ergo de cladibus segetum, hominum, & urbium dicendum, quæ frequentissime, nisi Deus cohiberet, Dæmonis opera, & nequitia euenirent? Hæc prouidentia veteratori frenum imponit. Interrogat itaque Satanam, [Vnde venis?] Quasi quid egisset, à diuina voluntate alienum. Nam felices illi spiritus ea tantum exequuntur diligentia & studio incredibili, quæ diuinæ voluntati consentanea esse iudicant. Est enim diuina voluntas veluti regula quædam, ad quam semper quidquid co-

gitant, aut efficiunt, exigunt. Contrà verò spiritus nequam, tametsi diuina prouidentia eorum impijs consilijs, & actionibus rectè vtatur, perpetuò tamen ad expugnanda diuina imperia, & violandas leges rebus omnibus præfixas toto animo nituntur. Quocircà, cum ea quæ per alios facimus, nos ipsi facere videamur, sanctos Angelos non interrogat magnus ille Deus, aut vnde venerint, aut quid fuerint moliti. Neque enim nos quidpiam interrogamus, de eis rebus, quas ipsi facimus. Neque verò Satanam interrogat, quid faciat, aut vbinam sit, sed vnde veniat. Nam Dæmonis actiones, consilia, & studia, à diuina prouidentia, & voluntate interdum proficiscuntur, cum vel exercentur boni, & multis examinantur malorum ponderibus, vel varijs perditis homines afficiuntur supplicijs. Dæmonis tamen consilium, atque ipsa mentis intentio, vnde hæc omnia nascuntur, à diuina voluntate exorbitat semper. Ob eamque rem Satanam interrogat, vnde veniat: vt lector intelligat, illius vias, ac itinera, semper à diuina voluntate aliena esse. Sed non vna tantum ratio loquendi Deo tribuitur in scripturis, sed varia, atque multiplex. Loquimur interdum homines, vt internos animi cogitatus cæteris aperiamus: interdum autem, & ipsa mentis cogitata locutiones in Scripturis dicuntur. Nam apud Lucam Evangelistam, dicebat Phariseus intra se. Et Moses conspecto prodigio ardentis rubi, dicebat intra se. Si ergo de interna loquutione disputemus, Dei loquutio est æterna illa diuinæ proles generatio: atque

Luc. 7.  
Exo. 3.Gene. 19.  
Gene. 18.  
Exod. 14.  
4. reg. 1.

atque diuina loquutio nihil aliud erit, quam æterna filij natiuitas, & exortus à Patre. Cæterum alterum illud loquutionis genus, quo cogitata expruntur, interdum etiam, imò frequentissimè Deo tribuitur. Sed varia est hæc loquendi ratio, patetque latissimè: Nam cum sapienter omnia efficiat magnus ille Deus, ad naturam semper rei cuiuscunque se attemperat, ut eam alloquatur. Homines, quoniam corporatis sensibus ad voces excipiendas vtuntur, alloquitur, vel diuerberato aëre, aut alia subiecta creatura efficto sono: quemadmodum vox in baptismo Christi sonuit, & in transfiguratione: interdum simulachris, ac rerum imaginibus menti impressis, vt prophetas olim alloquebarur: postremò impressione quadam intellectili: atque hac postrema ratione, alloquebatur Satanam, quatenus ea quæ facit à Deo perspiciuntur. Quemadmodum ergo, Deum Satanam alloqui, est illius cogitata mediâ in lucem proferre, non secus & Sarnas Deum alloquitur, cum omnia sua cogitata & consilia diuinæ cognitioni videt esse aperta & manifesta. In hunc ergo modum respondet Satan dicens: [Circuiui terram & perambulauit eam.] Origenes super hunc locum arbitratur Satanam inter cœlestium spirituum ordines sterisse. Quid (inquit) magnum est, si penetrat in corpora, cum in paradysum, vbi sunt angelici ordines, diuino permisso intrarit, & audierit, vnde venis? Et paulò procul quæstionem adfert Origenes. Fortasse quis dicat, Dæmonem magnis fuisse honoribus cumularum, cum ad angelorum ordines accesserit. Respondet: Contuber-

nia, congressus, siue consuetudines neminem aut ignobilem facere, aut gloriosum. Semper enim affectiones cõstitutionesq; animorũ quæredæ sunt, & inde quis vnusquisq; sit iudicandus. Versabatur Noë cum impijs, Loth cū Sodomitis, Helisæus cū Giezi, Iudas cum Christo Seruatore, & Apostolico Senatu: sed quemadmodum superiores illi, nullum contraxere vitium, aut ignominiam ex impiorum consuetudine, ita etiam neque hi postremi. Sed neque parendi studio, inter angelorum ordines præsto fuit Satan, vt idem Origenes inquit, sed fallendi potius studio, vt de rege Acabo, & spiritu mendacij paulò antè diximus. Balaã hariolus Deo ministrabat in benedictionibus, & prædictionibus illis, inuitus tamen id faciebat. Si ergò Satan imperata diuina facit, aut exequitur, non id colendi Deum studio, & honorandi gratia facit, sed vt suæ potius voluntati morem gerat. Idem etiam Origenes arbitratur, Deum Satanam interrogauisse, Vnde venis? non quòd aliqua ignoratione teneretur consiliorum Dæmonis: sed quemadmodum primos parentes, quòd eos ad poenitentiam excitaret, & Cainum, quòd illius scelus argueret, ita & Satanam, vt illius inuidiam in sanctum virum, mediâ in lucem proferret. [Circuiui terram, & perambulauit eam.] Sunt qui appellatione terræ totum orbem intelligendum arbitrentur, quemadmodum frequenter in Scripturis contingit veluti cum dicitur, Laudate Dñm de terra dracones & oēs abyssi: Nā iuxta vniuersalem hanc appellationem, dicitur Deum fecisse cœlum & terram pro toto creaturarũ ambitu, vt docet August. de Genesi ad

litterâ.

Matth. 3.  
Lucæ. 9.  
Matth. 17  
Mar. 9.

Orige.

Gene. 6.  
Gene. 19  
4. Reg.  
Matth. 11

Orige.

Gene. 3.  
Gene. 4

Psal. 14

Augu. d  
Ge. ad li  
lib. 9. c.



litteram. Interdum appellatione terræ, terreni homines per Synecdochen intelliguntur. Vt in Genes. Corrupta est autem terra corâ Deo, id est, adeo peruersè viuēbant homines, vt nullo tenērentur metu, aut religione superioris illius Naturæ. Et apud Itaiam: Cùm surrexerit Dominus percutere tei rā: hoc est, homines terrenis affectionibus, & voluptatibus implicatos. Indigni sanè, qui homines appellētur: sed vt terra sunt, ita & præter terrā sapiūt nihil: quasi non fiat cœlestis vocationis participes. In eum fortasse sensum trahendæ sunt multæ alię eiusmodi locutiones, quæ non tantùm vno scripturarum loco occurrunt: Terram videlicet, coram Domino filere: cum quo idē est illud in Zachar. Sileat omnis caro. Perinde enim est, ac si dicatur, Terrenos homines grauius à Deo correptos ab impietate, & scelerib⁹ abstinuisse, & quasi suis impietatibus posuisse silentium. Igitur, siue hoc, siue illo modo accipiatur locus, hæc Satane responsio hūc pertinet, vt intelligamus diuinę pronidētix omnia esse subiecta, nihilq; oculos illius maiestatis latere posse. [Circuiui (inquit) terram, & perambulauit eam.] Nullis verbis potuit recti⁹ exprimi vel veteratoris illius calliditas, & astutia, vel nocēdi studium. Non enim arrogāter à dæmone hæc dicta sunt, vt Origenes existimauit, sed vt propria studia, atq; cōsilia proferret in lucem. Sic enim & Petrus Apostol. de eiusdem dæmonis ingenio, atq; calliditate loquens ait. Aduersarius vester diabolus, tanquā leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Rectè calliditas ipsa, & astutia per circuitus explicatur. Nam & Latine dicimus, circumuenire quempiā, pro decipere,

vt apud Cicc. Iudicio oppressum, & circumuentū esse innocentem. Et in Officijs, Subuenire alicui, qui potē- Cicero.  
tis alicuius opib⁹ circūueniatur, & vrgeatur. Trahitur elegās hæc similitudo à venatoribus, qui feras laqueis, retibus, & canibus circūuenire solēt, vt eas inuoluāt. Interpres Chaldaicus: Scrutatus sum in terra, & ambulauit per eā. Benè proinde Petrus Apostolus d̄ Satana, & illius studio, Circuit quærens, quem deuoret. Ad eandem rem pertinet, vt quidā iudicant, quod inquit egregius Psaltes: Psal. 112.  
In circuitu impij ambulāt, &c. Hæc penè dæmonis studia à priscis philosophis, & Theologis fuerunt suis litteris explicata. Vnde Plato eos in Platō.  
terdū appellat feras agrestes, Stygios canes, vltiores, carnifices malorū, qui affectibus malis semper delectantur, atq; domicilijs impiorū. Et 2. Cor. 11.  
q̄ Paulus ait: trāsferre sese in Angelos lucis, ex Theologia etiā Ægyptij.  
priorū vetustissima cōprobari pōt. Acgyptij.  
Idem penè apud Mercuriū Trifmegistū. Docet Lactātius dæmones per Mercurij  
terrā vagari adductis ad rē firmādā Lactāt. de  
vetustissimis carminibus, quibus cō falsa religione. c. 7.  
stat vagationē dæmonū per mare, per terras, ad pœnas, & supplicia pertinere, quibus semper diuina potestas eos insectatur.

Δαίμονες, οἱ ποικίλοι περιχθόνα, & περιπόντου

Ακατατοι, δαίμονανται ὑπὸ καὶ μάστιγι θεοῦ.

Id est,

✠ Dæmones errantes per terras & mare semper

✠ Æternas pendunt diuino verbere pœnas.

Eandē dæmonis per terrā vagationē, & circuitus, cecinit suo tempore Empedocles priscus Theolog⁹, autō Plutarcho, dicēs, Demones nequā Plutarcho.

B lcc-

scelerum dare pœnas, totoq; mûdo exagitari, vndiq; repelli, nusquã admitteri.

Emped.

\* Æthereus motus in pontum dei-  
cit illos,

\* Pontus & in terram pellit, sed  
terra remittit

\* Ad solem rapidum: is, vbi fit con-  
uersio cœli,

\* Ex alioq; alius fugat, execrantur  
& omnes.

¶ Nihil diuinius his carminibus Empedoclis. Ecce quod nostrę salu-  
tis autor aiebat: Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentē. Et Ioã-  
nes in Apocalypsi, Non est ampliùs inuentus locus eis in cœlo. Elegãter Plutarchus libro de Non foenerãdo, cum qui foeneratur, assimilat dæmonibus hisce vagis: quemadmodũ illi è cœlo labentes, diuinitusq; exagitati Empedoclis dæmones, vagãtur debitores fugientes conspectum corũ quibus debēt. Et Plutarchus igitur, & Empedocles dæmones dixere vagos, & fugitiuos perpetuò exagitari. Itaq; & calliditatē, & astutiã, & pœnas quas semper dat improbus ille, eleganter exprimunt hæc verba, [Circuui terrã, & perambulauit eã.] Si appellatione terræ, improbos homines intelligere velis, rectē dicitur, [Circuui terrã &c.] Nam tametsi Satã calliditatis & astutię studio tenetur, tũ circa bonos, tũ etiã circa malos: effecta tamē perniciosę illius calliditatis, in hominibus tantũ improbis liceat perspicere. Est enim diuinum hoc animal, quod hominē appellamus, gemina cõpactũ natura, cœlesti videlicet, atq; terrena. Quo fit, vt hæc maxima hominis perditio sit, quòd rebus spiritualibus contemp-  
tis, & illarũ repudiato studio, quarũ causa à Deo fuit cõditus, terrenis sepe rebus sit occupatus & implica-

Lucz. 10.

Apoc. 8. b.

Plutar.

tus. Illi ergo iurè terra appellatur, vt in superiorib<sup>9</sup> diximus, quos Satã & circuit, & perãbulat. In eis enim propria astutię & caliditatis effecta cõplet. Vt enim circuitiones illę astutiam dæmonis prodūt, ita perãbulatio complemētũ processus significat. Quemadmodum cõtra de viris iustis dicitur, quòd Deus in eis perãbulet. Inhabitabo in illis, & inambulabo. Cũ sit autem triplex viuentiũ status: viuunt enim angeli, & felices illę mētes, quæ in cœlo æternis domicilijs, & sedibus potiuntur, & homines in terra viuunt: & dæmones infernas tenent domos: Primũ, illud genus viuentiũ Satanas, neq; circuit, neq; perambulat. Neq; enim sordes aliquas peccati cœlestes illi spiritus contrahere possunt: quemadmodum neq; sublimia illa corpora peregrinas aliquas qualitates, aut alienas suscipere. Eos autē animos, qui æternis cruciantur ignibus, & horrēda illa tenent domicilia, perãbulat Satanas, nō tamē circuit: sunt enim per omnia illius voluntati obnoxij: quo fit, vt ad circunueniēdas infelices illas mentes, nũquam se aliqua armet calliditate. Eos autē qui in terris versantur, & circuit, & circumuenit: nam eos decipere semper nititur: & perambulat etiam, quia in omne genus flagitij frequenter eos præcipitat. Hic etiam obiter notandum, quòd ambulare, & ingredi, & perambulare Metaphoricis idē est quòd viuere, agere, cõuersari. Sic regius vates, Ambulans (inquit) in  
via immaculata hic mihi ministra-  
bat. Et Paulus, Nihil dãnationis est ijs, qui nō secũdũ carnē ambulãt, id est, qui nō viuũt secũdum præcepta carnis. Vnde frequēs est illa locutio, Ambulare corã Deo, (id est) perpetuò agere, & cum Deo versari cer-  
to Dei

2. Cor. 6. d  
Leuit. 26. b

Psal. 100.  
Ad Ro. 8.

to Dei fauore gaudere, & flagranti eius teneri studio. ¶ Dixit autem Dominus ad Satan, [Nunquid cōsiderasti seruū meū meum Iob, &c.] Sapiēter à D. Gregorio diuersitas in geniorum summi Dei, ac serpentis antiqui & veteratoris illius adnotatur. Iustorum opera, consilia, & studia Deus tanti facit, vt ea semper apertis oculis prospiciat, & illorum contemplatione, quasi mirificè oblectetur. Hūc pertinet, quòd apud veteratorem honorificè adeò de sancto viro loquitur. Iusti ergò hominis aduersus dæmonem pietatem celebrat, cū inquit. [Nunquid considerasti &c.] Ingenium dæmonis exprimitur, cum inquit: [Circuui terram & perambulauī eam.] Dei ingenium, cū dicitur: Vide ne in eum extendas manum tuam. Ingenium dæmonis cū dicitur: Nunquid Iob frustra timet Deum? Ingenium Dei, cū dæmonem cohibet, ne in animam hominis sanctissimi veneni lethalis quidpiam transfunderet. Sed & illud ad cumulum honoris, & dignitatis sancti Iob pertinere videtur, quòd cum totam terram Satanā circuuiisse, & perambulauisse diceret: de vno tantum inter tot hominum myriadas Deus Satanam interrogauit, [Nunquid considerasti seruū meū Iob?] Quānis enim diuina prouidentia rebus humanis semper prospiciat, iustorum tamen res, & negotia peculiari semper cura prosequitur, & paternis affectibus, & blandioribus, iustis hominibus fauet: id quod interrogatio ipsa indicat. Hinc etiam discēs, Deum magni æstimare in paucitate viuere, Exēplo simul & testimonio nobis sint quæ diuinæ produnt litterę de Gedeone, de Sampsonē, de Apollolis. Sic diuina virtus magis

innotescit, & prospicitur in paucitate, quā in multitudine. Neq; illud prætermittendum arbitror, quòd inter eos, qui terram incolerent, vnum tantum Iob apud Satanā proposuit, & vnus tantum hominis iusti meminit, quòd dæmonis inuidiā excitaret, & viri iusti cōmemoratione, singulārūq; virtutū odio atq; liuore excruciatet. Neq; enim potuit Satanā, cū iusti viri studia, cōsilia, & actiones à Deo cōmēdatas videret, nō vehementer dolere: præsertim cū ceteris omnibus rebus, & hominibus, quos in terris frequēter ille sua astutia tēteret, sanctū Iob diuino iudicio prælatū videret. Maioris enim pōderis est apud tribunalia diuina vnus Iob, qui pietatē animi, æquitatē, & iustitiam coluit, quā cætera omnia, quæ artifex rerū Deus per id tēpus in terris habuisset: quia plurius facit Deus vnū hominē iustum, quā quidquid hominū, & terrarū reliquū est. Huc pertinet, & post terræ cōmemorationem, quā Satanā circuuiit, & perambulauit, mox de sancto Iobo interrogauit. [Nūquid cōsiderasti seruū meū Iob?] Quasi is vnus esset, qui parum aut nihil cū terra ipsa habuisset cōmerciij, neminēq; in terris haberet sui similē. Id verò aperte significauit, cū excellēti præconio, illius virtutes extulit, dicēs. [Seruū meum.] Est enim homo quasi in meditullio cōstitutus inter cælestia, atq; terrena diuina, & corporea. Nā mente sursum semper mittitur, & contrā corporea mole dēpressus, hæret terrenis, tantoq; magis hæret humi, quò magis à rebus supernis atq; diuinis recedit, & quò ampliùs ad diuina & cælestia erigitur, eò magis à terra discedit, excutitq; quidquid est terrenum, & lutulentum. Quoniam igitur parum, aut nihil, cum terra

commune habuit sanctus Iob, totusque mente diuinis rebus hærebat, dicitur: [ Nunquid considerasti seruum meum Iob? ] Magnum verò inter res terrenas, & lutulentas, & spirituales esse discrimen, & quantum inter sit inter probos, improbosque homines, pios & impios, declarat cum inquit: [ Quòd non sit ei similis in terra. ] Affectiones enim corporeæ, & homines rebus implicati terrenis, imitantur quanuis à longe res, & negotia spiritalia, quibus mens humana Deo coniungitur: ad earum tamen similitudinem peruenire nunquam possunt. Nam deficit amor corporeus, qui est omnium affectionum origo, àb amore Dei, & ad illius similitudinem accedere nunquam potest. Virtus ergò, iustitia, & probitas nihil habet in terris simile: quanuis nihil magis impij cupiant, nihil scelera ipsa vehementius expectant, quam virtutes imitari. Singulas etiam virtutes sancti Iob commemorat dicens, [ Homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo ], vt intelligas, nullam apud Deum esse neglectam. Est Deus veluti iustorum pater, qui filiorum virtutes libenter commemorat, & reficit, vt animi oblectamentum verbis declaret. Quantus est virtutis splendor, cuius vel sola commemoratione Deus delectatur. Hactenus viri Sancti virtutes egregias proprijs depinxit coloribus Deus: iam quantam veteratori inuidiam excitauerint hæc diuina præconia, fuerit operæpretium, videre. [ Respondens Satan ait, Nunquid Iob frustra timet Deum? ] Audita enim commemoratione virtutum, atque ægre ferens magnificam illam commendationem, illius cepit virtutibus detra-

here, simulque commendatum hominem ad probationem deposcere.

Quid mirum est, inquit, si tibi per omnia obtemperet, is, cui per omnia faues, & indulges, & qui copiosum adeò suæ pietatis præmium accepit, vt nunquam aduersam fuerit fortuna expertus? Omnia ex suo animo metitur Satan: nescit, hominem solo amore ductum posse Deo per omnia obsequi. Impius ex propriæ conscientie tabe & sentina iudicat de alijs. Dæmon, quia proprio amore laborat, quia vt seruus exequitur diuina mandata, non animo spontaneo, omnes sibi similes arbitratur: neque facile inducitur, vt credat ob amorem virtutis aliquandiu hominem in officio persistere: Qui ex amore proprio peccauit, & primos parentes hoc ariete pulsauit & deiecit, Eritis sicut dii, eodem etiam telo virum iustum confodere posse credebat.

[ Nonne tu vallasti eum ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum? ] Singula beneficia commemorat, quò tædium excitet impedendi tot: deinde, vt extenuet probitatem Iob: tertio, vt occasionem tentandi inueniat: quarto, vt grauissimo aliquo tentandi genere, iuxta magnitudinem beneficiorum acceptorum, à Deo facultatem accipiat. Tu (inquit) vallasti domum eius, & vniuersam domum eius per circuitum. Tu sepiuisti, & quasi munitio nibus quibusdam domum, familiam, fortunamque omnes protexisti semper. [ Operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra. ] Id est, omnes illius cogitatus & actiones ad optimos semper exitus perduxisti. Omnia illi cedunt ex voto, contingunt omnia alba, & candida, adeò vt diuitijs, & opibus, quarum cupiditate mortales tenentur,

vsque;

vsq; ad miraculum abundet. Ideò  
 adiecit Satan. [ Sed extende paulu-  
 lum manum tuam, & tange cuncta  
 quæ possidet: nisi in faciem benedi-  
 xerit tibi. Habebat ille exploratissi-  
 ma hominum ingenia, mores, consi-  
 lia, qui cæteris omnibus rebus diui-  
 tias, & opes antefendas putarent.  
 Rectè apud Theognidem Plutus  
 diuitiarum deus, maiori est apud  
 mortales æstimatione, quàm cæteri  
 dij: & hanc vnam cupiditatem potif-  
 simùm animos incessere mortaliũ,  
 diuitias vt possideat: quasi aliarum  
 rerum nullus sit vsus. Neque si quis  
 Rhadamanti prudentiam, aut Sily-  
 phi scientiam consequatur, felicem  
 se iudicat, nisi prius diuitijs abũdet.  
 O aurũ (aiebat Euripides,) pulcher-  
 rima inter mortales felicitas: cuius  
 tanto homines tenentur studio, vt  
 neque liberos, parentes tanta com-  
 plectantur charitate, neque filij tan-  
 to erga parentes afficiantur amore.  
 Idem aiebat, diuitias amicos parere,  
 innumerasque voluptates gignere  
 ex se. Menander verò, opibus, atque  
 diuitijs quæcunque inter homines  
 mala censentur, vt ignobilitas, per-  
 uersi mores, cæteraque id genus fa-  
 cile occultari. Philemon vetustissi-  
 mus poëta, eleganter aiebat, nõ esse  
 Amalthææ cornu quale à pictoribus  
 depingitur, bouinum scilicet, sed ar-  
 genteum potiùs. Quod si habueris,  
 petas ab ipso, quidquid voles: omnia  
 tibi addentur, amici, auxiliares, te-  
 stes, ædes permagnificæ, cæteraque  
 alia. Eleganter Timocles, quod neq;  
 Satan ignorare potuit aiebat, Argẽ-  
 tum hominibus sanguinẽ & animã  
 esse: quod qui non haberet, vt mor-  
 tuus inter viuos obambulet. Sa-  
 pientiam, & opes Theognis inter  
 se æquabat: dicebat enim, Mortales,  
 quemadmodum neq; sapientia, ita

neq; opibus vnquã impleri. Meliũ  
 Euripides, qui prætermissa sapiëntia,  
 de opibus aiebat, Maiorem nobilita-  
 tis partẽ in opibus sitam esse, & pau-  
 pertatẽ in profundissimas tenebras  
 homines detrudere: & tandẽ omniũ  
 mortalium de hac re sententiam ele-  
 ganter exprelsit dicens: Infelix, qui  
 nihil habet: fortunati, habentes. So-  
 phocles dicebat, mortaliũ genus hoc  
 potissimũ teneri studio, lucrandi  
 scilicet, & pecunijs, & opibus omnia  
 posthabere. Sunt nonnulli (inquit  
 Sophocles) qui à morbis hominem  
 immunem, felicem putent: ego verò  
 (inquit ille) neminẽ morbo vacare  
 dixerim. Et apud Menandrum Epi-  
 charmus, deos esse dicebat ventos,  
 Solem, Terram, Aquam, Ignem, Stel-  
 las: ego verò (inquit ille) argentũ, &  
 aurum vtiles esse deos iudico. Hos  
 si domũ induxeris, assequeris quod  
 voles, (mihi crede,) agros, domos, ser-  
 uos, vasa cælata, amicos, iudices, te-  
 stes. Largire solũ: sic enim vel ipsos  
 deos habebis ministros. Cernẽs itaq;  
 Satan tantũ apud mortales valere  
 diuitias, addidit. [ Sed extende pau-  
 lulũ manũ tuã, & tange cuncta, quæ  
 possidet, &c. ] Tange, inquit, cũ ex-  
 tensa manu, eripe illi fortunas, & vi-  
 debis quomodo pietate amissa, ad  
 contumelias tuæ maiestatis deuoluũ-  
 tur. Hoc dæmonis est officiũ, & mu-  
 nus, cũ non habet mala quæ accuset,  
 bona quæcũq; in malũ vertere, qua-  
 si non bono animo fiant. Et hac ex  
 parte, vt mihi videtur, dæmonis im-  
 pietas accedit, aut peruenit ad cumu-  
 lũ. Neq; alia in re impij, & nefarij  
 quidã magis Satanæ mores, & inge-  
 niũ referunt, quã cũ aliorũ egregia  
 opera pietatis plena, obscurare nitũ-  
 tur, & de proximorũ animis sinistrẽ  
 iudicat, & in peiorẽ semper partem  
 interpretatur, quæ ab alijs benẽ sũt.

Extende, inquit, manum tuam, & tange cuncta quæ possidet. Hebraismus est, & Metaphorica locutio. Nam abūdāt Hebræa lingua tropis, totaq; figuratis locutionibus contexta est. Sed & ipsa figurata locutio satis declarat veteratoris illius versutiam. Sumitur enim loquendi formula ab his, qui manus habent compressas, aut sinu reconditas, qui tametsi aliqua afficiantur contumelia, aut incommodo, ad eod id patienter sustinent, vt neque manus exerere, neque colaphum velint impingere. Ait ergo Satanas. Tu, qui innumeras gentes à condito orbe tā grauiter afflixisti, qui erecta manu tela tuæ seueritatis, & iustitiæ in homines contorfisti, qui multa exempla tuæ iustitiæ in homines impios deprōpsisti, in vnum Iob omnia contulisti beneficiorum genera, atque extentis manibus, quidquid ille cogitare poterat, & expetere, largitus es: cæterum ad ferendum, ad castigandum, nec manus vnquam habuisti, aut in sinum veluti coniecisti, aut habuisti complicatas: exere igitur manus, & tange cuncta, quæ possidet. Quibus verbis satis colligitur, quanto teneatur studio nocendi, nisi à summo Deo illius impietas coerceretur, & diuina potestate lædendi compesceretur studium. Non postulat, vt ouium multitudo illi eripiatur, aut camelorum turmæ, aut aliqua denique in parte fortunarum diuinam experiatur vltionem: sed illud vehementer cupit, & expetit, vno impetu fortunæ omnia illi eripiatur charissima pignora, etiam soboles ipsa, in quam incumberat spes dilatandæ posteritatis. Habes hoc loco dæmonis ingenium, & studium graphicè depictum. Attende verò, quod sequi

tur. Nisi in faciem, (inquit) benedixerit tibi. Hic locus in varios ab interpretibus trahitur sensus. Sūt, qui arbitrentur germanum huius loci sensum esse: Hactenus omnia ex voto successere huic homini: nihil aduersum vnquam tota vita expertus est: iam nunc extēta manu cum vel tantisper tange, & tunc videbis, agnoscesq; facile, quoniam in facie tibi benedixerit: hoc est, tunc deprehendes, fucatam fuisse illius pietatem, & diuitiarum amore captum, & quod externo tantum cultu benedixerit tibi, non interna animi pietate. Mihi magis probatur, vt in faciem benedicere, idem sit, quod impetere blasphemia aliqua, aut aperta contumelia, vt in superioribus de significatione huius verbi, Benedico. Et quod dixit. [In faciem] per indē est, ac si dicas impudenter, inue recūde, perfricta frōte, ruptis omnibus pudoris repagulis. In hunc sensum, (vt mihi videtur) Chaldeus interpretes locum trahit. Extende (inquit) manū tuam, & noce omnibus quæ possidet: non enim coram te orabit. Quasi dicat, Tunc repudiatis precationibus, tota religione posthabita, repudiabit etiam omnē pietatis rationem, quam præsentī rerū statu simulat. Quod verò dixit: [nisi in faciem benedixerit tibi.] Retinencia est, frequens apud rethores tropus. A Cicerone dicitur obtinentia: eam Celsus, & plerique alij, Interruptionem dixere. Et est pluriūm dictionum subauditio, indignatis, & ira commotis maxime apta: vt apud Terentium, Quæ ego si sensero, supple, accerrimè pugnem, si sensero fallacem. Et Virgilius: Quos ego: sed motos præstat componere fluctus. Hanc figuram frequenter in litteris sacris obser-

Chald. Inter.

Cice. Celsus.

obseruatá legimus. Sic apud regiú  
 Vatem, Semel iuravi in sancto meo,  
 si Dauid mentiar: semen eius in ter-  
 ra manebit. Ergo [Nisi,] hoc loco  
 quasi abiurantis est, & quasi abrup-  
 ti iuramenti, ac si dicat dæmon.  
 Hoc, vel hoc mihi eueniat, nisi in fa-  
 ciem tibi benedixerit: dispeream ni-  
 ita erit. Disce hoc loco, qualis de-  
 beat esse diuitiarum vsus, quàm sit  
 diuinæ voluntati aduersum peruer-  
 sum quorundam studium, qui to-  
 tum Christianæ vitæ cultum, & ani-  
 mi pietatem referunt in exundan-  
 tiam opum, atque diuitiarum. De  
 quibus sanctus Dauid, Confitebitur  
 tibi cum benefeceris ei. Tales  
 sunt homines leuissimi, qui in quam  
 partem domina fortuna inclinarit,  
 facile rapiuntur. Ij etiam in literis  
 arcanis appellantur operarij iniqui-  
 tatis: qui vili mercede, & quæstu  
 arbitrantur metiendam fore animi  
 pietatem, & honorem erga Deum.  
 Qui si in aduersum aliquem incide-  
 rint casum, continuo ad blasphe-  
 mias, & maledicta aduersus Deum  
 congerenda sese conuertunt. ] Dixit  
 ergo Dominus ad Satan, Ecce vni-  
 uersa quæ habet, in manu tua  
 sunt, &c. ] Aduertendum est Deum  
 Opt. M. vehementer cupere, vt ius-  
 torum gloria, & amplitudo, nomē,  
 & claritas omnibus innotescat. Ne-  
 que ea re tantum contentus est, vt  
 egregia opera sanctorum, & actio-  
 nes externæ mortalibus innotescat:  
 sed & illud vehementer cupit, aper-  
 tam veniat in lucem, quo animo vi-  
 delicet pietatis opera fuerint exe-  
 quuti. Ad eam rem efficiendam,  
 Satanæ vitur calliditate, & læuitia,  
 vt qua parte existimabat veterator  
 ille sancti Iob fore detegendam hy-  
 pocrisim, elatior multò, atque illa-  
 strior redderetur illius integritas.

Dixit ergo Dominus ad Satã. Ecce  
 vniuersa quæ habet, in manu tua  
 sunt: tantum in eum ne extendas ma-  
 num tuam. Egressusq; est Satan à fa-  
 cie Domini. Cum autem quadam die  
 filij, & filia eius comederent & bi-  
 berent vinum in domo fratris sui pri-  
 mogeniti, nuntius venit ad Iob, qui  
 diceret, Boves arabant, & asina pa-  
 sciebantur iuxta eos: & irruerunt Sa-  
 bæi, tuleruntque omnia, & pueros  
 percusserunt gladio: & euasi ego solus,  
 vt nuntiarem tibi. Cumq; adhuc ille  
 loqueretur, venit alter, & dixit, Ignis  
 Dei cecidit de caelo, & tactas oues,  
 puerosq; consumpsit: & effugi ego so-  
 lus, vt nuntiarem tibi. Sed & illo ad-  
 huc loquente, venit alius, & dixit,  
 Chaldaei fecerunt tres turmas, & in-  
 uaserunt camelos, & tulerunt eos, nec  
 non & pueros percusserunt gladio: &  
 ego fugi solus, vt nuntiarem tibi.  
 Adhuc loquebatur ille, & ecce alius  
 intravit, & dicit, Filij tuis & filia-  
 bus vescentibus, & bibentibus vinum,  
 in domo fratris sui primogeniti, repen-  
 tē ventus vehemens irruit à regione  
 deserti, & concussit quatuor angulos  
 domus, quæ corruens oppressit liberos  
 tuos, & mortui sunt: & effugi ego  
 solus, vt nuntiarem tibi. Tunc surrexit  
 Iob, & scidit vestimenta sua, & teso  
 capite corruēs in terram adorauit, &  
 dixit. Nudus egressus sum de utero  
 matris meæ, & nudus reuertar illuc.  
 Dominus dedit, Dñs abstulit: sicut  
 Domino placuit, ita factum est: sit  
 nomē Domini benedictū. In omnibus  
 his non peccauit Iob labijs suis, neque  
 stultum quid contra Deū locutus est.

¶ Quidquid Satanas potestatis habet, quidquid malorum, & poenarum effundit in homines, geminam habet causam: & iniquam videlicet eius voluntatem, & iustam Dei providentiam. Adeo enim summus ille Deus, illius potestatem, & nocedi libidinem coercet, ut neque gregem porcorum invadere posset sine illius voluntate, & arbitrio. Nihil ergo mirum, si neque sancto viro fortunas eripere, neque charissimam prolem horrenda morte perimere potuit citra Dei voluntatem & arbitrium. Unde facile perspicitur, inquam semper esse illius voluntatem, tamen si potestas semper sit iusta. Nam quod ille impiè ac nefariè aggredi vehementer cupit, iuxta Dei voluntatem interdum exequitur. Spiritus Domini malus irruebat in Saul. Spiritus Domini dicitur, quia iuxta Dei voluntatem exequabatur: malus verò, quia nocendi studio potius Saulem infestabat, quam exequendi divina imperia. Non ergo vehementer debeat timeri, qui nihil potest, nisi permissus. Cum verò postestatem à Deo accipit exercendi, & probandi hominem iustum, licet profecto intueri summam Dei lenitatem & mansuetudinem. Nam quaedam Satanæ permittit, quæ possunt affligere, & comminuere: in alijs verò, illius cohibet potestatem. Sancti Iob fortunas, & liberos illi permittit: vetat tamen ne in corpus iusti hominis desæuiat: tamen in sequentibus, & corpus affligendum Satanæ sit permissurus: ne fortasse mala omnia, simul impetu facto iustum hominem opprimeret. Cum enim iusti homines à Deo probantur, & examinantur multis malorum ponderibus, ita divino iudicio, & gratia dispensantur, ut quæ

coniuncta, & coaceruata opprimere possent electos, diuisa in partes ut cumq; possint sustineri, & tolerari. Hinc Paulus: Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere. Hinc fortasse, expensa hac summa Dei bonitate, & providentia æquissima, Origenes libro. 3. Peri archôn, quo loco de perpetuorum hominum cum aduersis potestatibus dimicatione disputat, constanter affirmat: nemini à summo Deo propositam collutationem aduersus potestates omnes, & spiritus nequam, sed magno cum delectu diuinam providentiam istiusmodi dimicationes dispensare. Unde locum pertractans ex Epistola ad Ephesios, Eph. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, &c. Putandum, inquit, non est, Ephesios aduersus has omnes potestates decertauisse: impossibile enim factu iudicatur, quempiam hominum, tamen si magna vitæ integritate sit præditus, aduersus potestates omnes decertare posse sine maxima sui subuersione, & periculo. Et ex eplo ex re militari sumpto, Quemadmodum, inquit, si quinquaginta militibus aduersus alios quinquaginta certamen sit propositum, non ita intelligendum est, quasi illorum cuiq; proposita sit aduersus quinquaginta dimicatio, sed singulis propositum certamen aduersus singulos, & omnibus aduersus omnes: ita censeat, nobis propositam dimicationem aduersus potestates aëreas: non cui cumq; homini aduersus omnes, sed singulis militibus Christi propositam elucta-

1. Cor. 10.

Origenes  
lib. 3.  
Peri a. c. 2

Eph. 6.

Lucæ. c. 8.

1. reg. c. 18.



eluctationem cum singulis potestati-  
 bus: Vel certè, prout summo ago-  
 nis præfidi Deo fuerit probatum.  
 Quâuis tamen hæc sententia Orige-  
 nis probabilis fortasse alicui videri  
 poterat, non posse videlicet huma-  
 nam naturam sine magna sui perni-  
 cie aduersum potestates omnes di-  
 micare sine Dei præsidio, atque ea  
 ex parte cõsentanea videatur ratio-  
 ni, cum inquit, Iustum præsidem  
 singulis militibus, singulas etiam po-  
 testates, & nequam spiritus commit-  
 tere, ne videlicet athletarum virtus  
 frangatur. Vnde & sancto Iob aduer-  
 sus Satanam fortissimum dæmonè,  
 & calidissimum, propositâ legimus  
 dimicationem: alia tamen ratione  
 longè diuersa, extollenda est hæc le-  
 nitas animi, & bonitas summi Dei  
 erga electos, & aliter accipiendum  
 quod dicitur, Faciet cum tentatione  
 prouentum, vt positus sustinere.  
 Cùm videlicet illius virtus, in san-  
 ctis hominibus operatur, qui dixit,  
 Confidite, quia ego vici mundum.  
 Hac fiducia Paulus Apostolus fre-  
 tus aiebat, Omnia possum in eo qui  
 me cõfortat. Et iterum, Certus sum,  
 quia neq; mors, neq; vita, neq; ange-  
 li, neq; principatus, neque virtutes,  
 neq; instantia, neq; futura, neq; for-  
 titudo, neq; altitudo, neque profun-  
 dum, neq; creatura alia poterit nos  
 separare à charitate Dei. Eam ob-  
 rem fortasse sancti Iob certamina,  
 diuina prouidentia in partes diui-  
 sit, vt primo etiam congressu Sata-  
 nas pudefactus, & quasi rubore affe-  
 ctus ad Dominum rediret. Futurū  
 vtiq; sciebat, victoriam, atque triū-  
 phos ab aduersario, sanctum virum  
 reportaturum: & tamen diuidere  
 certamina aduersus hostem voluit:  
 vt sanctus Iob eo mirabilius victor  
 existeret, quò hostis ipse maiori con-

filio, & calliditate aduersus sanctum  
 virum bella repararet. [Egressus est  
 Satan à facie Domini.] Egreditur  
 ergo à facie Domini Satanas, qui  
 cum Deo astitisset, potestatem acce-  
 perat nocendi: atque eam potestate  
 cum Deo astaret, accepit: quoniam  
 (vt diximus) hæc potestas iusta est.  
 Cùm autem ad nocendum se priori  
 pit, à facie Domini dicitur exiisse.  
 Neque eo animo sanctum virum ex-  
 ercet, & tot afficit incommodis, quo  
 videlicet sibi à Deo permissum e-  
 rat: sed vt iustum hominem ad im-  
 patientiam prouocaret, vt Deum a-  
 liqua contumelia afficeret. Consi-  
 derandus itaque nobis est primus  
 cum dæmone congressus, qualis vi-  
 delicet fuerit, & quem seruauerit or-  
 dinem. [Cum autem quadam die  
 filij, & filia eius comederent, & bi-  
 berent vinum in domo fratris sui  
 primogeniti, nuntius venit ad Iob,  
 &c.] Illud priori loco obseruandū,  
 initium prioris huius congressus Sa-  
 tanam duxisse à conuiuio filiorum,  
 atque id in domo primogeniti: vt  
 vel ab ipsa temporis ratione maiori  
 sanctum virum afficeret mæstitia,  
 & maiori excruciet dolore. Quis  
 enim non videat die conuiuij, præ-  
 fertim primogeniti, cum nihil fini-  
 strum, nihil aduersum cur sanctus  
 suspicaretur, cum omnia exuberan-  
 ti gaudio, & profusa quadam læti-  
 tia plena essent, maiori admiratio-  
 ne, & timore fuisse percussus, &  
 graui mæstitudine pressus, cū nun-  
 tium audiret infausta atq; tristia de  
 nuntiantem, impetum videlicet la-  
 tronum incidisse, & rapta armenta,  
 captaq; iuga bouum, famulos deniq;  
 cæcos gladio? [Et euasi ego solus,  
 vt nuntiarem tibi.] Non se dicit  
 seruatum ne omnino quæ Iob erāt  
 omnia interirent, sed vt tanti mali  
 B 5 nuntio

1. Cor. 10.  
 Ioan. 16.  
 Phil. 4.  
 Roma. 8.

nuntio eius animum torqueret. [Se-  
cūq; adhuc ille loqueretur, venit al-  
ter, & dixit, Ignis Dei cecidit è cœ-  
lo, & tactas oues, puerosq; consum-  
psit: & effugi ego solus.] Hoc dicit,  
vt Iobum in blasphemiam impelle-  
ret. Cœlum verò commemorat, vt  
non à demone, sed à summo Deo se  
percussum intelligeret. Vide autem  
quomodo singula ita disponit, vt à  
Deo videantur ordinata: quò exci-  
tet Iobi odium aduersus Deum. A  
superiori quidem nūtiatur, insidias  
factas esse incursione: à posteriori  
autem, è cœlo incidisse: vt & conti-  
nuata, & acerba, & dissimilis calami-  
tas, iustum de sententia dimoueret.  
Sed nunquàm inflexa fuit, aut mu-  
tata illius sententia, nihil aduersus  
Deum cogitauit, non fuit illi diuina  
prouidentia suspecta, non conque-  
stus est de administratione rerum,  
neq; Dei iudicia accusauit. At prior  
illa tentatio suspicionem fortasse af-  
ferebat, hominum videlicet fuisse  
iniuriam: posterior autem, quæ igne  
de cœlo cecidisse loquitur, prio-  
rem substulit dubitationem, non ab  
hominibus has clades fuisse profec-  
tas, sed à Deo. [ Sed & illo adhuc  
loquente, venit alius, & dixit, Chal-  
dæi fecerunt tres turmas, & inuase-  
runt camelos, &c. ] Tertius hic, nō  
peditum iam impetum, & incursio-  
nes nuntiat, sed equitum: vt pepe-  
tuis, & continuatis his calamitatum  
denuntiationibus nullum iusto vi-  
ro respirandi tempus daretur. Po-  
stremo loco [ venit nuntius alius, &  
dixit, Filijs tuis, & filiabus vescenti-  
bus, & bibentibus, &c. ] Digna pro-  
fecto conuiuij mentio, quæ calami-  
tatem auget. Ventus irruit, non vt  
solet, non ab Oriente, aut Occiden-  
te, sed à quatuor partibus in domū  
irruit: neq; hominis manu, sed è cœ-

lo tela immissa sunt: comprehendit  
ventus domum, tota corrui structu-  
ra, corripuit liberos in ipsa mensa,  
sanguis cum vino effusus est, & car-  
nes demum protulit in conuiuio,  
quod omni ciborum genere appara-  
tum esset, vinum cruore fuit imbu-  
tum, & cædes potionibus cōmixtæ.  
Vide quale theatrum Satanas obtu-  
lit sancto Iob, & aduerte calliditatē  
eius, magnitudinemq; tentationis.  
Interficiūtur filij, sed ea morte, quæ  
multa secum adfert dolorum semina.  
Intempestiua sunt morte mul-  
ctati: primò, cum conuiuium cele-  
brarent, & non cum alienis, sed cum  
sororibus: deinde, cum nihil indeco-  
rum facerent aut inhonestū: tertio,  
cum frequentibus sacrificijs essent  
expiati: vnde maior sancto viro, &  
acerbitas cruciatus: quemadmodum  
innocentem perire grauissimum iu-  
dicamus. Non ergò omnis calamitas  
propter peccatum, vt vulgus existi-  
mat. Vltimo verò loco callidissimus  
veterator proposuit grauissimum  
omnium malorum, præmissis certo  
ordine, quæ viderentur leuiora. Scie-  
bat enim, quòd si primo loco caput  
malorum statim proposuisset, vel  
nihil, vel parum admodum doloris  
attulissent cætera. Nā acerbissimus  
ex morte filiorum dolor, aliarum  
acerbitatum sensum omnem abstu-  
lisset. Sed & illud aduertendum,  
quòd ad doloris cumulum maxime  
videretur accedere, quòd ait. [ In do-  
mo primogeniti. ] Nā quò Satanas  
magis sanctum virum vrgeret, inter  
epulas ipsas charissimam prolem in-  
teremit. Nam quia sanctus vir suspe-  
ctus semper erat de filiorum integri-  
tate, vehementerq; timebat, ne for-  
tasse inter epulas ipsas facti hilario-  
res diuinas leges violarent, aut ali-  
quo inficeretur scelere, callidè inter  
ipsa

ipsa conuiuia illos oppressit, quò paternus animus magis doleret, atque suspicione illa vehementiùs vrgeretur, ne fortasse filij aliquo flagitio diuinà prouocauissent indignationem. Sed diuina prouidètia, quæ dulciter omnia disponit, ac gubernat, eo fortasse tempore sancti Iob liberos Satanæ permisit interimendos, quando minus erant peccatis obnoxij, vt potè sacrificijs paternis recenter emundati, atque in conuiuijs non longiùs progressi: è quibus fortasse maiora inquinamenta contraxissent, si ad finem vsq; hebdomadæ ea peregissent, & ante expiationem paternâ subito fuissent oppressi. Prospicit magnus ille Deus iustis hominibus per omnia, & diè atq; horam mortis ad illorum salutem vtiliter constituit. Satanæ vero eam ob rem fortasse hunc diem elegit, vt tantò fieret dolor sancti Iob audita filiorum morte, grauior, quantò erat de filijs securior, & nihil suspicans mali. Tunc enim grauius hominem vulnerat dolor, quando minime preuisum, aut patefactum fuit, quò incidit, malum. Aut fortasse diuinam sententiam, aut illius executionem accelerare voluit, ne diuina illa permissio aliquo modo retractaretur. Sciebat utiq; ille Deum Opt. Max. hominum poenitudine, la chrymis, & precibus frequentissime flecti: sciebat commutatas lethales sententias, in viros Niniuitas, in regem Ezechiam, cum iam mors ad caput instaret vitæ vsuras exigens. Ne igitur diuina permissio retractaretur, noluit aliquo modo differre diuinæ sententiæ, & traditæ sibi potestatis executionem. Diuus Chrysostomus in quæstionem vertit, an nuntij, qui aduersos hos casus sancto viro denuntiauerunt dæmones fuissent:

constanterq; affirmat, dæmones fuisse, qui assumpta hominum forma, sanctum virum alloquerentur. Contrariam sententiam iustinet Origenes, qui hos nuntios à dæmone fuisse seruatos affirmat, quò sancti viri dolor, & acerbitas magis excreceret. Arbitratur tamen, dæmonis ore illos fuisse locutos. [ Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit. ] More luguentium id fecit sanctus vir. Obtinuit hæc consuetudo apud veteres, vt rebus aduersis, dolore & mæstiria plenis, vt filiorum morte, aut affinium & cognatorum, & eorum deniq; quos summa complectebantur charitate, tonderet caput, & vestimèta scinderent, vt aperte sanctarum scripturarum autoritate firmare fuerit facile. Vt enim symbolum lætitiæ erat apud priscos illos homines, nutrire comam: sic contra, tondere caput summæ mæstiriæ erat argumentum. Et, vt cultus, & ornatus corporis moderatus symbolum erat lætitiæ: sic etiam scissæ vestes & detrita, mæroris. Sic & tres amici Iob, (vt in sequentibus) cum duram & asperam fortunam amici intuerentur, longo eiulatu prosequentes infelicem eius casum, & vestimenta sciderunt, & puluere aspersere capita. Sanctus patriarcha Iacob, audita filij morte, quem vnice dilexisset, & vestimenta scidit, & cilicium assumpsit. Quod & sanctum Iob fecisse, satis est veritati proximum, ex his, quæ habet capite decimo sexto, Saccum consui super cutem meam, &c. Sic pontifex, cum Christus ad illius tribunalia sisteretur, quasi graui contumelia Deum affecisset, cum ad pontificem dixit, Tu dixisti, &c. vestimenta scidit in argumentum postremi doloris, quasi

Origenes

Iob. 14

Gen. 39

Iob. 16

Matth. 26

ferre

Iona. 3.  
4. Reg. 1.  
2. Para. 32  
Isai. 38.

D. Chryso-  
sto. con-  
sione. 3.  
De patien-  
tia sancti  
Iob.

Augu. libr. 14. de ciui-  
 date. c. 9. ferre non potuisset diuini nominis  
 contumeliam sine summa mentis a-  
 cerbitate. Hinc facile cōuincitur, vt  
 Augustinus habet, nimiū à veritate  
 discedere Stoicorum illam sententiā,  
 cuius fuit princeps, & autor Zeno,  
 Sapientem virum his omnibus affe-  
 ctionibus, quas illi perturbationes  
 appellabant, vacuum esse debere.  
 Rectiūs Peripatetici: qui istiusmodi  
 perturbationes, stimulos, & veluti  
 calcaria naturę appellabant, quibus  
 ad cultum virtutis excitarentur ho-  
 mines. Vide Lactantium. Erat hæc  
 sententia sacris litteris nimium con-  
 sentanea. Vnde vehementer solet  
 diuina Scriptura increpare eos oēs,  
 qui his affectionibus vacui prorsum  
 esse videntur. Paulus ad Romanos,  
 scribens eos vehementer detestatur,  
 qui sunt sine affectione, hoc est, qui  
 nullo sunt affectu in suos, qui neque  
 infortuniis, vel gaudio, vel tristitia  
 tanguntur. Talem ferunt fuisse So-  
 cratem hominem clarum sapientia,  
 eodem semper vultu, neq; hilari ma-  
 gis aut perturbato, vt Plinius in-  
 quit. Sed hunc animi tenorem, qui  
 aliquando exit in rigorem quendā,  
 toruitatēq; naturę duram, & infle-  
 xibilem, omnesq; affectus humanos  
 adimat, vehementer detestatur scri-  
 ptura Sacra. Psalm. 68. optabat pro-  
 pheta hominem aliquem, qui secum  
 tristitia afficeretur: dolebat etiam  
 quod neminem inueniret, qui secum  
 contristaretur: Sustinui, inquit, qui  
 simul contristaretur, & non fuit: &  
 qui consolaretur, & non inueni. Nā  
 omnino non dolere, dum in hac vita  
 versamur (vt Crantor apud Cicero.  
 de indolentia) non sine magna mer-  
 cede contingit, immanitatis in ani-  
 mo, stuporis in corpore. Quocirca  
 illa, quę ἀπάθεια Græcis dicitur, si  
 ita intelligenda est, vt sine his affe-

ctionibus viuatur, quę contra ratio-  
 nem accidunt, mentēq; perturbant,  
 bona planē, & maximē optanda est.  
 Sed neque hæc ipsa est huius vitæ.  
 Nonne priorum hominum, & san-  
 ctorū est illa vox: Si dixerimus quo-  
 niam peccatum non habemus: ipsi  
 nos seducimus? Tunc ergo ἀπάθεια  
 ista erit, quando peccatum in homi-  
 ne nullum erit. Nam si admissio sce-  
 lere aliquo, nulla affectione tange-  
 retur animus, non dolore, nō mæsti-  
 tia: quis nō dicat, hunc stuporē omni-  
 bus esse peiorem vitijs? Si ergo ἀπά-  
 θεια est, vbi nec metus vllus exter-  
 ret, neq; angit dolor, auersanda est  
 in hac vita, si rectē, & secūdm Deū  
 viuere volumus. Scio, Ioannem Euā-  
 gelistam dixisse, timorem nō esse in  
 charitate: nam perfecta charitas, in-  
 quit, foras mittit timorē. Sed nō est  
 timor ille eius generis, de quo Pau-  
 lus Apostolus dicebat, imō hortaba-  
 tur, & illis timebat, ne serpētina se-  
 duceretur astutia: hūc enim timorē  
 habet charitas: sed illius generis ti-  
 mor est, de quo inquit Apostolus,  
 Nō accepistis spiritū seruitutis ite-  
 rū in timore. In his affectionib; diu-  
 dicādis, bonæ sint an malæ, hæc regu-  
 la semper tenēda est: Tūc rectę sunt  
 affectiones, cū rectus est amor, vnde  
 nascūtur illæ. Vnde & sancti homi-  
 nes, & secūdm Deū viuētes, rectē, &  
 citra vitiū aliqd gaudēt, dolēt, atq;  
 metuūt cruciatus æternos. Illū time-  
 re (inquit Christus) qui potest, & ani-  
 mā, & corpus perdere in gehēnā. Cu-  
 piunt æternam vitam: & vt regnū  
 Dei hīc omnibus modis amplifice-  
 tur: dolent cum Paulo in semetipsis,  
 & ingemiscunt expectātes redēptio-  
 nē corporis sui: cum Paulo gaudēt,  
 quia eorum nomina sunt in caelis  
 scripta: metuunt peccare, in peccatis  
 dolent, gaudent in operibus bonis.

Paulus

Roma. 12. Paulus docet gaudendum esse cum gaudentibus, flendum cum flentibus: foris commemorat pugnas, intus timores: dissolui cupiebat, & esse cum Christo: desiderabat Romanos videre: metuebat Corinthijs, ne subducerentur ab ea charitate, quæ est in Christo: continuum dolorem habebat pro Israëlitis, quod Dei iustitiam ignorarent, suam volentes constituere. Luctum præterea suum denuntiat Corinthijs, pro eo quod non egissent penitentiam scelerati quidam ab immunditijs, & fornicationibus. Magister vitæ quamvis nullo infectus esset peccato, has etiã adhibuit affectiones, ubi erant adhibendæ. Fleuit, cum Lazarum excitauit: vehementer cupiebat postremum celebrare pascha: magna fuit affectus mæstitia, cum esset morti vicinus. Neq; verò existimandum est, falsas fuisse istiusmodi affectiones, ubi corpus verum erat. Quid ergo de sancto Iob, cæterisq; viris sanctissimis iudicemus, qui in morte filiorum vehementer dolere, quem admodum in litteris arcanis proditum est? Nemo sit tam stultus qui credat, illos propter hæc lamenta vitio aliquo vel leuissimo fuisse infectos. Lugebant, & tristabantur interdum: sed hæc mæstitia ab integro amore, & recta nascebatur charitate. Quis enim nesciat, diligendos esse liberos, naturã homines ad id instigante, & impellente? Non est existimandum, ea corpora integram habere sanitatem, quæ incisus membris non dolent. Sanctus Iob ipso corporis habitu, & actionibus externis declarauit, has affectiones adhibuiss, aut sensisse potius, quæ tamẽ obtemperarent rationi. Quod enim caput totondit, quod vestimenta scidit, satis, vt arbitror, indicat cordis

dolorem: & se prorsum alienum ab illo stupore mentis, quem isti, qui omnem homini sapienti adimunt affectionem, fingunt. Quod autem adorauit, quod in hæc verba prorupit, [Nudus egressus sum de vtero matris:] Et iterum, [Dominus dedit, Dominus abstulit,] Satis indicat, affectus illos humanos, tristitiam videlicet, & dolorem, mentem, & rationem non dimouisse suis sedibus. Quomodo autem nihil Satanæ succedit ex voto, & quomodo sanctus vir vno verbo retorsit omnia tela inimici, aduerte. Satanæ cum videret illum scindere vestimenta, cum tondere caput, existimabat se vicisse: deinde, cum videret Deum adorantem, nouas molitur technas. Vide etiam vt iustus instar apis argumentosæ ex amarissimo thymo dulcissima cõficat mella. Nam quia semper sequitur tétationem propria cognitio à principio, & fine inquit: [Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.] Egre gia profectò, & tanto viro digna cõsideratio, ad ferenda tela, diuina manu contorta, & ad ferendos impetus inimicæ fortunæ. Nam qui prima naturæ initia, primosq; ad hanc vitam aditus, exitusq; probe cogitarit, fieri non potest, quin magna animi elatione aduersitates omnes, & ærumnas incidentes æquo animo sustineat. Ita sanctus Iob fortunis omnibus amissis, amissa charissima sobole mæstus est, & luget. Sed ipe in tanta tristitia necessariã seruaret animi constantiam, ea tempora inmentem reuocet, quibus aut nihil horum habuit, aut nihil prorsus sit habiturus. Nascitur hæc summa animi constantia & tolerantia in aduersis, non tantum ab istarum rerum contemplatione, verum etiam ab studio

studio quodam, & diligentia, quam solent adhibere sancti viri, vt ipsa securitate animus se ad difficilia præparet, & contra iniurias fortunæ inter beneficia firmetur: vt miles qui in media pace sine hoste decurrit, & vallum iacit, & superuacuo labore lassatur, vt sufficere necessario possit. Itaque aduersam fortunam ipsa re sancti homines non trepidabant, quam ante rem exercebāt. Ita credendum est de sancto Iob, se frequenter inter diuitias, & felicitatem exercuisse, ne imparatum fortuna deprehēderet, ita vt, antequam esset pauper, sciret, quā nō esset graue, pauperem esse. Sic dicebat Seneca ad Lucillum: Interponas aliquot dies, quibus contentus minimo, ac vilissimo cibo, dura atque horrida veste, dicas: hoc est quod timebatur? Hoc argumēto sancti Iobi, homines non prorsum stupidi solent colligere, externa ista bona, nostra non esse, in quæ fortuna ipsa, varijsq; casus tantum habent iuris. Hinc Eccles. Si cut egressus est nudus de utero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo. Et Paulus, Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubiū, quod nec auferre quid possumus. Aduerbiū [Illuc] non est ad vterum matris referendū: nemo enim in ventrem matris regredi possit: sed vt, dum in utero matris versaretur, prorsum erat alienus ab omni humana consuetudine, & cōuictu, & omnibus expoliatus bonis: in eundem etiam reuertatur statū, cum amicis, liberis, fortunisq; omnibus orbarus diē obierit, [ Dominus dedit, Dominus abstulit, &c. ] Aperta diuinæ prouidentiae cōfessio est. Fatetur enim, hæc bona externa gratis à summo Deo donari: ob eamq; rem neminem posse cum illo expo-

stulare, cum aduerso aliquo casu hominibus eripiuntur: deinde, hanc bonorum externorum affluentiam nō esse aut in fortunam, aut casum, aut syderum influxus referendam: postremò, nunquam hæc bona externa, & peritura nobis eripi citra aliquam diuinæ prouidentiae rationem. Et quia hæc omnia à diuina voluntate pendent, adiecit: [ Sicut Domino placuit, ita factum est. ] Est autem amicorum idem velle, & nolle. Quo fit, vt cum diuinæ menti stat sententia, cuiuspiam nostrum eripere fortunas, charissimam prolem, cæteraq; quæ homines mirantur, & amant, ea in re potissimum amicitia erga Deum declaratur, si per omnia nos illius voluntati acommodeamus. Habes ergò tres rationes certo dispositas ordine. Prima, Hæc temporalia bona æterna esse, & aliena: ac proinde neminem propter illorū amissionem debere absorberi tristitia. Altera, à diuina prouidentia hæc bona mortalibus dari atque eripi: ob eamque rem neminem posse cum Deo expostulare. Tertia, quoniam hæc bonorum amissio à consilio, & beneplacito voluntatis diuinæ pendet, amicorum esse, non tantum hæc ferre libenti animo, sed & in gratiarum actiones debere prorumpere. Annotandum est, non dixisse sanctum virum, Dominus dedit, hostis abstulit, quod fortasse dolendum esset, & toto deflendum lacrymarum fonte, sed [ Dominus abstulit, [quod minus dolendum sit. In omnibus his non peccauit Iob, verba sunt Dei: qui quasi epipicium canit, & innocentiam sancti viri celebrat.

CAPUT SECVNDVM.

**F**actum est autem, cū quadam die venissent filij Dei, & starent coram Domino, venisset quoq; Satan inter eos, & staret in conspectu eius, vt diceret Dominus ad Satan, Vnde venis? Qui respondens ait, Circuiui terram, & perambulauī eam. Et dixit Dominus ad Satan: Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam? Tu autem commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustra. Cui respondens Satan, ait, Pelle[m] pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua: alioquin mitte manum tuā, & tange os eius, & carnem, & tunc videbis, quod in faciē benedicat tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan, Ecce, in manu tua est, verum tamen animā illius serua. Egressus igitur Satan à faciē Domini, percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis vsq; ad verticem eius: qui testa sanie[m] radebat, sedens in sterquilinio. Dixit autem illi vxor sua, Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere. Qui ait ad illam, Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? In omnibus his non peccauit Iob labijs suis. Igitur audientes tres amici Iob omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldad Subites, & Sophar Naama

thites. Condixerant enim, vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur. Cumq; eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt, scissiq; vestibus sparserunt puluerem super caput suū in cælum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem.



**S**ERVVM Satā sanctum virū deposcit in pœnam. Nam quia primi congressus nō factis successere feliciter, ad alias conuertitur artes, & machinamenta, & omnem mouet lapidem, vt fortissimum militē dei jceret, atq; prosterneret. Nam quod iterum inter sanctos Angelos, & Dei filios venit, q̄ Deum alloquitur, cæteraq; similia efficit, quæ sunt à nobis superiori tractatione explicata, eò sane pertinent, vt illius ingenium, atq; calliditas fiant apertiora, & vt intelligamus veterem illum serpentem centum voluminibus implicatum simulare interdum, atq; dissimulare, semperq; noui aliquid in nostram machinari perniciem. Versantem verò inter Dei filios primū Deus Satanam alloquitur, quā[m] Satanas ipse quidpiam exponat eorum, quæ ad susceptam legationem pertinerent. Quibus oportet discat animus Dei cupidus, primò, tanti Deum fecisse victorias sancti Iob, & triumphos ab hoste reportatos, vt quasi mortalis homo rei cuiuspiam audiendæ cupidus, aut quasi imperator, qui militis insuperabilem animum, & egregia facinora

facinora vt audiat, vix se continere potest, quæ aut in statione reliquit, aut excubijs agendis præfecit. Primus itaq; Deus interrogat, vt intelligas, nihil magis illi esse animo, quàm videre in terra hominem pro iustitia decertantem, atq; omni in periculo, & grauiori dimicatione profli-gantem hostem. Secundò intelligas, Satanam, quanuis (vt dixi) simulator sit, atq; dissimulator, proprio tamen silentio non posse celare pudorem, & contractam ex dimicatione verecundiam, quòd ab homine infirmitate, & imbecillitate circumdato, primo congressu prostratus fuerit, atq; pessundatus. Nã si penes illum victoria sterisset, & gloria certaminis, præh Deum immortalem, quales, quãtosq; egisset triumphos, & se impudenter ingelsisset, & arroganter Deum alloqueretur, & victorias, & triumphos iactaret, & multũ bellicæ laudis, atq; gloriæ sibi assumeret. Deus autem primus (vt dixi) Satanam alloquitur, atq; iterũ sancti viri virtutes commendat, iustitiam, æquitatem, rectitudinem, &c. vt hac commendatione virtutum, Satanæ reficaret memoriã amissæ victoriæ, atq; illum quodammodo verecundia, & rubore suffunderet. Nam quis non ferat iniquo animo audire, eius virtutes multis præconijs extolli, à quo sit pessundatus, atq; omnino deiectus? Sed & quò magis vrgeret Satanam, & maiorem erga fortissimum virum charitatem, & benevolentiam declararet, aperte quodammodo ostēdit, quàm fuerint irriti Dæmonis ad nocēdum fortis mo viro conatus. Tu (inquit,) quia virtutē militis strenui ex alijs æstimabas, [commouisti me, vt affli-gerem cum frustrã.] Antropopatia hæc est elegantissima, quã Deus

in scripturis frequēter sibi vsurpat. Neq; enim natura illa, quæ summã semper rebus omnibus constãtiam seruat, aut mutari potest, aut cuiuspiam precibus prouocari ad efficiēdum operis quidpiam. Nõ enim est Deus vt homo, neq; vt filius hominis vt mutetur. Destinauerat vtiq; Deus ab æterno, fortissimum probare militem, & multis examinare malorum ponderibus: sed quasi homo esset, qui alterius precibus, & oratione potuisset flecti, inquit: [Tu autẽ commouisti me.] Fortasse & hac commotione, & prouocatione significare voluit cœlestis ille spiritus, cunctantem semper Deum ad corripiendos iustos, & ad inferenda mala procedere: & tale esse Dei ingenium, vt inferendis supplicijs gradu semper procedat testudineo, vt solent homines, qui sunt blando ingenio, atq; tractabili, qui nunquam supplicia inferunt, neq; ad inferenda damna procedunt, nisi ab alijs prouocati. Sed illud videtur habere quæstionem, quòd [frustrã] dicitur Satanam Deum commouisse. Quid enim diuina prouidentia efficere possit, aut statuere, quod irritũ sit, aut inane? Sed quod dicitur [frustrã] à sapientibus viris variè quidem exponitur. Qui sensus varijs ad eandem rem pertinere videntur: quò videlicet, primò, Dei studium erga electos, hominibus innotescat: secundò, vt Satanæ imbecillitatem mortales agnoscant, dum adest præsens animus, & diuinæ gratiæ præsidio adiutus. Si ergo arcanas diuinæ prouidentie rationes attendas, non frustrã strenuum militem Iob tot incommodis affecit, neq; illum frustrã tortori permisit: sed vt illius sustinentia, & constantia animi, cæteræq; virtutes, quæ igne tétationis proban-



probatur, apud mortales innotescerent. Deinde verò, vt si quidpiam, virtutes ipsæ, quibus sancti viri animus erat ornatus, haberent adulterinæ materinæ, tentationis graui incendio absumeretur. Nam vt ignis vasa testacea, sic etiam grauis tentatio probat hominem. Tertiò, & sanctum virum Satanæ permittit probandum, vt graui flagello, & castigatione admonitus, neq; affluentia diuitiarum, & opum in suam abuteretur perniciem, neq; illarum possessione plus nimio oblectaretur. Si verò nequitiam tentatoris, & versutiam attendas: [frustrà] Deum prouocauit, vt sanctum virum torqueret. Nam cum victus atq; pessūdatas ab ipsa dimicatione discesserit: [frustrà,] imò in suum damnum, & perniciem Deum commouisse constat. Habebat enim in animo veterator ille, per incidentia mala sanctum hominem ad impatientiam prouocare, atq; eò sceleris, & flagitij impellere, vt Deum blasphemia aliqua, & graui contumelia afficeret. In eum finem etiam arbitror diuinam prouidentiam sanctum virum veteratoris illius machinamentis exposuisse, vt quod in eo latebat mirabile, opes videlicet virtutum, & cumulus, hominibus in notesceret. Cæterum quod D. Gregor. inquit, sanctum, Iob & frustrà, fuisse percussum, & frustrà non fuisse percussum, duriuscule videtur cum littera cohærere: vt Iob frustrà dicatur percussus, quòd in illius animum nulla fuerit culpa recisa: & non frustrà, cui cumulatum fuerit virtutis meritum. [Cui respondens Satan ait, pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua:] Locus per difficilis est, atq; inter prouerbia sanctarum scripturarum cõnumeratur. Chaldeus

interpres clariùs vertit locum. [Membrum, inquit, pro membro, & quæcumque habet, filius hominis dabit pro vita sua.] Id est, quæ exigua sunt, & viliora, cum necessitas incidit, quòd preciosa quæque, & charissima tueatur, libenter exponit. Veluti gratia exempli: manum obijcit periculo, vt caput tueatur. Per pellem autem hoc loco etiam pecuniæ seu diuitiæ intelligi possunt: quia Iob temporibus non dum erat repertus pecuniæ vltus inter Idumæos: ob eamque rem pellibus pro pecunia utebantur: Dicitur autem phrasi Hebraica, [Pellem pro pelle,] ac si dicas, Omnes pelles: vt, Gratiã pro gratia, apud Ioannem cap. i. pro omnibus gratijs. Detrahit hoc loco versutus ille sancto viro, quasi vltra iustitiæ, & æquitatis leges propriam dilexisset vitam, quam animæ appellatione more sanctarum scripturarum exprimit. Est ille omni philosophiæ genere versatissimus, non ignorat ordinem quandam inter bona ipsa seruari, qui si vlla ratione perturbetur, ipsa perturbatio non possit omni vacare vitio. Scit bona quædam esse extra hominem, vt sunt diuitiæ, potentia, nobilitas, honor, dignitas, gloria, gratia. Diuitias appello, vt metalla, aut per magnificas ædes, aut instructam suppellectilem, & ea denique habere, quæ sunt ad tutelam vitæ necessaria. Gloriam dixerim, bene de virtute audire: honorem verò, venerationem quandam propter virtutem: dignitatem verò, rectam hominum opinionem de virtute magna: potentiam & regnum, habere multos quibus probè, ac rectè consulas. Alia verò sunt bona non extra hominem, sed in

C homine,

Gregor.

homine, viliori tamen hominis parte, corpore videlicet: vt sunt vita, sanitas, firmitas, integritas, robur, cæteraq; id genus. Inter quæ, vt maximis viris placuit, filij sunt commemorandi, quod sint veluti mēbra, & coniunctissimæ partes parentum. Postremò sunt alia, quæ in animo versantur. Constat enim diuinum hoc animal corpore, & animo. Corpus habemus ex terra, & his elementis, que cernimus, ac tangimus: animum verò diuinitus datum, angelis & Deo similem: in quo sunt præstantissima bona, vt pietas, eruditio, virtus, cæteraque similia. Qui ergò boni viri officio defungi velit, oportet horum bonorum ordinem, & seriem minimè confundat, aut perturbet. Nam ex hac perturbatione nascitur animis hominum omne genus flagitij: Totaque veræ sapientiæ ratio est, de his rebus & bonis incorruptè iudicare, vt talem videlicet vnquamq; rem existimemus, qualis ipsa est. Nihil enim est in humana vita exitiabilius, quàm illa iudiciorum deprauatio, qua bonis singulis non suum redditur pretium, nec suus locus. Qui ergò externa bona, siue bona fortunæ, quæ extra hominem sunt, bonis corporeis anteferenda putat, is profectò decipitur vehementer, multaq; ex hoc errore illius animo vitia nascantur necessum est. Nam sunt vita, & sanitas, & corporis firmitas, & integritas, externis bonis anteponendæ. Sunt enim externa bona à natura in eum destinata finem, vt vita corporea, salus, & integritas eis bonis fulciatur, atque sustentetur. Quocirca vita, & salus priori sint habendæ loco, ac deinde cætera, quæ appellantur externa bona, quæ omnia nisi ad virtutem referantur,

& animi cultum & ornatum, mala potius, quam bona appellari debeant. Ea ergo natura mortales conditi sumus, vt nemo sit tam mentis inops, qui non pellem pro pelle, vt inquit Satan, & cuncta deniq; , quæ habet, & possidet externa bona det pro vita sua, cui cætera omnia debeant ancillari, si suo velint officio, defungi. Erant autem sancto viro ereptæ primo congressu facultates omnes, & ea deniq; bona, quæ externa appellamus: Cæterùm cum adhuc illius vita, & salus integræ manerent, quæ cū ceteris collata, essent preciosissima, & charissima, nihil nocuementi, vt dæmoni videbatur, sanctus vir acceperat: quin potius iacturam externorum bonorū æquo ferebat animo, & libenter periculo exponebat, quò vitam tueretur. Arbitratur enim veterator ille, sanctū virū non tulisse tanta animi elatione horrendos illos fortunæ impetus propter summam in Deū pietatem: sed quòd sola vitæ, & salutis integritate, alijs bonis amissis esset contentus. Pellis itaq; primò loco ad bona externa, secundò vero loco, ad bona corporis referatur. Cæterùm, quoniam cum sanctus Iob priori illa dimicatione fortunas simul, & liberos amisit, arbitrantur viri sapientes, voluisse Satanam illius pietati, & benevolentia erga filios detrahere, atque ex aliorum hominum ingenijs, de ea re facere coniecturam. Paucissimos enim inuenias, qui ita defleant, & ægro animo ferant liberorum mala, vt si id postularer necessitas, pro illorum salute libenter mortem oppeterent. Aristoteles de viro forti, & bono, multa amicorum, & reipubl. causa illum agere asseruit: adeò vt si opus fuerit, mortem etiā oppeteret.

Nam

Nam breui tempore summá mal-  
 lect,quám longo leuem percipere vo-  
 luptatem, vnumq; officium præcla-  
 rum,& magnum multis, & paruis  
 anteponeat. Quod ijs profectò acci-  
 dit(inquit Arist.)qui pro amicis,&  
 pro patria mortem non dubitant  
 oppetere. Vt ergò hoc officium est  
 magni boniq; viri, ita etiam est hu-  
 milis,& abiecti, pellem pro pelle da-  
 re,vt propriam tueatur vitam, &  
 membrum pro mēbro(vt ait Chal-  
 dæus interpres)& liberos etiam cha-  
 rissimos morti exponere: quod sine  
 magno dedecore, & sine graui flagi-  
 tio fieri non potest. Et quoniam id  
 frequenter Satanas apud homines  
 deprehenderat,paucissimosq; vide-  
 rat inter mortales ipsos, quos pro-  
 pter animi abiectiōem non tange-  
 ret prouerbiū hoc, de sancto viro  
 vt de ceteris, inquit: [Pellem pro-  
 pelle,& cuncta quæ habet,homo da-  
 bit pro anima sua.] Prouerbio sum-  
 pto ab inueterata inter homines cō-  
 suetudine. Sed hæc,quæ dæmonibus  
 perlongissimum tempus compara-  
 ta experientia est,& maior illa sciē-  
 tia,& rerum cognitio,quàm vt ho-  
 mines consequi possent, frequenter  
 decipit, & in errores innumeros il-  
 los conijcit,vt in sequentibus expli-  
 cabimus. Namq; illi partim à suo  
 ingenio, & nequitia, partim ab hu-  
 mana prauitate metiuntur omnia.  
 Neq; enim perpetuò verum sit, qd si  
 innumeri mortalium hanc, quæ bo-  
 nos viros decet fortitudinem, nun-  
 quàm animo concipiant,vt pro bo-  
 no,& iusto moriātur, & se periculo  
 mortis exponant,atq; propriam vi-  
 tam, & salutem tanta charitate cō-  
 plectantur, vt eos, quos debuissent  
 tueri,summo in discrimine deserāt:  
 hinc statim cōsequens sit, vt hæc bo-  
 ni viri officia, ita apud optimos vi-

ros abeāt in obliuionem, vt pellem  
 pro pelle commutent,atque omnia,  
 quò tantum vitam seruent incolu-  
 mem,effundant,& exponant.Quod  
 vel exemplis scripturarum firmare,  
 facile fuerit. Nam Iosue pro suorū Iosue. 10.  
 salute,& libertate tuenda,frequēter  
 in grauisimum se cōiecit periculū,  
 & vno prælio quinq; reges captos  
 strauit cum populis suis. Iudi. 7.  
 Gedeon cū trecentis viris de ingenti populo, &  
 acerbo hoste egit triumphos: Et Io-  
 nathas cū adhuc esset adolescens,nō  
 tamen dubitauit pro salute populi  
 tuenda in medias hostium acies con-  
 fertissimas se conferre. Nec Eleaza-  
 rus iuxta prouerbiū hoc Satanae 1. Reg. 14.  
 tati propriam vitam, & salutē fecit,  
 vt aliorum vitam, & libertatem, in  
 periculū venire pateretur, & quasi  
 pellem pro pelle daret. Tantā enim  
 virtutem animi declarauit,vt neque  
 mortē timeret: & circūfusus legio-  
 nibus inimicorū, in cōfertissimos ra-  
 peretur hostes, & in medium pene-  
 traret agmen: ac deinde abiecto cly-  
 peo vtraq; manu vulneratæ molem  
 bestię subiret,ac sustineret:cuius rui-  
 na inclusus magis,quàm oppressus;  
 suo est sepultus triumpho. Premisso  
 exordiolo,quo & sancto viro detra-  
 here, & cōmunē mortaliū cōsuetu-  
 dinem explicare voluit,ab eadē ex-  
 presso prouerbio,accedit Satanas ad  
 alterā orationis partē, quæ tota ab-  
 soluitur precatōe, & conclusiōe.  
 In altera satis declarat suam fœu-  
 tiam & atrocitatem, in altera ve-  
 rò improbitatem & malitiam. Ad  
 fœuitiam pertinet, quòd cum san-  
 ctum virum deposcit in pœnam,  
 non eo fuit supplicio contentus,ne-  
 q; eo castigationis genere pectus po-  
 nuit implere,quæ cutem feriret, aut  
 carnē, sed quæ ad ima vsq; descēde-  
 ret ossa, & in abditissimas corporis

partes penetraret. [Tange(inquit) os eius & carnem.] vt vindictæ rux feueritatem sentiant, non tantùm partes corporis molliores, sed & quæ sunt inertissimæ, & quas doloris sensus attingere non potest. Hæc fortasse dicebantur à Satana nō eo tantùm consilio, vt corpus viri iusti, carnem, & ossa horrendo vlcere vulneraret: sed vt sibi copiam faceret magnus ille Deus desequendi in eâ partem, quæ princeps est totius hominis, animam videlicet. Nam in hūc finem tota eius decurrit oratio. In altera verò parte suam nequitiam, improbitatem, & impudentiam ostendit, cùm inquit: [Et tunc videbis, quòd in faciē benedicat tibi.] Quæ verba, quanuis paucissima, satis tamen declarant illius improbitatem, & nequitiam. Nemo mirari debeat, si dæmon, cùm sit & ingenio acri, & contracta longo rerum vsu sapientia, multis in rebus decipiatur. Multa quidem sciūt dæmones, latissimè patet eorum scientia, ad eò vt futura interdum pronuntient: tum propterea quòd sciunt se potestatem accepisse à summo Deo, aut immittendi morbos, aut afficiendi mortales grauiori aliquo incommodo, vel aere vitiano, & morbidum efficiendo, vel aquas pestilentes reddendo: tum etiam quòd ex verbis, & operibus quorundam certi sint, facile se posse illis suadere quæcunq; velint: tum etiam prædicunt, quæ naturalibus signis futura esse prænoscent: quæ in hominum sensus venire non possunt. Nō tamen ob ea, quæ diximus, vel prophetæ, vel diuini sunt habendi. Neq; enim quia medicus præsentit, quæ nō prænoscit eius artis ignarus, statim aut diuinus habendus sit, aut propheta. Vt enim medicus dū perturbatam videt corporis tempe-

raturam, graues ægri tudines, aut morbos prædicat: sic dæmones exploratis elementorū affectionibus, quas habet notissimas, grauem tempestatem, & intemperiem prædicere solent. De rebus autem humanis, quia corporum temperaturas probe tenet, & insitas cuiusq; affectiones, nō quia mente conceptas, sed quia aut voce exprimuntur, aut signis manifestantur, magna facilitate prædicunt. Atq; hinc de varijs humanarum rerum casibus multa prænuntiant. Longè tamen à prophetiæ dono hæc dæmonum præsentio distat. Nam sublime illud vaticinandi, atq; eximium beneficium, vt prophetas non fallit, ita etiam neq; cæteros fallere potest: cùm dæmones frequenter labantur, & errent, cæterorūq; mortales in eisdem errores agant transuersos. Quòd si in præsentendis rebus quibusdam dæmones inueniuntur veraces, id erit præter causas quas adduximus, (vt Augustinus iudicat:) quia interdum diuina quædam audiunt, & excipiunt vt prophete, quòd apud homines ea prædicent, atq; declarēt. Nam si indignum non est (inquit August.) vt per sceleratos homines summus ille Deus futura prædicet, quid mirum est, si dæmonibus indicanda permittit? Sed ea potissimum causa eos impellit in grauissimos errores, ita vt frequenter illorum deprehendatur mendacium, quòd cùm expresso argumento aliquo, vel à communi hominum consuetudine, vel à corporis téperatura, & affectionibus quidpiam pronuntient, quasi certò sit futurū, subito supernè aliquid iubetur à Deo, quòd dæmonū, atq; mortaliū hominū consilia perturbet. Id facit Deus, vel diuina luce aliquid declarando mortalibus, eis potissimum, qui

August.  
lib. de di-  
uinatione  
dæmonū.

qui summis funguntur magistratibus, vel tantum suppeditatio gratiæ atq; virium, quantum neq; ipse dæmon cogitare potuit. Atq; hinc fortasse hic error grauisimus Satanæ mentem occupauit circa virum iustum. Nam credere non potuit, vnius hominis vires tantum ærumnarum pondus, & quasi vno impetu omnium malorum genus in sanctū virū refluxum æquo animo sustinere posse. Sua itaq; machinamenta cū humanis viribus conferebat, atq; cum ea parte iustitiæ, quam sanctus Iob proprijs declarauerat operibus. Quæ omnia, tamen ad ferendam tantā persequutionum procellam non sufficient: repente tamen diuino beneficio vberior gratia, & ampliores vires sancto viro ministratæ plena impietatis consilia fefellerunt. Falluntur etiam sæpissimè Dæmones, cum expensis aut exploratis causis naturalibus, & affectionibus, multa aut iudicant ipsi, aut explicant apud homines, quæ sanctorum Angelorum obsequio & ministerio, quauis futura ita essent, repente mutantur. Docet Augustinus multum inter esse inter scientiā sanctorum Angelorum, atq; dæmonū. Dæmones enim, quia non æternas temporū causas, nec cardinē ipsum, quo sitæ sunt causæ omnes, in quo inuoluuntur, norunt, nec fontem inuentur, vnde emanant, facile decipiuntur. Atq; hinc fit, vt cum de rebus humanis quidpiam prædicunt, vt facit Satanus, decipiantur frequenter. Namq; res omnes, non ex principio suo, sed alienis coniecturis collectæ fallere possunt. Accedit ad hoc, quòd Dei voluntas, quam sancti Angeli inuentur, & potētissima est, & certissima, quia quæcūq; vult potest. Cū enim in diuinæ volun-

tatis potestate situm sit, quidquid vult efficere, efficiet profectò, quidquid volet. Ex quo perspicitur, eos qui voluntatem Dei spectant, certissimam originem intueri rerum omnium, atque inde labi non posse. Dæmones verò, quia primum illum fontem rerum omnium atq; causarum non attingunt, & decipiuntur, & falluntur. [Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce, in manu tua est, verumtamen animam illius serua.] Iam vt illud prætermittamus, quòd diabolus nihil committere potest nisi permissus, (id quod à nobis superiore tractatione explicatum fuit) ad rem declarandam nostra se conuertat oratio, quòd cum sanctum virū Deus nequissimo dæmoni permisisset, magna tamen cura, & prouidentia de animo ipso præcipit dicens: [Verūtamen animam illius serua.] Hunc locum magnus Gregorius ita explicauit, vt de grauiori tentatione cui fortissimi militis animus succumberet, dictum arbitretur. Ne videlicet tam grauem impetū faceret Satanus, vt quemadmodum corpus graui, & horrendo morbo, ita & animum ægritudine aliqua peccati afficeret aliqua ratione. Quæ sententia à quibusdā improbat, quasi huius loco vim afferat. Nā si magnus ille Deus (inquit quidā) sanctū virū diabolo permisisset: quā fieri potest, vt eū dē prohibeat, ne illū superet tentatione, & ne animū illius in peccatū impellat, cū in eā re diabolus sanctū hominē in pœnam poposcerit? Sed facile diluitur hoc argumentum. Neque enim huius libri autor, quisquis ille fuit, seriem rerum gestarū nobis exponit, sed fictione personæ rationes explicat arcanas diuinæ prouidentiae, & dæmonis machinamenta mediam in lucem producit.

C 3 Neq;

August.  
Lib. dec.  
uit 9.

Neq; enim ita locus accipiendus est, quasi Deus ita Satanam fuerit allocutus: Iobi corpus grauiter conficiendum tibi permitto: vide tamen ab illius animo temperes, & abstineas. Vt enim persona Deo affingitur, ita etiam affingitur & Satanæ: sed mysteria Theologica, & altissima, quaedam veluti parabola explicantur. Quod ergo dicitur. [ Ecce in manu tua est, ] Huc sane spectat, diuina permissione id factum esse, vt Satanæ ipse corpus sancti viri tam grauiter inuaderet: atq; hæc diuina locutio, nihil aliud profecto sit, quam permissio. Idem iudicandum sit de altero huius periodi membro. Nam eo spectat diuinum illud imperium, & prohibitio, vt lector intelligat, quanta cura, & prouidentia Deus rebus humanis prospiciat. Quæ cū geminæ sint, bifariamq; diuidantur, nam aliæ ad corpus, aliæ verò ad animum spectant: quauis vtrisque prospiciat: maiori tamen sollicitudine, & diligentia his posterioribus, tanquam dignissimis, & præstantissimis. Neque enim, tametsi vna sit diuina prouidentia, æqua ratione prouidet omnibus: quod & à summis philosophis obseruatum est: Quod vel inde colligi potest: quod primo congressu fortunas tradidit diripiendas, altero verò, corpus: nusquam tamen animum illi permisit: vt hic detur intelligi, diuinam prouidentiam per gradus quosdam crescere, & vberiore esse illam, quæ circa res spirituales versatur. Nam quæ de seruanda temporali militis vita dicuntur, & ab Origene, & ab alijs scripturarum interpretibus, vix mihi probari possunt: quauis & ab ipsa diuinæ prouidentiae explicatione, quam aperiendam suscepit autor, non videantur aliena.

Nota.

Orige.

Maiori enim cura prospicit Deus vitæ, quam salutis: quemadmodum & dulciorem illam mortales existimamus. Sed cū eò decurrat tota hæc effectus personæ ratio, vt peccati victoriam neminem obtinere posse citra Dei præsidium intelligamus, atq; in eam rem Satanæ omnes ingenij neruos intendat, vt sanctum virum in flagitium aliquod impellat: dubitare non possum, quin ea, quæ de vita corporea dicuntur, ad animum sint referenda. Simili argumento euincitur, magis à veritate litteræ, & germano sensu discedere id, quod quibusdam vehementer probatum iri video, nempe in eum sensum dictum à Deo, [ Veruntamen animam illius serua ] Ne videlicet perturbaret in animo iusti viri rationis usum, quo aut impedito, aut perturbato nunquam ex hoste victoriam potuisset assequi sanctus vir. Hunc sensum ex Abbate Sereno, exprimere nituntur. Habet enim in hæc verba. Nonnunquam in illis membris, in quibus vigor animi continetur, immundus spiritus insidens, eisq; importabile pondus imponens, obscuritate teterrima intellectrices obruit facultates, instigans ea quæ non vult, vel quæ ignorat, proloqui: quod nonnumquam vini, febrisq; vitio, alijsq; ægritudinibus extrinsecus superuenientibus videmus accidere. Quod, ne in sanctum Iob diabolus moliretur inferre, præcepto domini prohibetur dicentis, Tantum animam eius custodi, id est, caue ne, vel amentem facias, vel intellectrices obruas facultates, principe illius parte tuo pondere præfocata. Sed hæc Sereni sententia (pace illius dixerim) nimium videtur à veritate discedere. Nam finge principem sancti viri partem Satanæ pondere fuisse præfocata: quam

Collatio-  
ne 7. c. 12.

quam obsecro gloriae partem ex dimicatione, & certamine retulisset? Profectò si, quemadmodum habet quidam qui Sereni Abbatis opinionem tueretur, is videtur animam amittere, qui rationis officium & vsum amisit: stultè profectò atque demerenter Satanàs eò suas vires contulisset, vt cum homine veluti mortuo dimicaret, aut cum Iaruis (vt ait vetus prouerbium) luctaretur: presertim cum omnem nauaret operam, vt sanctus Iob aperta contumelia Deum afficeret. Atqui probè sciebat ille, quoniam perturbata ratione, & mente suis sedibus dimota, tametsi aperta Deum lacefferet contumelia, nunquam tamen sancto viro imputandum fore à summo Deo. Nam quis poterat esse culpæ locus, vbi delectus arbitrij, & rationis vsus deesset? Nam ex his, quæ in superioribus, cum Deus alloqueretur Satanam, interpretati sumus, debuit profectò inflicta à dæmone pœna culpam ipsam præcedere: quam illato supplicio extorquere à iusti mente nitentur. Sed deficiente (vt dixi) rationis vsu, & mente omnino perturbata, quauis sanctus Iob verbum aliquod effunderet temerè, nullas profectò peccati sordes contraxisset. Magni ergò Gregorij sententia, vt in superioribus testatus sum, mihi summo pere probatur. Scio Rab. Salomonem eandem subindicasse sententiã commentarijs in hunc locum, cui Lyranus subscribit. [Egressus igitur Satan à facie Domini percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis vsque ad verticè eius. Magna semper fuit apud viros sapientes de hac egritudine, & morbo sanctum Iob grauiter vexante contentio: ad eò vt varias de hac re sententiã in vnũ col-

ligere, sit penè factu impossibile. Hebræa habet: וַיִּכּוּ אֶת אִיּוֹב בַּשּׁוֹחַן רַעַי Vaiach eth Iob bischchin ra. hoc est, & percussit Iob vlcere malo. De hac re ea mihi tētētia visa est probabilior, quæ afferit, hanc fuisse scabiē quandam, scedissimã, qualis est elephantiasis, & fortassis quam Indicã scabiem, & Gallicum morbum appellant nonnulli. Nam hoc genus egritudinis Hebræa significare videtur. Hęc, autore Galeno, elephantiasis appellatur: quòd durior cutis, crassiorque efficiatur, ita vt corio Elephanti videatur per similes, retro humore cutem ipsam efficiente ferinam. Multa de hac affectione Paulus Aegineta. Eadem etiam à viris doctissimis nuncupatur Elephas. Hęc autem victus ratione, aut aëris intemperie, & grauiori estu frequentissimè generatur: ob eamque rem apud Alexãdriam viget plurimum. In Germania verò, ac Mysia rarèter admodum quemq; ita infici accipimus. Illud ergò ad rem tantum pertinere videtur (ne de re obscurissima, & quæ tã longo iacet vetustatis recessu, disputemus) id genus morbi longè fuisse grauisimũ, quẽ admodum inquit Philippus presbyter in hunc locũ, & enarrans etiã caput decimum sextũ (quo loco inquit Iob: Iob. 16. Cõuulnerauit lumbos meos. effudit in terram viscera mea). In lumbis vulneratis, & effusis in terrã visceribus, hoc intelligẽdũ puro, quòd nõ solũ foris toto corpore cõputruerat, verũ etiã & intrinsecus putredinis sanie liquesceret. Idẽ sanctus Iob capite decimonono: Halitũ meũ exhorruit vxor mea: Ita omnia interiora conuersa in sanie fuerant. Idem Philippus rursus tractans illud capite decimonono: Pelli meæ consumptis caruibus adhæsit os meũ, dicit, sanctum

Galenus?

Aegineta. lib. 4. c. 1.

Philipp. presb.

Iob. 16.

Iob. 19.

Iob. 19.

sanctum virum laborasse Marasmo, hoc est, tabefactione, & resolutione corporis totius. Multa apud Origenem de re ista. Fortasse fuerunt ea ægritudine multæ morborū species couolutæ. Nam cum in corpus viri iusti dæmon acceperit potestatem, credendum est tantum malorum in illum refudisse, quātum ipse potuit: tantusq; fuit dolor, & acerbitas, quātum citra morbum ab homine quopiam sustineri potuit. Peruasit ergo morbus, & carnes, & ossa, & nervos, & omnia deniq; interiora. Nam cum hæc esset pugna nouissima, ex qua diabolo tota pendeat spes victoriæ: dubitare non possum, quin extremum virtutis in strenuum militem diabolus ostenderit. Circa modum verò inferendæ ægritudinis, & afficiendi corpus grauissimis vulneribus, vehementer decipiuntur plei que, existimantes Satanam sanctum virum inuasisse non secus, atq; solēt atrocissimi leones, cæteræq; bestię postremæ immanitatis in obuios omnes, quos & vngulis discerpunt, & dentibus comminuunt, vt alieno satientur cruore. Non ita res habuit. Adhibenda enim prudentia est, & opus est iudicio maturo, ad res difficiles explicandas. Quibusdam fortasse videtur, id Satanam effecisse, & graui vlcere virum sanctum percussisse, sola intenta mentis apprehensione. Nam habet hæc sententia patronos, & eruditos, & graues. Nam proditum est ab his, qui rerum naturas contemplantur, summis philosophis, Auicena maximè, substantias materia seiunctas, sola mentis comprehensione incredibiles posse rebus ipsis corporeis mutationes efficere: posse inquam imbres supernè dei iicere, cæteraq; missilia: & humana corpora grauissimis vexare ægritu-

dinibus. Hanc sententiam argumētis ab ipsa rerum natura expressis firmare nituntur. Nam humanus animus sola vehementi impressione interiori, & intēta rei cuiuspiā imaginatione incredibiles efficit in corpore mutationes. Nam sola grauioris casus apprehensio, cum qui editiori aliquo loco super appensam in aere trabem inambularit, infernè deijcit: qui tamen citra periculum aliquod impositam humo, nimia celeritate percurreret. Adhęc, videmus solis comprehensionibus vehementissimis incallescere humanum corpus, vt in irritatis vehemēti indignatione, & his etiam, qui rei cuiuspiā ardenti tenentur deliderio, interdū horret corpus, & friget sola apprehensione timoris. Quocirca non mirum est (inquiunt) si substantiæ illæ nulla impediri materia, similibus possint affectibus animum hominis perturbare, vnde corpus grauissimis morbis corripitur: præsertim cum videamus, sola interiori apprehensione rei cuiuspiam commoueri humanum corpus vsq; ad ardentissimas febres, & vsq; ad cœdam scabiem: Id quod artis medicæ peritissimis probatum iri videmus. His atq; alijs rationibus superiorē illā sententiam tuentur: euictumq; arbitratur, non tantum substantias illas omnimole vacantes, sed & animos etiam humanis corporibus immersos, dummodo certum puritatis gradū assequantur, paucissimisq; sint affectionibus, & perturbationibus obnoxij, non proprio tantum in corpore, sed & in corporibus alienis, tum hominum, tum cæterorum animantium, incredibiles posse facere mutationes. Hanc etiam statuunt maximā, præcipuamque causam fascinationis: quod vehementiori quadam rei cuiuspiam



cuiuspiam apprehensione animus concitatus odio, & malevolentia inferre potest in alium quempiam nocerem aliquid, in pueros maxime, qui propter corporis teneritudinē magna facilitate istiusmodi excipiunt impressiones. Cū ergo substantiæ illæ, quæ sunt à materia prorsum immunes, his atq; similibus affectionibus efficiendis sint multo potentiores, relinquitur, verā esse hanc sententiam. Verum hæc sententia quorundam, inde fortasse in tam apertos deuenit errores, quod existimarent rerum omniū formas (quas Cicero eleganter species appellauit,) non ab eis seminarijs, quæ in materia delitescunt, sed à separatis substantijs supernè demitti, cōtrā quā sententia Peripatericorum schola, & veritas ipsa habeat. Nam quæ ab illis adducuntur argumenta ad rem firmandam, magna possunt facilitate dilui. Neq; enim sola mentis cogitatio, tametsi intentissima, sine adiūcta aliqua affectione, gaudij, timoris, cupiditatis, similes in corpore humano efficere potest mutationes. Nam cum hæc affectiones citra cordis constrictionem, & dilatationem gigni nō possint, nec humanum cor immutari vlla ratione possit, cum sit totius humanæ vitæ vehiculum, quin totum perturbetur corpus, relinquitur, necessariam esse affectionis cuiuspiā societatem, vt similes mutationes perspiciantur in corpore. Sed neq; illud, quod de fascinatione adducitur, pondus aliquod habere videtur: cū fascinatio, non sola mentis apprehensione, sed & motu & concitatione spirituum, qui semper exeunt per fenestras, quas in humano corpore natura aperuit multas, fiat. Aut si hæc nō satis probantur alicui, sit saltem, vel radijs

quibusdam ab ipsa videndi facultate erumpentibus, atq; in interiectū se fundentibus aëra: qui fortasse vitare, & corrumpere possint intercepta media. Sed neq; illud dicendū arbitror, quod de re proposita quibusdam probatum iri video: Satanam videlicet nouo aliquo miraculo multa morborum genera in vnū Iob congelasse. Tūm, quod non sit potestatis dæmoniacæ miraculum aliquod efficere: tūm, quod si miraculo dæmon tam graui ægritudine repente virum sanctum afflisset, aut hoc quispiam affirmaret, cum ratione vtiq; insaniret. Nam si miraculum est, excedit ergo totam naturæ facultatē. Ea verò facultas, quæ totam naturæ excedit facultatem, diuina sit necessarium est. Quare neq; Deus virum sanctum Satanæ permisisset, quod impium esset, & nefas asserere. Substantias autē illas, quæ sunt à materia seiunctæ, nullum efficere posse miraculum, argumento est, quod nullas toto naturæ ambitu efficere mutationes possunt, nisi eo motu adhibito, atq; ea adiūcta mutatione, quam localem appellat philolophi. In ipsa verò concitatione motus (ad quam efficiendam, maxime id Deo permittente, tota illis se præbet morigera natura) secum deferre possunt res aliquot magnæ efficacitatis, ad absoluenda propria cōsilia: vt arte fabrili, ignis adhibetur ad emolliēda metalla. Cæterum similes operationes appellatione miraculi nō sunt à nobis cēsende: quia propria dæmonis virtute fiunt: cū ad eas res efficiendas, naturæ instrumentis vtatur, vt medicus solet, qui succis & herbis ægritudines depellit humanum corpus infestantes. Habent autem res illæ, quæ à dæmonibus adducuntur ad efficiendas res

plenas admiratione, præter virtutem naturæ, insertum efficacitatis plurimum, à superiori causa, dæmone videlicet susceptum, vt in his instrumentis fieri videmus, quæ singulis artificibus, vt nautica, rustica, fabili, ab artibus adhibentur: quæ præter naturæ efficacitatem quâ habet, influxum aliquem & impetum ab artifice suspiciunt. Quod ergo hanc Satanæ operationem miraculi appellatione dignam quidam celsuere, inde fortasse initium duxit, quod accedente diuina virtute, & necessarium adiuuentum suppeditante, creaturam aliquam miraculum efficere posse non sit præter rationem. Sed hanc sententiam mihi minus probabilem reddidit, quod magnus ille Deus sanctum virum Satanæ voluntati permisit, atque eis verbis, vt omnino à se videatur ablegauisse omnem efficiendi miraculi rationem. [Ecce (inquit) in manu tua est, verum tamen. &c.] Tum præterea, quod locus recte possit explicari nullo adiuncto miraculo. Vt ergo alios prætermittamus nocendi modos et artes, quæ in humanam mentem cadere non possunt, & veteratori illi frequentes sunt, & familiares, ea tantum de re proposita dicemus, quæ intra limites humani ingenij angustissimos comprehendere possunt. Est ergo Elephantialis morbus, vt Galeno placuit, ægritudo quædam, cuius est materia atrabilis totum corpus infestans, quæ in venas transmissa, sanguinem & spiritus inficit, cæterosque vitiat humores: vnde & tumores in humano corpore, & scabies teterrima & vlcera sequuntur. Possit autem atrabilis modum excedere in humano corpore, vel cibi cuiuspiam frequentis usu, vel tabe & corruptione, & in temperie circumstantis aëris, vel ni-

Lib 8<sup>o</sup> Sym  
promatū  
differētis.

mia de re quapiam solitudine, & contractione animi, & angore. Nec dubito, quin propter hominum scelera, aut alijs ex causis diuinæ prouidentia nobis prorsum occultis, in eum ciborum usum incidant frequenter, qui graues in humano corpore ægritudines excitare possint, & magnam pestilentis humoris redundantiam: tum eisdem ex causis aërem interdum vitari, & corrumpi, id exigentibus nostris sceleribus, non dubitauerim: postremo, nimio dolore & acerbitate rei cuiuspiam ita cōfici, vt atrabile impleamur, vnde nascantur graues ægritudines. At his omnibus Satanam potuisse vti, non dubium. Atque adeo hac postrema arte, propter amissas fortunas, & interitum filiorum sanctum Iob pulsauisse, vnde ægritudo tam fœda & varia contracta sit. [Dixit autem illi vxor sua, Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo & morere, &c.] Quæ vna supererat consolationis ratio post amissas fortunas, atque liberos, coniugis videlicet consuetudo & cōiunctus, hæc in virum sanctum, incredibili Dæmonis calliditate, & astutia, in amaritudine versa est, vt illius verbis, & oratione, tanquam ineuitabili telo, sanctissimi viri animam peccato cōsauciarer, & in desperationem adigeret. Nam cum videret, nihil suis machinamentis profecisse, vt in illius animum & mentem penetraret, & imperum quendam faceret, veteres voluit artes repetere, & qua ratione primo parenti vitam anime eripuit, voluit & viro sanctissimo graue nocumentum inferre. Sapienter à D. Gregorio dictum accepimus, Hoc fuisse veteratoris illius cōsiliū, vt quoniā non poterat in arcem omnibus virtutibus munitam aliqua ex parte irrupere, neque; mania, hoc est

Gene. 3.  
Gregor.

hoc est incredibilem animi celsitudinem attingere, quasi artis bellicę peritus, vxoris consilia, & orationem, quasi scalam quãdam adhibuit per quam ascendens, rationis arcem occupare posset: Cuius rei imaginem quandam nostris mentibus contemplandam obijcit, enarrans vetus illud flagitium primorum parentum. Sed quęstio illa omni ingeniorum contentione excutitur, cum à vetustissimis Theologis, tum etiam à recentioribus: Quid fuerit causę, quòd Satanas, qui primis duobus congressibus cum fortissimo milite tantum malorum in virum sanctum refudit, vt sublatis fortunis, liberis interemptis, vix animum & pectus implere potuerit, non vxorem vnã cum fortunis, & gratissima sobole ad vltimum morte etiam confecerit? Nam si in eum finem tota spectabat calliditas Dæmonis, atq; propendebant machinamenta omnia, vt sanctum virum tanto dolore, & acerbitate excrucia-  
 ret, quoad in apertam diuinitatis contumeliam impelleret: nullo profectò munitionissimam illam arcem fortiore potuit ariete tentare, quàm vxoris morte. Nulli enim obscurum est, maiori se charitate coniuges, & ardentiori amore completi, quàm aut fortunas, aut liberos ipsos. Est enim hic amor longè tenerrimus: atq; ita hæret hominum visceribus, vt neq; cum ipsa vita diuelli possit. Mirum ergò est, quòd vxorem primo, aut altero congressu non interimeret. Scio Philonem Iudæum in ea fuisse sententia, vt Iobi vxorem à Satana seruata arbitrareretur, neque ad illam accessisse partem postremę huius calamitatis, quòd merita, siue egregia opera sanctissimi viri Iacob illam tanquam

fortissima munimenta seruauerint. Vt enim parentum scelera in filios interdum grauissimas pœnas transfundūt, sic etiã & insignes maiorum virtutes magna illis suggerunt vitę adiumenta. Est enim hæc ratio diuine prouidentię, inter cęteras, sacris litteris comprehensa. Neque tãtũ eam dixit filiam fuisse Patriarchę Iudæus ille, sed & nomen expressit libro de antiquitatibus Hebraicis, dicens, hanc fuisse Dinam, de qua magna est lib. Genes. mentio: quam & Sichem filius Hemor vitiauit, in cuius vltionem omnes penè Patriarchę, Simeon saltem & Leui fratres, districtis gladijs cum reliqua militum acie in ciuitatem Sichimorum fecere impetum. Hanc sententiam mihi facit minus probabilem, primò, quòd nullis Scripturarũ certis fundamentis nitatur, imò neque veteris historię, aut autoris cuiuspiam vetustissimi, qui vllò fuerit numero habitus. Deinde, quòd dicitur. Propter egregias virtutes sanctissimi viri Dæmonem spurcissimum ausum non fuisse eam cum liberis horrenda morte mulctare, minus videtur veritati proximum. Nam si sancti Iob egregia merita lupremum mortis periculum à filiorum capitibus arcere non potuerūt, quis credat sancti Patriarchę quantumuis eximias virtutes filiam potuisse à morte liberare? Non est in animo duos viros sanctissimos inter se componere, vt hac comparatione facta inter se, quasi de virtutis præstantia videantur certare. Sed profectò multa sunt vetustissima in historia Genesios, multa etiam hoc libro, quem interpretandum suscepimus, quę mihi probabile faciant, sanctum Iobum non tantũ ad virtutes sanctissimi Patriarchę accessisse,

Gen. 34.

Philo.

fisse, sed & in multis præstantiorem fuisse, maioraq; declarauisse animi ornamenta: quæ vel ipsa sustinentia mirabilis tantorum malorum, amissis fortunis, & liberis, & corporis valetudine satis ostendit, cum sanctus Patriarcha Iacob, vel euentam vnius filij mortem, vix animo sedato audire sustinuerit. Deinde, quid opus est ad maiorum merita huius quæstionis explicationem reuocare, cum, si ad profligandam mortem atque omnem periculi rationem ab vxore Iobi, aliena merita tantum habent pondus, abunde satis pietatis officia huius sancti viri sufficerent, vt propriam vxorẽ ab omni liberarent periculo? Nam si nexus inter patrem & filiam, vxorem & maritum ad rem facit, multò est arctior coniunctio inter virũ, & vxorem. **Quæ** Christus R. N. significare voluit, cũ dixit. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem: & adhærebit vxori suæ & erunt duo in carne vna. Ita q; iã non sunt duo, sed vna caro. Sed neq; illorũ sententia probari mihi potuit vnquam, quæ asserit, vxorẽ Iobi extra omne periculũ fuisse seruata, quò post adeptã victoriã ex hoste, & superata pericula filios ex illa suscipere posset. Nam quid opus erat eã ob rem mortem ab vxoris capite amouere, vt filios & gratissimã sobolem procrearet, cum huic malo potuisset sanctus Iob occurrere, alterram accipiendo vxorem quod priscis illis temporibus ad eò non videbatur inhonestũ, vt qui Deo fuissent charissimi, multas simul vnam in domum adduxissent? Quid, quòd neque pietas scemine huius hanc potest firmare sententiam? Nam eam fuisse impiam, & diuini honoris contemptricem, satis declarat illius oratio, cum virum sedentem in sterqui-

linio alloqueretur, dicens. [ **Ben-** dico Deo & morere. ] Nonne vel propter pauca illa verba ictu fulminis superne deiectioni debuit ab hac vita detru-di impia illa. Ego itaque duas potissimum ob causas eam seruata censeo, quarum altera ad animum Iobi pertinet, & ad sordes peccati: altera verò ad cruciatum grauissimũ, & mentis dolorem pertinere videtur. Nemo, vt ego iudico, ignorare possit, quanta charitate mariti vxores proprias complectantur. Extant multa apud Mosem, multa etiã apud Paulum de re ista. Huc spectant, quæ de Orpheo fabulantur poëtæ, non alia de causa, quàm ad rependam vxorem Eurydicen, ad inferos descendisse, quam multis lacrymis de fleuerat. Virgilius. Ipse caua solans ægrum testudine amorem, Te, dulcis coniux, te solo in litore secum, Te, veniente die, te, decedente canebat. Darius existimans vxorem ab Alexandro fuisse interceptam, eiulatibus impleuit castra, atq; in hæc verba prorupit. Quod ergo tantum nefas commisi Alexander? Quem tuorum propinquorum necavi, vt hanc vicem scuitiæ mee redderes? Odisti me, non quidem prouocatus. Sed finge, iustum intulisse bellum: aduersum sceminas ergo agere debueras? Tempus me deficeret, si ea vellem coniugalis amoris exempla producere, quæ sunt historijs prodita. Nec quilibet sit, vt arbitror, tam stultus, qui credat, sancti viri vxorem minus ab eo dilectã, quòd minus esset prudens, parumq; ipsis moribus viri referret pietatem, vel propter voces illas, quas neque doloris acerbitas, neq; sexus imbecillitas excusare possunt. Nã qui Deum temerè, & venerantur vt oportet, vxores vt propria corpora diligunt, tametsi

Math. 19.  
Marc. 10.  
Gen. 2.  
1. Cor. 6.

Lib. 4.  
Georg.

tametsi non ita bene moratas : illarumq; mortem solent inter damna computare grauissima, maioremq; doloris partem ex ea assumere, quã aliarum rerum omnium iactura. Quibus facile colligitur, inter cetera mala, quæ sanctum virum ad patientiã exercuere, principem tenuisse locum, propriam videre vxorem errabundam & seruam, & quam nuper claram & illustrem, vagantem per alienas domos, & alijs mulieribus ministrãtem victus gratia, & quæ nullius bonis indigebat, rebus omnibus abundabat, & aliorum explebat indigentiam, repente commutata fortuna videre locũ ex loco mutantem, expectantem vesperum : vt vel nox veniens dolores posset sedare, atq; mitigare. Nonne potuit huius rei consideratio animum sancti viri torquere? Et quoniam huius libri initia tragica sunt, non fuerit abs re hæc diligenti animo reputare, & expendere ex eis autoribus, qui tragedias cõscripsere, apud quos nusquam grandiori cothurno procedit oratio, neque maiores concitãtur affectus, & cientur lachrymæ, quã cum fœmina quæpiam illustris, & regia stirpe nata, à culmine & fastigio felicitatis ad postremam deiecta miseriam panem seruitutis ministerio emedicatum quærere cogitur. Dein de præter hunc cruciatum atque mentis dolorem, quem Satanã sciebat grauissimè posse animum sancti viri exacerbare, illud ad expedienda propria consilia magnum habebat pondus, vt inquit Gregorius, si viuens vxor postrema paupertate pressa ad maritum accederet, & composita oratione ad impietatem, & Numinis contumelias illum prouocaret. Probè tenebat ve-

terator ille quæ ab initio conditi orbis nobis mala fuissent à mulieribus orta. Et vt antiquitatem historiæ repetamus, vel ab ea ætate quæ tempora tibi sequuta est, Achab rex Israëlitarum suasu Iezabelis vxoris occidit Prophetas. Sampson, cũ Dalidæ vxori crinem fatalem ostendisset, in quo prodigiosæ vires consistenterent, dormiens, ab eadem vertice deraso in inimicorum manus incidit. Ioram Israëlitarum rex, suasu Athaliæ vxoris, infinita prope commisit flagitia. His causa fuit, cur Mercurius mädato Iouis Argũ occideret. Nemo ignorat, quas attulerit Troianis clades vnus Helenæ inconstantia, & impotens libido. Vnde Propertius,

Olim mirabar, quòd tanti ad Pergama belli

Europæ, atq; Asiæ causa puella fuit.

Cleopatra causa fuit belli inter Ptolemæum, & Alexandrum Syriæ regem. Alexander, vt autor est Curtius, instinctu Thaidis meretriculæ vrbe[m] combussit Persepolim, stulta fœmina de tanta re ferente sententiam. Hæc veterator ille & antiquus serpens, aut alia similia longè vetustiora exempla memoria tenebat: ob eamq; rem per vxorem callidè & astutè efficere voluit, quod per seipsum non poterat, quanuis hac arte nihil præualuerit. Sciebat enim vir sanctus cœlitus edoctus, fœminam sibi non esse præpositam, sed natura subiectam. Ob eamque rem, fluxam mentem & stultam virili voluit censura in officio retinere. Nam quis Deus vxorem sancti viri magistrã fecit? Quis eam docuit ex alto cõcionãtè, [Adhuc per manes in simplicitate tua?] Nonne hoc erat limites excedere fœmineos, & alie-

Iudi. 16.

Propertius lib. 2.

Curtius lib. 5.

1. Cor. 14.

Genc. 3.

Gregor.

1. Timo. 2 & alienum occupare munus? Paulus non fert, ut fœmina docēdi munus assumat. Nam quæ semel doctoris officio, & concionatoris fungi voluit prima fœmina, & se, & totam posteritatem in exitium, & mortem dedit præcipitem. Christus R. N. apud Matthæum, eos maxime à nobis ablegados docet, cum agitur de animi pietate, qui nobis sunt coniunctissimi. Huc spectat, quod dicitur eruendum esse oculum dextrum, si nobis sit offendiculo. Et idem magister vitæ inquit, Inimici hominis domestici eius. Nā hoc veluti telo, cum per se non potest Satanas, piorum mentes grauius conlauciare, solet. Incredibile enim est, quantum possit oratio, preces, lachrymæ eorum, qui nobis cum magnas habent coniunctiones, & naturæ legibus nobis sunt multis modis connexi. Ita Ecclesi. A filiis tuis caue, & à domesticis tuis attende. Et Hieremias. Vnusquisq; se à proximo suo custodiat. Sapienter proinde, atq; callidè hoc tentationis genus tertio loco reposuit Satanas, [Benedic Deo, & morere. In varios sensus hunc locum interpretes trahunt, quos singulatim referre longum esset, ac penè superuacaneum. Principio ergo inquit. [Adhuc permanes in simplicitate tua?] Solet scriptura diuina in explicandis rebus, & enarrandis, summa tantum rerum capita referre, & cætera arbitrio lectoris relinquere, veluti cum dicitur, prædicauisse Ioannem ad fluuenta Iordanis: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum. Et Christus R. N. idem etiam argumentum suscepisse, Quæ tamen non ita sunt accipienda, quasi Ioannes, aut Christus nihil aliud ore extulisset,

quàm pœnitentiam agite: sed quasi hoc fuerit totius orationis thema, & quasi argumentum, circa quod potissimum tota versaretur oratio. Ita etiam & hoc loco, quæ huius libri autor de oratione, & suafione impia vxoris Iob refert, nō ita sunt intelligēda, quasi nullum aliud verbum ore extulerit stulta fœmina. Nam quis credat, duobus tantum verbis virum fuisse alloquutam, quem à summa felicitatis arce deturbatum in puluerem iacentem videret? Quod ergo inquit, [Adhuc tu permanes in simplicitate tua?] Ipsa interrogatio, qua exordij vice vritur, concitatioem ostendit fuisse orationem, & acres in animo sancti Iob iniecisse stimulos, & potentes subdidisse igniculos, ut ab admirabili sustinentia deijceret, & prouocaret ad diuini Numinis blasphemiam, atq; maledicentiam. Nam quæ interrogatio ipsa, ut est annotatum à Fabio Quint. acrem reddit orationem, & affectus concitat, & auditorem, & aduersarium vrget vehementer. Quousq; (inquit) tolerabis vir charissime? es ne tu ferreus? aut inflexibilis: quam salutem explectas? quando tui erit habenda ratio? (Intelligebat enim, sanctum virum adhuc expectare diuinam prouidentiam.) Filij tui & filia, vteri mei partus & labores, ad vnum interiēre: frustra illos genui, frustra ex coniuge charissima suscepisti sobolem, nihil tibi relictū est, non domus, non famulus, non angustissimus fundus, non amicus vllus, non vicinus, sed terræ onus grauisimū iaces, ac diues malis tantum succumbis, & in sterquilinio sedes, nec sub tecto, sed sub dio. Ferreus itaque es, & saxeus, qui nullo tantorum malorum pondere commo-

F. Quint.

commouearis . Eia age [ Benedic Deo, & morere. ] Sed ( vt ad eā rem iam oratio redeat , vnde digressa est,) antiquus serpens per mulierem antiquas nocendi artes repetens, postquā singula mala, quæ sanctum virum oppresserant reuocauit in mentem, ita virum alloquitur. [ Benedic Deo, & morere. ] Sed est inter interpretes circa inuestigationē sensus genuini loci huius magna cōtentio. Sunt qui existimant, fœminam à Dæmone exagitatam virum incitare voluisse, & quasi illius vellicauisse animum, vt in verba prorumperet contumeliæ plena: quibus & diuinam damnaret prouidentiam, & summam illius iustitiæ & æquitatem postremæ iniustitiæ, atque iniquitatis argueret. Sed & hic sensus variè ab interpretibus explicatur, alijs dicentibus, per Ironiam fuisse locutam, quasi dixeris, I nunc ò simplex Iob, & Deo tuo benedic, immensas illi gratias referas, hoc tuū numen summa animi pietate colas, [ Et morere: ] Ac fidicat, Nam pro impensis obsequijs, & seruata religione hoc tantum præmij accipies, quòd vt cæteri omnes morieris, Durius, & acerbius vxorem sancti viri tractare mihi videntur, qui locum referunt ad summam vindictæ cupiditatem, & animum vlciscendi. Ea enim natura conditi sumus mortales, vt ad vindicandam contumeliam magna propensione feramur. Cùmque hæc cupiditas omnium sit animis inserta, potentiùs tamen fœmineos animos occupat, quemadmodum, & rerum vsus docet, & vultuosissimis proditum est rerum monumentis. Suadet proinde viro suo, ne inultus moriatur, sed acceptam à Deo contumeliam, & cladem iniuria aliqua, & contumelia penset.

Multis, inquit, modis te Deus afflixit: eripuit tibi fortunas, liberos, honores, & reliqua omnia: vnum tantum tibi reliquum est, potestas videlicet maledicendi, aut congerendi maledicta in Numen tanto pere tibi infensum. Martyr Lucianus, qui temporibus Apostolorum vixit, vt autor est Origines, in ea fuit sententia, vt crederet, non esse inurendam vxor, sancti viri tantam impietatis notam. Nam quū fieri potest, ( inquit Martyr Lucianus ) vt qui acceptā à maioribus religionem ipse per se promouit, atque prouexit, tantam à maioribus acceperit religionem, & tam illustres in ea fecerit progressus, negligenter aded & filijs & vxori, & vniuersæ familiæ prospexisset vt non tantum debita veneratione Deum non prosequerentur, sed & aperta vxor Deū peteret contumelia? præsertim cùm Iob vxori dic, noctuq; præsto esset præceptor, quo semper audito, veterem religionem in animo haberet confirmatiorem? hæc, inquam, fœmina mutatis consilijs, & rationibus viro suaderet blasphemiam? Huc ergò huius loci sensus totus spectat, ( vt inquit martyr Lucianus ) Multis te modis afflixit magnus ille Deus, fortunis, liberis, honore, integraque corporis salute spoliavit, ita vt pro pristinis ouibus, ac bonis totum corpus vermibus scaturiat, & pro regijs ædibus non sub tecto, sed sub dio habites: si ergò mortales hæc incidentia mala viderint, iudicabunt profectò aut te esse iniustū, multisq; sceleribus coopertum, aut iniustum esse Deum, qui cùm innocētiam semper tueatur, in hominem simplicem, & candidum tantum re fuderit malorum. Age igitur mi vir, tu qui miserum spectaculum

Luci. Mar  
tyr.

Origen.

omni-

Moses Gerundens.

omnibus propositus es, ne infirmis sis offendiculo, quasi non sis curæ Deo: collecta mente in Dei famulatu benedic Deo, hoc est, enixè precare, vt tibi celere inferat mortem, quò facilius morte ipsa finitram de Deo suspicionem tollas, & mihi calamitates has, & tibi dolores & cruciatus facias leuiore. Hæc eandem sententiam Hebræus quidam Moses Gerundensis in hunc locum tueri videtur. Sed paucissimis hic sensus improbatur. Nam si ita vxoris Iob verba accipiēda essent, quid ergò causæ fuit, quò eam tam grauius, & acerbè increpauit dicens, Quasi vna de stultis mulieribus locuta es? Quauis hoc argumentum fortasse dilui posset in hūc modum. Non reprehendit vxorem sanctus vir tam acerbè, vt eam impiam appellaret: tantum eam damnat stultitiæ, & dementiam accusat, & leues sermones, quibus fœminæ frequenter vtuntur, accusaturus profectò impietatem, & scelus, si in eum sensum verba forent accipiēda. Mihi vero videtur similis, siue verbum benedic ad preces, (vt Lucianus martyr, & Rabbi Gerundensis,) siue ad maledicentiam, siue apertam in Deum contumeliam, vt fert communis opinio, referatur, quòd semper oratio fœminæ cum aliqua impietatis parte sit coniuncta. Facit vt existimem, quòd exordium orationis duxit ab interrogatione illa, Ad huc tu permanes in simplicitate tua? Quibus verbis haud dubiū quin viri innocentiam, & inter afflictiones summam constantiam risit. Neque mirum est, si vxor Iob, vt in superioribus dixi, & muliebri ingenium, & mores hac in parte retulerit. De quo eleganter ab Euripide dictum accepimus. In-

Euripid. de mulieribus.

tolerabiles esse impetus affectuum, atque feruentis ignis, diram & atrocem rem esse paupertatem, sed nulum esse malum immanius ipsa fœmina, quòd neq; scribi possit à quopiam, nec verbis explicari. Quòd si deorum aliquis, (dixit Euripides,) fœminam formauit, malorum se sciat opificem esse maximum, & hominibus inimicum. Idem in Medea de ingenio, & moribus fœminarum, Mulier (inquit) quauis meticolosa sit, & viribus imbellis, & ferri aciem pertimescat, leuiter tamen offensa, nulla est alia mens aut fœuior aut atrocior. In Andromache verò de eadem re differens vehementer miratur, quòd cum aduersum genus omne veneni, & aduersus ferarū impetus, & incursus pro uidentia diuina multa mortalibus attulerit remedia; aduersus grauissimum malum, & quòd longè excellat vipersas & ignes, fœminam scilicet nullum excogitarit pharacum. Et paulò procū. *Ω παρὰ τὸν νότον, ἡ γυνή*, Opesima & mulier. Quid eum aliud dicens, maiori te opprobrio afficere possim? In Medea verò, & Oreste, fœminas bonis in rebus imperitas appellat, malorum vero omnium artifices doctissimas: & quasi verba vxoris Iob audisset auctor ille inquit. Fœminæ viros in calamitate positos maxime præpediunt, ita vt in feliciores fiant. [Qui ait ad illam, quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscipimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?] Sapienter profectò D. August. affirmat, neminem Satanam, cæterasq; aduersas potestates superare posse citra societatem peccati, vehementerque ridet veterum philosophorum sententiam, Platoniorum maxime, qui principijs quibus-

D. August. lib. 10. de ciuitate Dei cap. 22.



Cap. 23.

quibusdam purgationem animi sitam arbitrentur, sine qua nemo mortalium aduersæ potestatis machinamentis obsistere possit. Et ex Porphyrio pauca quædam adducit, quibus docet animû non posse purgari teletis solis atq; lunæ: sed oraculo quodam fuisse expressum, tantum principia quædam humanam mentem posse purgare, quæ paternum intellectum, & paternam mentem dixerunt Græci. Adepta itaque mentis purgatione, illorum erat sententia fieri homines quasi insuperabiles quacûque dæmonis tentatione casu, & fortuna incidenti. Hinc ergo colligere liceat, quanta fuerit mentis purgatio huius sancti viri, quam fuerit à scelere, & peccato immunis, quem neq; ereptæ fortunæ, neq; amissa charissima pignora filiorum ab animi constantia potuerint agere transuersum, neq; impia vxoris oratione concitatus, ut Deû afficeret contumelia perturbatus fuerit vnquam, aut commotus: sed necessariam animi constantiam retinens, in tam graui ærumnarum pōdere hæc pauca verba respōdit, quæ nulla vnquam seculorum delebit obliuio. [Si bona suscepimus (inquit) de manu Dei, mala quare non suscipiamus?] Habent pauca hæc verba plurimû pietatis, ac diuini Theologia sunt plena. Nam cum sint bona omnia duplici differentia constituta: nam sunt alia temporaria, alia verò æterna, atque hæc, quæ appellamus temporaria propter æterna bona sint expetenda: postulat ratio ipsa, ut eatenus à nobis diligentur, quatenus ad assequenda bona illa, quæ interiora sunt, & spiritalia, viam quandam sternunt. Quocirca cum sint hæc bona peritura in ornamenta animi tanquam

in finem destinata, boni & optimi viri profectò erit, cum integer status animi, & interna bona manent, æquo animo ferre bonorum externorum iacturam. Ut enim non est erigendus animus in superbiam propter istorum bonorum affluetiam, ita non erit contrahendus si aduerso aliquo casu incidente, nobis eripiantur: quin potius incidentia omnia mala æquiori sunt animo ferenda. Deinde Deum quodammodo contumelia afficit, qui, cum multa eo autore susceperit bona, non potest æquo animo sustinere leue quodcunq; malum. Itaq; cum aduersa patimur, nostri auctoris beneficia sunt semper in mentem reuocanda. Tertio, non ignorabat diuinus philosophus ea, quæ Plato docet dialogo, (qui inscribitur Theætetus, vel de scientia) verà omnino esse: fieri non posse videlicet, interim quod in terris versamur, ut mala penitus extirpentur. Nam bonum (inquit ille) oppositum habeat necessarium est. Et quanuis (ut idem Plato dixit) hoc philosophiæ genus, & oppositio malorum atq; bonorum sublimi illa regione non inueniatur, quam inhabitant mentes in omni æuum felices: hanc verò regionem inferiorem, & naturam mortale mala cum bonis permixta ambiunt semper, atq; circumeunt. Eò itaq; magis æquiori animo viros prudentes, quæcunq; incidentia mala ferre oportet: quoniam ea sumus natura conditi, à primo illo flagitio, ut non possint perpetuò res nostræ optima gaudere fortuna. Quarto, sancti homines, qui Dei spiritu ducuntur, libertius interdum sustinent aduersæ fortunæ impetus, dolores, & acerbitates, quam fortunam flantem, & sine vlla procurrentem offensione,

Plato in  
Theæteto

D Sciunt

1. Co. 11.  
12.

Sciunt enim, duram, & afflictam fortunam illos ad pietatem exercere, & ad sustinentiam, quæ eximiam quandam spem ex se gignere solet minimè confundentem, aut afficientem rubore, vt Paulus inquit: qui cum mortuos excitauerit, & alia ediderit porteta plena admirationis, illud tantum gloriosum existimabat, & illustre, quod inter afflictiones semper versaretur, quæ patientiam solent docere, quæ vna virtus instar sit diuitiarum omnium. Quinto, probe tenent sancti homines, cum à Deo flagellantur, & malorum examinantur ponderibus, id in eam rem fieri ab indulgentissimo patre, quod in illis ostendat virtutem, atq; efficaciam spiritus, & mortalibus innotescat, quantum humana natura possit diuino spiritu adiuta. Nam quod aliud spectaculum dignius, in quo respiciat intentus operi suo Deus, & in quod possit vultum conuertere suum, quam videre virum aliquem iustum cum mala fortuna compositum? Quid habet in terris pulchrius, quam vt videat Iobum tot incommodis circumfissum, inter afflictiones ipsas animam semper erectum habentem? Est inter bonos viros, ac Deum O.M. amicitia quædam conciliante virtute, imò etiam necessitudo quædam, & similitudo: ob eamque rem tanquam strenuus pater illos durius educat. Quam ob rem cum se vident sancti laborare, sudare, per ardua conscendere, malos autem lasciuire, & voluptatibus frui, cum animo suo cogitant, parentes filiorum modestia delectari, & vernularum licentia: illos disciplina contineri tristiori, horum ali audaciam: vnde fit, vt paternam erga se prouidentiam intelligentes, æquiori animo ferant incidentia ma-

la. Demum in sancto Iobo comprobatur verum esse id, quod à summis philosophis traditum fuit, Nihil bono viro mali accidere posse. Quemadmodum tot amnes, tantum supernè deiectionum imbrium, tanta vis fontium non mutant saporem maris, neque remittunt quidem: ira aduersarum rerum impetus viri fortis non vertit animum. Sic semper Iob hactenus eodem mansit in statu, nec peccauit labijs suis, & omnia incidentia mala in suum colorem traxit. Sentit illa, sed vincit, & alioquin quietus, & placidus contra occurrentia attollitur, & omnia aduersa exercitationes putat. Quis vir erectus ad honesta non est laboris iusti appetens, & ad officia cum periculo promptus? Cui industrio viro otium non pœna est? Athletas videmus, quibus virium cura est, cum fortissimis conflagere, & exigere ab his, per quos certamina præparantur, vt totis contra ipsos vtantur viribus: cædi, vexarique patiuntur. Quod si singulos non inueniant pares, pluribus simul obijciuntur: marcet enim sine aduersario virtus: tunc apparet quantum possit, cum proprias vires exerit inter cruciatus, & acerbitates. [ Igitur audientes, &c. ] Audientes igitur tres amici Iob ( viri summa dignitate, & autoritate ) Eliphaz Themanites, Baldar Suhites, Sophar Naamathites, sancti viri, quem summa complecterentur charitate, duram, & afflictam fortunam, singuli è locis suis venerunt, vt hominem tot modis oppressum blandè, & amicè consolarentur. Cumque sublati in altum oculis Iobum in sterquilinio sedentem videret,

rent, non eum agnouerunt: adeo & faciem ipsam, & totum corporis habitum aduersa immutauerat fortuna. Ergo proprius aliquantulum accedentes, cognito viro sibi amicissimo magnam doloris significationem dederunt. Nam scissis vestibis, puluereq; conspersis capitibus, lacrymis, magnoque eiulatu aduersam lobi fortunam sunt persecuti: & quod fidem suam apud amicum comprobarent, non illum ad vnam tantum horam inuisere, sed per dies septem humiliter & abiecte apud illum humi sedentes, more lugentium, ita ut vix ad modicum temporis spatium ab eo discederent. Nemo tamen ex illis longiori fuit usus oratione, qua illum consolaretur. Videbant enim dolorem esse intolerabilem, vltra quam ab aliquo mortaliu sustineri possit. Itaque quoniam acerbatis, & doloris magnitudine nulla oratione consequi poterant, pertinaci silentio conticuere, quod vir sanctus prior silentium rumpe-  
ret, & loquendi offerret  
ocasionem.

## CAPVT TERTIVM.

**P**ost hac aperuit lob os suu, & maledixit diei suo, & locutus est, Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictu est, conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras: non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine. Obscurent eum tenebra, & umbra mortis: occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat: non

computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus. Sit nox illa solitaria, non laude digna: maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan. Obtenebrentur stella caligine eius: expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis aurora. Quia non conclusit ostia ventris qui portauit me, nec abstuli mala ab oculis meis.



**N**O verbo refricat autor memoriam dictorum, atque dolorum omnium sancti lob, dicens: [Post hac.] Ni-

titur enim autor libri huius, caedes miserabiles, & calamitates omnes ante oculos legentis, & animum constituere, & quasi renouata oratione animum vulnerare, & sustentiam mirabilem sancti viri in mentem reuocare. Postquam igitur vir ille mirabilis fortunas ac liberos amisit, & carnem ipsam, quae illi reliqua erat Satanas foeda percussit scabie, & in stercore sedit putrescens vlcere, vermibus scatens: postquam putredine sanies distillabat: postquam mulier, quae sola illi relicta erat, non verbis consolatione attulit, sed composita oratione ad peccatum excitauit: postquam latenter vastabat inimicus, aperte malum suadebat vxor, & in illa feditate putredinis preclara sese exeruit pulchritudo virtutis: [Aperiens lob os suum, &c.] Hebraimus est: atque hac loquendi figura frequenter vitur Scriptura sacra, & hoc veluti exordiolo, de rebus magnis dicturus celestis spiritus solet, & apud

prophetas, & in Euangelio conciliare sibi lectoris beneuolentiam.

Ezech. 3.

In Ezechie, eadem loquendi figura exprimitur libertas in loquendo, & quædam quasi autoritas prophetica. Aperui os meum, (inquit egregius vates) vt oblatum mihi librum, & codicem deuorarem. Nempe illa oris apertio, & autoritatem propheticam, quæ summa debebat esse apud gentem Israëliticam, & summam in dicendo libertatem, ac confidentiam præ se ferebat. Et in hoc præsentis libro cum Eliu filius Barachel Buzites aduersus Iob acrem suscepit disputationem (post tres illos amicos viros sapientissimos, quos vir sanctus pro sua singulari sapientia deuicit, atque posttrauit) hoc exordiolo utebatur, Audi igitur Iob eloquia mea, & omnes sermones meos ausculta. Ecce aperui os meum, loquetur lingua mea in faucibus meis: ac si dicat: Audi Iob, nam disertè dicam quod sentio, & quasi autoritatè habens: nihilque erit, quod impetum decurrentis orationis impedire possit. Qua loquendi proprietate Matthæus summam indicendo Christi libertatem, & autoritatem explicuit, cum Christus Iesus nouum illud philosophiæ genus è cœlis delatum, nusquam antea in terris auditum longa satis concione in frequenti auditorio tractare cepit, Beati pauperes spiritu, &c.

Iob. 33.

Et aperiens os suum (inquit) docebat eos. Sed & præmeditatam orationem significare solet, ac minimè tumultuariam, aut in labijs natam, qualis solet esse oratio stultorum: sapientum enim est aperire os: stultorum autem illud semper habere parulum: loquuntur enim sine iudicio, ac temerè effutiunt quidquid in buccam venerit. Quò fit, vt sint

Matth. 5.

rifu excipienda, quæ à quibusdam in hunc locum congeruntur, nisi eo modo accipiantur, quo à nobis sunt explicata. Arbitrantur enim, Aperire os, &c. atque hoc breue exordium in eam rem spectare, vt lector intelligat, sanctum virum non indignatione excitatum, aut animo perturbato in hæc verba prorupisse: [Pereat dies, &c.] Cum quilibet nostrum (inquiunt) animo est commoto & concitato, non ipse sibi os aperit, sed ipsa potius indignatio, & concitatio mentis linguam ad loquendum soluit. Sanctus verò Iob, quanuis si ad rationem humanam exigas illius infelices casus, & amplas habebat causas, & urgentes soluendi linguam in querelas, & lamenta, & longos eiulatus: ita tamen linguam lubricum membrum in officio retinuit, vt eam nunquam, aut sensui doloris, aut acerbioris rapiendam tribuerit. Sunt hæc non omninò à ratione aliena: sic tamen accipienda sunt, vt linguæ tropum, & idiotismum hoc loco agnoscamus: quod, & ad explicationem loci huius, & ad interpretanda innumera scripturarum loca incredibilem vim, & pondus habet maximum. [Pereat (inquit) dies, in qua natus sum.] Fuit quæstio illa satis perplexa, & multis plena anfractibus, tum à priscis Theologis, tum à recentioribus incredibili ingeniorum contentione tractata, & excussa, An miserabilis hæc elegia ab aliqua animi perturbatione fuerit profecta? & an longa hæc execratio (quæ totum implet tertium caput) qua sanctus vir proprias ærumnas, & diem, aut tempus natiuitatis suæ detestabatur, ab impotenti commotione animi promanauerit? Scio,

Diuum Gregorium in eum sensum

Gregorius

trahere,

trahere has sancti Iob dicas execrationes, vt mysticus sensus in his verbis primò sit perquirendus, & inuestigandus, iuxta præscripta, atq; regulas veterum Theologorum. August. inquit, Vbi inexplicandis scripturis sacris iuxta litteram non occurrit cõnoda intelligentia, ad mysticos sensus reuocanda oratio erit. Atq; in hunc modum egregius ille vir, & hunc locum de execrationibus sancti Iob, & quæcumque diræ imprecationes in sacris litteris sanctis viris tribuuntur, ad allegoricos adducit sensus. Idem fecit & Philippus diuo Gregorio multò vetustior, qui sanctum Iob imaginem præse tulisse Christi seruatoris aiebat, atq; humani generis ærumnas, & calamitates sanctum virum elegiaco carmine fuisse persecutum. Et, vt paucis dicam, tota execrationis series ad diem Christi, & ad noctem Adami, ad diem æternitatis, & gratiæ, & ad peccati tenebras adducitur. Sed si aduersus tantorum virorum sententiam liceat argumento vti, atq; illorum iudicium tantisper excutere, hoc pacto contorquere argumentum conabimur. Si verum est id, quod veterum Theologorum præscriptis continetur, quærendam esse allegoricam interpretationem, & mysticam, cum commoda iuxta litteram non occurrit intelligentia, à contrario sensu liceat illorum argumentum diluere. Potest hæc execratio sancti viri, ad vtilis sensus, & commodos vehementer adduci, atq; ea ratione, vt nihil vel religio ipsa, vel auctoritas sanctarum scripturarum, vel sancti Iob innocentia, & grauitas accipiant detrimenti. Non est igitur locus primo statim conspectu ad allegoricos sensus trahendus. Ea sententia atq; opinio antiquitus totam pe-

nè oppleuit Græciam, vt licet apud Origenem, & Chrysostrum inuenire, & hunc locum ab omni esse allegorico sensu alienum, & iuxta litteram accipiendam esse, quæ à sancto Iobo dicuntur: & in nulla re prætereà toto hoc carmine sanctum virum ab officio, & religione declinauisset. Duabus autem partibus, vt paucis latissimam illorum disputationem comprehendamus, sita est illorum sententia: videlicet sanctum virum, citra vllam Numinis contumeliam proprias ærumnas, & calamitates fleuisse: atq; ipsas, quæ videntur diræ execrationes, eis rebus esse accommodatas, quæ tamen à quoquã maledictis implerentur, citra vllum fieret peccati discrimen. Primò itaq; voluit Iob, citra vllius iniuriam, suo dolori aliquantulum indulgere: vt aliqua ex parte suis cruciatibus satisfacere, & inæstimabili supplicio: quemadmodum solet, grauitate egrotantibus non nihil leuamenti, & consolationis afferre, vel parietem cedere, vel manus cõplodere, vel mordere stragula, vel eiulatus emittere, vel lachrymas fundere, vel suspiria & gemitus ædere. Non sunt igitur hæc mæroris postremi indicia, aut vana, aut inutilia prorsum, cum & ab eis animus capiat non nihil leuamenti, & medico, aut vrenti, aut secanti nulla inferatur iniuria. Secundò, & alia ratione nituntur sanctum Iob omni leuare crimine. Non licet, inquiunt, diris & execrationibus prosequi ea, quæ inter res à Deo cõditas aliquid habent substantiæ: vt non licet, aut elementis, aut sideribus, aut cæteris naturæ partibus male imprecari: eis verò rebus quæ nullam substantiam habent, vt sunt dies, & nox, male precari, nihil profectò videtur impietatis habere admixtum.

Origenes  
Chrysostr.August.  
In de doct.  
Christiana.  
na.

Philipp.

mixtum. Sanctus verò Iob non percussit diris, nec execrationibus res subsistentes, vt sunt stirpes, plantæ, animantes, &c. sed dies, & noctes. Tertio, voluit vir sanctus, ac proinde spiritus ille cælestis, vt amicis Iob hac longa suorum temporum execratione latissima aperiretur fenestra ad differendum de rebus sublimioribus, maxime ad diuinam prouidentiam pertinentibus. Sunt multa in hac doctissimorum virorū sententia, quæ maiori egeant excussione. Principio, quæ de lenienda animi ægitudine, suspirijs, lachrymis, alijsque grauissimi doloris indicijs ab illis adducuntur, vt vera sint, propositam tamé à nobis quæstionem non omnino explicant. Nam vt libenter illis donemus, his postremi mæroris argumentis, & indicijs externis contractum animum, & quasi mæstitudine affectum non nihil inuenire sustentationis, debeat tamen qui ægrotat (modò necessariam viro sapienti moderationem seruare velit) nulla medici iniuria, & contumelia id facere. Quid verò si ea, quæ medicus excogitauit pharmaca ad ægitudinem leniendam scômatis prosequatur, & maledictis, & verbis apertis significationem det non tantum odij, & indignationis, sed & postremi contemptus circa remedia ipsa? Fleret sanctus Iob: lachrymis & suspirijs propria incommoda prosequeretur: dies verò & noctes, quæ magnus ille artifex rerum Deus, & ad tuendam vitam humanam, & ad suscipienda à laboribus leuamenta necessaria, & ad cæteras utilitates, quæ sunt innumeræ, excogitauit, & adinuenit, maledictis non impereret. Est & illud aduersus propositam sententiā validum argumentum, & quasi te-

lum inuitabile, quòd vir sanctus diem natiuitatis suæ, & noctem, qua fuit coagmentatus (ac proinde præcipuum, ac maximum inter cætera diuinum beneficium) multis execratur verbis. Nam quod erit beneficium Numinis, si hoc beneficium non est, cum nihil omnino esses, intra materna viscera fingi: atque exactis deinde nouem mensibus, mitti in possessionem huius vitæ, ac lucis? Quis verò non impium iudicaret cum hominem, qui hæc tanta beneficia susciperet sine sensu vlllo, sine grata aliqua recordatione? Quo fit, vt postremæ videatur impietatis, hæc diuina dona maledictis prosequi. Tertio, quod adducitur à Chryso-  
Orige. Chrysolomo, & Origene, vt à sancto viro possint depellere omne genus flagitij, minus profectò videtur rationi consentaneum. Maledixit (inquit) sanctus Iob, sed eis rebus, quæ nullam omnino haberent subsistentiam, vt sunt dies & nox. Miror profectò viros sapientes, atque doctos talia quæsiuisse perfugia, & diuerticula. Nam (vt de nocte priori dicamus loco) dubitandum non est, noctem ipsam nullam habere subsistentiam: neque enim à Deo dicitur creata. Annotatum est ab August. August. inter diem, & noctem non minus esse discriminis, quam inter vestimentum & nuditatem, inter plenum & inane. Sed quauis tenebræ à Deo conditæ non sint, sunt tamen ab illo dispositæ, & ordinatæ. Creauit enim Deus singulas rerum species, illarum autem priuationes ordinauit, atque disposuit. Atque ea ratione, vt admirabilis artificis sapientia his in rebus non minus se præbeat visendam, & conspiciendam, quam in eis quæ condidit, & creauit: quemadmodum musci,

sapientia

sapientia in modulatione musicæ declaratur: Nam silentia illa interposita certis, moderatitq; interualis, quanuis sint vocum priuationes: plurimum tamen conferunt ad suavitatem harmoniæ. Et vmbre arte pictoria non specie, sed ordine placent. Neq; minùs est admirabilis pictoris industria, cum vmbra interferit, quam eam lucis & eminentiora quæq; depingit. Quis igitur negare possit, inter cætera somni Dei beneficia noctem ipsam non infimum tenere locum? Tolle noctem: vix aliquid erit, quod possit corpus diurnis laboribus fessum restaurare, & attrita membra, & fatigata remittere. Accedente nocte, vt corpus à labore conquiescit: sic etiam, & curæ abeunt ex animo. Nam si semper laboraret homo, breui vitam finiret. Bene Arist. (vt cætera omnia) Sine nocte nihil toto orbe potuisset consistere. Nam nisi tantundem vaporum ex alto caderet noctu, quatum die detraxisset sol, non flumina, non montes essent, non venti, non nubes, non pluiæ: quorum omnium defectu tota natura labefactata corrueret. Quid igitur refert, sit forma, aut priuatio nox ipsa, vt illam male dictis prosequaris? si ( vt diximus ) summam artificis sapientiã, & propensam bene faciendi apud mortales voluntatem declarat? Idem iudicandum esset de illo, qui vel maledictis prosequeretur silentia musices, vel vmbra artis pictoriæ. Sed de die ipsa, quæ lucis infusione efficitur, quis sit in physicis adeo plumbeus, qui nesciat diem aliquid habere substantiæ? Profectò, si tempus est numerus motus, & tempus omnium breuissimis punctis, quæ aciem mentis, & oculorum effugiunt, tum horis, ac diebus mensibus, & annis

Aristot.

conficitur, non video, quare substantiam propriam non habeat dies: presertim cum priuationis nulla possit esse priuatio, quod vel in physicis mediocriter erudito satis constat. Quod si dies nullam habet substantiam, priuatio igitur est: est autem nox diei priuatio: esset igitur priuationis altera priuatio, quod nulla philosophandi ratio admittit. Accedit ad hæc, quod ex res, quæ nullam prorsus in natura substantiam habent, vt sunt omnis execrationis, & maledicti incapaces: ita etiam, & benedictionis, hoc est, preceationis faustæ & felicitis: cuius tamen contrarium hac in re facile inuenire licebit. Nam Moyses, cum de discrimine diei, ac noctis differeret, & de vtriusque aut creatione, aut dispositione sapienti, Deum inducit diei benedictentem, cum de nocte & tenebris nihil tale legamus. Næq; benedixit diei se primo. Quæ si dies nullam haberet substantiam, insipienter profectò à Mose diceretur. Adde, quod nihil naturam boni consequitur, si nullam omnino habet substantiam: at verò summus ille artifex, qui in diiudicandis rerum naturis decipi non potuit, vidit lucem, quæ diem efficit, & eam proprio iudicio quasi bonam probauit, ac si dicas, & pulcherrimam, & vtilem. Quid aliud verò dies sit, quam lucis, & candoris per totum hemisphærium influxus? Alia igitur via enitendum est, omni scelere atq; flagitio virum sanctissimum liberare. Non defuere inter Hebræos auctores, qui dicerent, virum sanctum, & strenuum militem nullis malorum ponderibus, aut acerbitatum, & dolorum oneri succubuisse, quousque amicos vidit tacentes, & pertinacis silentio linguas ac voces comprimentes: nec sibi debitam ob veterem

D 4 amicitiam

amicitiã, cõsolationẽ, & necessaria le-  
uamẽta adferẽtes. Nã est laborũ om-  
niũ, atq; ærũnarũ magna quietis,  
& cõsolationis pars in amicis posita.  
Ea, n. sumus natura cõditi mortales,  
vt cũ nos, & fortune, & liberi, & sal<sup>o</sup>  
integra, & cetera, quẽ preciosa-  
sima iudicam<sup>o</sup> deficiũt, ad amicos tãquã  
ad sacrã anchorã cõfugiamus, & il-  
lorũ officio plurimũ suscipiamus le-  
uamẽti, atq; diligenti cultu recre-  
mur. Id ergo fecit, vt Hebræi existi-  
marẽt virũ sanctũ ruptis silẽtij repa-  
gulis, in apertam incidisse dolo-  
rũ intolerantiam: ac proinde, quasi  
grauiter ferẽs intolerabilẽ malorũ  
procellã, q̃ preciosissimũ pign<sup>o</sup> ami-  
citie illi etiam eripuisset, cũ stoma-  
cho, & indignatione hæc verba effu-  
disse: [Pereat dies in qua natus sum  
&c.] Quorum sentẽtia nõ tarũ do-  
ctissimorum hominum, sed & ipsa  
Numinis autoritate improbarur. Nã  
prope finem totius disputationis di-  
uino testimonio Iobi innocentia, &  
summa animi rectitudo laudatur, cũ  
ad Eliphaz Themanitẽ dicitur, pec-  
casti tu, qui de peccato accusasti  
Iob, Iob verò non peccauit. Peccaui-  
sti tu, & duo amici tui ob eam rem,  
quòd non vera fuistis locuti in cons-  
pectu meo sicut seruus meus Iob. Iu-  
bet deinde ad expiandas peccati sor-  
des propter apertam in sanctum vi-  
rum illatam contumeliã contractas,  
eundem Iobum sibi patronum assu-  
mat. Quibus facile perspicitur, eius  
animi candorem, & cõsistentiam, &  
verborum integritatem apud Deũ  
fuisse probatam. Iam ergo propria  
de re proposita sententiam atq; iu-  
diciũ in medium proponã, & quẽ  
stionem lõgẽ difficilissimã innume-  
ris penẽ difficultatibus obstructam,  
omni opere atq; studio adhibito  
explicabo. Principiò itaq; illud est

animis aduertendum maximẽ, duas  
in homine esse facultates, quarum al-  
tera perturbationibus obnoxia est,  
& turbidis motibus agitur frequen-  
ter, (qua in parte nascuntur appeti-  
tiones quædam vehemẽtiores) ij in  
hominibus stultis sunt, vt in pluri-  
mum à ratione auersi, inimici men-  
tis atq; vitæ tranquillæ: in homine  
verò sapiente quanuis excitentur hi  
motus, rationi tamen semper ob tẽ-  
perant. Altera verò est in nobis ani-  
mi facultas, quæ non his concitatio-  
ribus motibus afficitur, sed consilio  
semper ac iudicio regitur. Ab his er-  
gò animi facultatibus, tanquã à pri-  
mis fontibus, variæ proficiscuntur a-  
ctiones longẽ inter se diuersæ, quæ  
tametsi interdum inter se confundã-  
tur, sapientis tamen hominis est, in-  
ter eas discernere, & de vtrarumq;  
natura iudicare. Est etiam & illud  
in animum, & mentem reuocandũ,  
viros iustos Deoq; charissimos ar-  
canas diuinæ prouidentie rationes  
ignorare frequenter, tametsi per om-  
nia diuinę voluntati, & occultis Nu-  
minis consilijs sese attemperẽt: Quẽ  
madmodũ Ionas propheta indigna <sup>Ionaz. 4.</sup>  
bundus aliquãdo, quòd in scelera, &  
impietates Niniuitarũ ad vitandum  
propriũ contemptum nõ animad-  
uertisset Deus: quemadmodũ & Na-  
than propheta, cum de erigendo tẽ- <sup>1. Regũ. 7.</sup>  
plo Dauidem alloqueretur: & nobi-  
lis ille vates cum Deo expostulabat,  
quòd illum seduxisset. Seduxisti (in-  
quit) me Domine, & seductus sum. <sup>Ierem. 20.</sup>  
Multarum ergò rerum ignoratione  
iusti homines tenentur, quanuis  
multa, ac varia diuinæ prouidentie  
cõsilia cęlesti beneficio illis aperian-  
tur. Quo fit, vt quædam interdũ san-  
cti loquãtur, & veluti effutiant, quæ  
ab hac profunda humane mētis cali-  
gine, & rerũ ignoratione nascantur,  
& ab



& ab ea animi parte, quæ multis est perturbationibus obnoxia: nonnulla verò, quæ à ratione diuino lumine illustrata. Est etiã & illud altiori reponendũ merte, cœlestẽ spiritũ mortaliũ genus interdũ instruere eis affectionibus, quæ à iudicio, & cõsilio in sanctis hominibus proficiscuntur: atq; eis interdũ, quæ ab ea animi facultate deriuantur, quæ motibus, & affectionibus succubunt. Vt enim in Christo exemplũ huius rei omni perquiramus studio: nõ minũs mortales homines erudiebat eis vocibus, Pater si possibile est trãseat à me calix iste: quæ ab ea facultate animi nascebatur, quæ perturbationibus in nobis est exposita, quàm illis, Nõ mea voluntas, sed tua fiat: quæ à libera ratione. Ita (si parua liceat cõponere magnis) de cæteris sanctis sentiendũ. Igitur cũ sanctus Iob (vt ad ea explicanda nostra se cõuertat oratio, quæ sanctus Iob præsentis capite loquutus est,) flebili carmine, & elegiaco proprias hoc loco ærũnas, & calamitates psequitur, & veluti excessu quoddã verborũ tragico deplorat: illud oportet intelligamus: quæcũq; hac miserã lametatione à sancto homine dicuntur, quæ vel diuinã lædere maiestatem, vel à ratione, & officio declinare videtur, ad eã animi facultatẽ potissimũ pertinere, circa quã versantur turbidi animi motus. Ob eãq; re necessariò dicendũ sit, has veluti orationis furias omni culpa vacare, quas ipsa facultas affectionib; & motibus exposita in carmina effudit. Ignorabat deinde vir sanctus quædã diuinæ prouidetiæ consilia, quãuis cœliris edoctus haberet alia exploratissima. Sciebat ab orbe condito varia in nefarios homines Deũ protulisse exempla iustitiæ suæ, vt summũ in mortales imperium ab omni

vindicaret cõtẽptu: illudq; tãquã cõstitutũ habebat, neminẽ à Deo, qui sit pater indulgētissim; corripit, aut vexari, quẽ nulla accusaret sceleris cõsciẽtia. Nã cũ pbẽ sciret talẽ esse Numinis naturã, tale ingeniũ, vt p pẽso semper animo innocentiã tueretur, & illius vindicẽ ageret, cũq; occultissimos cõsciẽtiæ sinus excuteret, nullũq; facinus deprehederet tã graui dignũ animaduersione: nõquã satis animo percipere poterat, quib; in rebus sita esset æquitas, & iustitia huius tã acerbæ castigationis. Per omnia quidẽ ratione, & mente ipsa diuinæ se acõmodabat volũtati: & tamẽ, partim propter ignoratiõnẽ diuinorũ cõsiliõrũ ( quibus interdũ iustos ad meritũ cumulũ castigat, & ad illustradã, & inflamadã illorum virtutẽ) partim verò propter vehementẽ irritationẽ inferioris illius facultatis, de qua diximus, erumpit in voces has indignationis plenas. [Peccat dies, &c.] Nã ignorauisse virũ sanctũ occulta diuinę prouidetię cõsilia, cũ à Deo tã acriter corripere-  
 tur, autor est inter cæteros D. Greg. D. Grego.  
lib. 32. mio  
ral. cap. 3. cõmẽtarijs huius libri, super locũ illũ: Nũquid irritũ facies iudiciũ meũ, & condẽnabis me, vt tu iustificeris? Inquit enim in hæc verba, Quisquis cõtra dñi flagella semetipsũ defedere nititur, flagellãtis iudiciũ euacuare conatur. Nã cũ culpa sua ferire se Iob. 40. denegat, quid aliud quã iustitiã feriẽtis accusat? Beatũ itaq; Iob nõ id circo flagella cœlestia percusserũt, Iob. 40. vt in eo culpã extingueret, sed potius vt merita augerẽt, qui quidẽ culpã suã inter flagella nõ inueniẽs, neq; ad augẽda merita illata fuisse intelligẽs iniustẽ se feriri credidit, cũ qd in se dũisset corrigi nõ inuenit. Hęc D. Gre. Quib; etiã & fact; ipse Iob magnã, vt ego iudico, pbet auto-  
 D 5 rita-

ritatem. Qui, cum quadragesimo secundo cap. profundam rerum ignorantiam, & humanæ mentis insipientiam libens fateretur, Ideo (inquit) insipienter loquutus sum, & quæ ultra modum excederent scientiam meam. Quibus aperte fateretur sanctus vir, multa se ex ignorantia, & insipientia profecta, ore extulisse: propter quæ se ipsum vehementer damnabat, & acriter reprehendebat, ut paulò procùl idem ipse dixit: Idcirco, (inquit,) ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere. Hæc itaq; rerum ignoratio, simul & vehementior facultatis illius irritatio, quæ motibus est exposita turbidis, ratione, & consilio diuinis iussis, & voluntati per omnia obsequente, efficiebant, ut diris, & imprecationibus diem natiuitatis prosequeretur dicēs, [Pereat dies &c.] ¶ Ad illud iam nostra oratio sensim delabitur, quod postremo loco insinuauimus; de ratione, & methòdo, qua spiritus ille cœlestis nos instruit, & erudit, ab eis rebus sumpta occasione, & argumento, quæ sancti homines interdum aut ignoranter, aut nimia affectuum perturbatione incitari efficiunt. Hæc enim est sacrarum literarum maiestas, ut non tantum eis actionibus, quæ à ratione, & consilio in sanctis hominibus proficiscuntur, sed & eis etiam, quæ à summa rerum ignoracione, instruat nos maximè, tum ad componendos, probandosque mores, tum præterea ad aperiendos theologicos fontes, & explicanda abstrusissima religionis mysteria. Principio, quis non videat totum hoc flebile carmen in eam rem spectare, ut non tantum mortales, qui præseis illis temporibus vixere, quo tempore & Iob age-

bat inter viuos, verùm, & futuros sequentibus ætatibus homines, ad summam animi toleratiam erudiat? Finge sanctum hominem non fuisse prosequutum tam longo ciulatu in eidentes calamitates nec mœstissimo carmine, diris, & imprecationibus pleno, diem natiuitatis fuisse execratum: nemo nostram profectò satis intelligeret, quantus fuisset angor, & anxietas illius animi, quis dolor, quæ acerbitas, quantum denique æramnarum pondus. Sed hæc immo dica lamentatio artètos nos ad rem expendendam facit, ut tantam in vno homine animi celsitudinem, & sustinentiam malorum nunquã nõ admiremur: quem Deus in exemplum proposuit, ut ad illius imitationem compositi, nulli malorum oneri succumbamus. Sed istiusmodi actiones piorum hominũ, ut mores componere, ita etiam & prophetica quadam locutione de rebus sublimioribus, & theologice nos erudire consueuerunt. Nam ut olim Ieremias diem natiuitatis fuit execratus, multisq; aduersus diem illã diris est vsus: sit & Iob. Maledicta dies, inquit Ieremias, in qua natus sum: dies in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. Maledictus vir qui annuntiauit patri meo dicens, Natus est tibi puer masculus: & quasi gaudio lætificauit eam. Sit homo ille ut sunt ciuitates quas subuertit dominus, & nõ pœnituit eum: audiat clamorem manè, & vlulatum in tempore meridiano: qui non me interfecit de vulua, ut fieret mihi mater mea sepulchrum, & vulua eius conceptus æternus. Quare de vulua egressus sum, ut viderem laborem, & dolorem, & cõsumeretur in confusione dies mei? Quis sit tam mentis inops qui

Ierem. 20

qui non intelligat, Ieremiam eo loco eorum deplorare sortem, qui nunquam abstant a sceleribus, & verbo Dei semper se opponunt, quousque funditus excindantur. Vnde, tum ad explicandum incredibilem animi dolorem, tum secundo ad deplorandam infelicitatem impiorum, & miseras vitæ huius, quarum præcipuam, maximamque partem scelera, & delicta occupant, atroces illas execrationes effudit. Sunt sancti homines organa quædam spiritus cœlestis, per quæ frequenter ipse mortalium hominum deplorat ærumnas, & sortem infelicem, quæ multis est sceleribus, & vitæ laboribus implicata. Ut enim spiritus ille pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus, autore Paulo, & postulat quidem in sanctis hominibus, & per illos ingemiscit, qui donum accepere orationis, petitque, quæ maximè e re nostra esse videntur: ita per sanctos homines vehementer conqueritur de infelicitate, & miserima mortalium fortuna, quæ post peccatum, & facinus tot malis premitur, atque diuexatur. Nullo unquam tempore defuerunt homines sanctitate, & virtute præexcellentes, qui mœstissimis verbis hominum incommoda, & miseras prosequerentur, & ingemiscerent, sicut sanctus Iob, qui elegiaco carmine miserabiles suas ærumnas prosequitur, quo veteres ad fistulam luctus cantare soliti fuerunt. [Pereat (inquit) dies in qua natus sum, &c.] Primò itaque à propositione torius luctus sumit exordium, multa in diem natalis, siue exortus, multa in noctem, qua fuerat conceptus, congerens maledicta. Ob eamque rem à propositione seu themate sumit exordium. [Pereat, inquit, dies

in qua natus sum, &c.] ita ut noctem, & diem complectatur. Sed illud est animis aduertendum, vitam, & existentiam genus omne animantium vehementer appetere: contra etiam, instigante natura, in miseris agere, & viuere auersamur omnes, atque refugimus: tamen si propter finem aliquem maximè expectandum, ut est salus animi, & felicitas ipsa, miseras omnes libenti animo sustineamus. Quo fit, ut omnis miseriæ, & infelicitatis ratio, quæ non in optimum finem aliquem spectat, à nullo nisi stulto atque dementi eligi possit. Vnde Christus <sup>Matth. 29.</sup> apud Matthæ. de Iuda, Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille. Bonum autem, quod ex aliqua grauiori miseria, & infelicitate expectatur, ut est, meritum cumulatius, animi constantia, & vigor, & his similia, nunquam ab ea facultate percipitur, quæ in nobis bruta quodam modo est, & varijs, & turbulentis affectionibus succubir. Ea tantum facultas, quæ in nobis præstantior est, atque diuinior, huius boni, quod ex miseria expectari potest gustu tangitur: ut in ægrotante fieri videmus, qui altera facultate (crassiori videlicet, & inertiori) necessarium medicamentum respicit: mente tamen, & ratione, ipsius medicamenti acerbitate vehementer delectatur sanitatis consequendæ gratia. Ægrotus itaque, si vtriusque facultatis sensum, & iudicium voluisset exprimere, diuersis, ac planè contrarijs verbis id efficeret. Nam si inferioris facultatis sensum voluisset exprimere, eruperet profectò in verba acerbitalis plena, doloris, anxietudinis, & vehemētioris odij, quo medicamentum prosequeretur: quauis, & ratione, & mēte, oblectaretur  
eximie

Roma. 8.

eximie salutis consequendæ appetitione adductus, Sanctus itaq; Iob, qui à fastigio dignitatis, & felicitatis arce in postremam miseriam, Numinis permisso, dæmonis verò operatione, & industria se videbat deiectum, iuxta inferiorem illam animi facultatem ægrè, & moleste ferebat tam atroces castigationes: ob eamq; rem, & vitam ipsam, & existentiam sub hac ratione vehementer repudiabat, & ratio ipsa vix poterat illi adiumenta suggerere, vt tantum odium mutaret. Non enim satis intelligebat, vt diximus, quibus ex causis diuina prouidentia viros alioquin candidos, & innocentes acerbiori flagello traderet erudiendos. Solent verò homines, cum rem aliquam exitiali odio prosequuntur, & ea vehementius auersari, & execrari, per quæ & in periculum illud aut incommodum incidere. Et quia coagmentatio ipsa intra viscera materna, atq; natiuitas, siue exortus, prima initia sunt, & quasi ianua quædam, per quam vitam ingredimur, & mittimur in possessionem huius lucis, & in miseras & calamitates, variaq; pericula incidimus: sanctus Iob vtrumq; vehementer execratur, dicens: [Pereat dies in qua natus sum, & nox &c.] Ac si apertius dicat, O vtinam nunquam, aut conceptus essem, aut natus. Neque alienum ab intima philosophia iudico, quod coagmentationi humanæ noctem adiudicauit, diem vtrò exortui, & natiuitati: ita enim rerum natura fert vel si astronomicam rationem attendamus, quæ auspiciorem iudicat diem, quam noctem, & hominis naturalibus commodiorem, nobilissimo Sydere totam terram illustrante. Proposito verò themate lugubris

huius lamentationis, quæ duabus constabat partibus, vtramque sanctus Iob amplificat elegantissime figuris, & coloribus etiam poetis: quæ frequenter magna huius voluminis parte perspiciuntur. Principio enim cum diem execratur natiuitatis, illi eripit lucem, quæ magnam solet diebus afferre dignitatem. Quæ nisi maturo à nobis expendatur iudicio, stulta profectò videbuntur, ac prorsum inania. Quid enim dementius, & stultius, quam diem natiuitatis ita execrari, Dies illa vertatur in tenebras, quasi vllum esset in elapsa iam temporibus? Veruntamen sanctus Iob his verbis ardentissimum desiderium exprimit. Optabat enim, si fieri potuisset, dies proprii exortus omni vacaret luce & splendore. Et, vt res tota facilius à nobis explicetur, appellatione lucis prophetico more, vir sanctus omnem decorem, concinnitatem, pulchritudinem intelligere voluit, & quod amplius est, Dei fauorem, & benevolentiam. Nam viri sapientes, qui de opificio mundi, & creatione vniuersitatis rerum multis æditis voluminibus disseruere, inter cæteras causas conditæ lucis initio creationis totius orbis, quæ sunt multæ, & maximæ, has etiam adduxerunt: lucem à Deo conditam vt rebus omnibus afferret dignitatē, pulchritudinem, concinnitatē, gaudiū præterea, atq; lætitiā: & vt esset ipso diuino opificio aliquid, quod naturæ artificis commodè exprimeret, & ipsa simplicitate, utilitate, & iucunditate, qua mortaliū oculos afficeret. Parū enim pdesset, magnificas ad eò edes erexisse, ni aliqua ex parte Deus illis lucem infunderet. Nam hæc est huius magnæ domus gratia: quæ si defuisset, totus hic orbis

lis deformi horreret incultu. Lux enim est, quæ sola magnos totius orbis commendat ornatus. Atq; hinc factum arbitror, vt tota diuina scriptura appellatione lucis, iucunda, quæque pulchra, lætitiæ plena, & plena gaudij explicet, imò & ipsam summi Dei beneuolentiam, cuius naturam admirabili ratione exprimit. Attende igitur quanta prophético more, & poëtico etiam vir sanctus, cum diem natiuitatis execraretur, dixit. Nam cum dixit: [Dies illa vertatur in tenebras, & non illustretur lumine,] Optabat utique, si fieri potuisset, dies illa omni vacaret luce, gaudio, iucunditate, voluptate, & Numinis beneuolentia: contra verò inculta esset tenebris, horrore, tristitia: denique cõsignaretur atro lapillo, iuxta veterem consuetudinem. Quæ omnia, quoniam figuratè dicuntur, ita sunt à nobis accipienda, vt simul vir sanctus, & miseria, & calamitates vitæ huius, in quas incidimus omnes per peccatum & facinus primorum parentum, & sui animi mæstiriam, & contractionem significare voluerit. Nò decet homines afflictos, & malorum pondere pressos dies lucidus, splendidus, festiuus, sed tristis potius, tenebrosus, horridus, plenus mæstiria. Vt vel dies illa exortus præfagiret tantas mortalium miseria, & ærumnas, in quas incidimus, quorù imaginem tenebat sanctus Iob: cui, & imprecationem istam applicando, in votis erat, dies illa natiuitatis talis fuisset, quæ potuisset exprimere proprii status miseriam, & infelicitatem. Ante scelus, & peccatum omne seruabant omnia suum ordinem: post peccatum verò fuerunt omnia perturbata & cõfusa, ita vt nihil iam retineat proprium locū.

Quod cum animo versaret sanctus Iob, atq; statum suum ante infelicem casum volueret memoria, cum videret omnia in hac vita perturbata & cõfusa, optabat, vt hæc rerum perturbatio vel ipsa die natiuitatis exprimeretur. Considerabat præterea, quomodo supernus artifex distinxit lucem à tenebris, vt singula certis vicissitudinibus homini inseruirent: optabat proinde hæc omnia perturbentur, & confundantur, vt neque lux, neq; tenebræ propriū teneant locum, quò hæc perturbatio, & rerum confusio ipsa etiam die natiuitatis exprimantur. [Non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lanine, & cætera.] Trahitur hic locus ab interpretibus in varios sensus: nos dabimus operam, vt germanum sensum eruamus. Multis ergò rationibus dies aliqua, & clara esse possit, & illustris. Et primò diuina sanctificatione: Quemadmodum in Exod. Memento vt diem Exod. 20. Sabbathi sanctifices. Semper enim veteres illi, dies aliquot habuerunt sacris cæremonijs destinatos: sed peculiari ratione sub veteri lege Deus diem Sabbathi fecit illustrem, ac celebrem, quo à condendis rebus cessauit: vt electi vsum rerum, quas Deus sex diebus creauit, transgressi, & ab illis feriantes, in ipsius creatoris bonitate, & potentia consideranda detinerentur. Nam postulabat ratio, vt seclusis negotijs vitæ præsentis, Dei opera diligentius considerarent homines: quod sane præguatio quædã est vêturæ illius felicitatis. Veteri ergò populo hæc vacatione à rebus alijs Deus indixit, seu reque; ab illo exegit obseruatione huius diei præ cõctis alijs cæremonijs. Et iam inde à condito mundo, autore Mose, hunc diem sanctificauit, celebrem-

lebremq; effecit: quasi hic dies singularis Dei beneficij testimonium apud mortales præberet. Optabat ergò sanctus vir, ne dies natiuitatis, quæ illum in hanc vitam extulit, à Deo requiratur, aut exigatur, ne videlicet sanctificetur, & illustris reddatur: ac si dicat: Dies ille natiuitatis non est inter insignia Dei beneficia computandus, ac proinde nec festiuis, nec celebris habendus. Aduertat hic vir Christianus, quomodo ad alendam, & prouidendam memoriam diuinorum beneficiorum, dies festi seruantur, & seruabantur: quemadmodum nobis testatur Moyses de egressu filiorum Israël de Ægypto, & de die paschæ. Fortasse etiam id tantum significare voluit sanctus Iob, quòd cum Deus singulis diebus solem suum exoriri faciat, vnquamq; diem requirit, quasi dicas, meminit illius. Ad eandem rem pertinent, quæ sequuntur, [ Non illustretur lumine: obfurent eum tenebræ, & umbra mortis. ] Optat enim, vt ea die omnia sint commixta, perturbata, confusata. Illud tantum est à nobis explicandum, quòd de [ Umbra mortis dicitur. ] Solent enim Hebræi grauisima quæq; pericula, & maxime reformidanda, & quæcunq; secum horrorem afferunt, & terrorem, umbram appellare mortis, sumpta dicendi figura ab intima philosophia. Videmus enim quarundam rerum umbras, & vtilis esse, & oblectare vehementer: aliarum verò, & nihil adferre vtilitatis, & inferre nocumenta maxima. Quod in arboribus, & nucæ maxime prospicitur. Et sunt præterea animantes quædam, quarum umbræ sunt pestilentes. Si ergò earum rerum umbras homines vehementer refugiunt, quæ

Exod. 13.

ægritudines grauisimas adferunt, quis non horreat, & aduersetur vehementius ipsam mortis umbram? Et si quorundam animantium umbræ terrorem incutiunt, quid sit iudicandum, aut censendum de ipsa mortis umbra? Nam hac loquutione Hebræi personam quandam, & corpus morti affingunt. Huc spectat hæc imprecatio, vt & qualis fuerit etiam status sancti Iob probe intelligamus, [ Occupet diem illam umbra mortis, ] depulsaq; luce tenebræ, & caligo diem illam occupent: & vt sint omnia ea die tetra, horrida, formidinis plena, occupet diem illam umbra mortis: vt mortales omnes diem illam execretur, paueant, refugiant, atque illam iudicent nociuam, præposteram, ac pestilentem: vt & illa esset veluti augurium quoddam, & præaugurium præsentis vitæ, & huius status miserissimi, in quo omnia sunt horrida, infausta, metuenda vehementer, ac reformidanda: Nihil enim est in hac calamitosa vita, quòd similitudo quædam mortis umbræ non occupet. Nam præter hoc, quòd nihil est æternum, & omnia ad interitum festinant, grauisima illa pericula, inter quæ mortales versamur, & nocumenta ipsa, sunt omnia veluti quædam mortis imagines, & umbræ. [ Occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine, ] aut, vt alij interpretantur, Amaritudines diei illam occupent, siue exterminium meridianum estuum diei, vel pestilens, & æstuans aer. Quæ sunt à nobis ira accipienda. Nihil sit ea die (inquit sanctus Iob) quòd salutem adferat, nihilq; vtilitatis habeat: sint omnia nociua, & tristitia, & moestitudinis plena. Nemo ignorat, inter cætera ad dignitatem dici, &

diei, & felicitatem magnum habere momentum ipsam cœli temperiem: contra verò, si, aut importunus flatus ventorum, aut nimius æstus, aut pestilens excitetur aër, redditur dies atra, horrida, & subtristis. O vrinâ (inquit Iob) diem natiuitatis meæ vehementissimi flatus ventorum, æstus grauisissimi, aut aër æltuans occuparet, vt prima illa dies, quæ me in possessionem huius vitæ misit, imaginem præ se ferret corû, quæ in hoc rerum statu patior, earum etiam calamitatum, quas mortales in hac vita experiuntur. Nam importuni ventorum flatus, & validissimi æstus, in arcanis litteris solent frequenter aduersa quæq;, infesta, & inimica significare. Hinc Ioâ. in Apoca. Non cadet super eos, sol, neq; vllus æstus. Nihil est (inquit) vir sanctus hoc rerum statu amicû, nihil iucundum, omnia sunt infesta & inimica, vt importuni flatus ventorum, omnia turbida, & denique pestilentia. His ergò omnibus imaginem quandam huius vitæ infelicis, & miserrimi status, in quo versabatur, vir sanctus exprimere voluit. Sed postquam priorem propositionis partem amplificauit diē natiuitatis tot modis execratus, ad alteram propositionis partem accedit: & in noctem qua fuit conceptus, maledicta congerit in hunc modum. [Noctem illam, inquit, tenebrosus turbo possideat. Est enim nox suapte natura, horrida, vehementerque formidabilis, multo verò magis cum tenebræ ipsæ propter externam aliquam causam magna augmenta suscipiunt. Id autem contingit, cum valida aliqua tempestas noctu excitatur. Inquit ergò vir sanctus, O vrinâ noctem illam, qua inter materna viscera effectus fui,

& formatus, tenebrosus turbo possideret, & grauisissima quædam, & terribilis tempestas: quæ me ad degustandas, & sustinendas huius vitæ tempestates formauit, & effinxit. Debit enim nox illa mortalibus prælagire eas, quas in hoc rerum statu tempestates sustineo, cæterique mortales: qui meæ infelicitatis, & calamitatis exemplo hos turbines, & magnas tempestates sustinent frequenter. Voluit ergò imagine noctis horridæ, statum huius vitæ exprimere: in qua nihil est placidum, nihil serenum, nihil omnino tranquillum: sed omnia tanquam in graui tempestate sursum deorsumq; feruntur. Deinde quoniam humana opinione, & æstimatione solet, vt diebus, ita noctibus accedere non nihil dignitatis, vt noctem, qua fuit coagmentatus, magis reddat infauitiam, ab ea remouet quidquid ab humano iudicio illi poterat accedere dignitatis. Con sueuere autem homines tempora distinguere ab ijs rebus quæ in tempore aguntur: sicut autem noctu aut paucissima, aut nulla memoria digna. Neque enim nox per se suapte natura hominû memoria digna censetur, sed quia est diei coniuncta. Ob eamq; rem adiecit: [Non computetur in diebus anni, nec cõnumetur in mensibus.] Ac si dicat: Non sit nox illa celebris, nõ sit festiua, omni careat iucundo hominû cõgressu. [Sit (deniq;) nox illa solitaria.] Nâ cû felix aliquis euentus, & rerû successus optimus noctu accidat, ad celebrandâ memoriâ earû rerû, cõgregatur homines interdum, & cõuētus efficiūt, quemadmodû apud Hebræam gentem, nox illa, qua Ægyptus per Exod 12. cussa fuit grauisissima clade, habebatur à ludæis celebris, atque festiua, & profusso

& profusso gaudio, atq; lætitiæ: my-  
 sticaq; illa cæna agni, magno appa-  
 ratu insignique pompa celebraba-  
 tur: vt Christiani præterea resur-  
 rectionis dominicæ nocte, aut exor-  
 tum, propter insignia beneficia ma-  
 gno cum gaudio celebramus. Atq;  
 has noctes propter adductam cau-  
 sam dignas laude existimamus, &  
 appellamus felices. Quæ omnia ab  
 infelici nocte suæ conceptionis san-  
 ctus Iob amouere voluit, cum tan-  
 dem dixit: [Nec sit laude digna.]  
 quibus significare etiam voluit, no-  
 ctem illam, qua fuit conceptus, in-  
 dignam fuisse ijs omnibus, quæ cele-  
 brem, & festiuam noctem aliquam  
 efficere possunt: vt pote quæ illum  
 ad intolerabiles labores perferēdos  
 intra viscera materna finxit. [Ma-  
 ledicant ei, qui maledicunt diei,  
 qui parati sunt suscitare Leuia-  
 than.] Hic locus est perdifficilis,  
 & variè ab interpretibus enarratur.  
 Sunt qui Leuiathan arbitrentur pis-  
 cem esse, quem latinè Balenam ap-  
 pellamus. Est genus quoddam ho-  
 minum, cui semper curæ est, & ma-  
 ledicta congerere, & aliquid etiam  
 execrari: vt sunt piscatores, & ve-  
 ctiores, & nautæ, genus hominum  
 impatiens, atque execrationibus  
 semper studens, maximè cum anxij  
 sunt, ac timentes, ne à cete deuo-  
 rentur: tunc enim solent maledice-  
 re diei suo, quo nauem ingressi sunt.  
 Fortasse & per Periphrasim exci-  
 tatores cete siue Leuiatan nautas  
 appellauit, siue piscatores, quibus  
 sunt suspecti pleriq; dies, & infauti.  
 Vt Martij primus, septimus, quin-  
 tus decimus, septimus decimus, deci-  
 mus nonus, & vigesimus quintus;  
 Aprilis quintus, sextus, duodeci-  
 mus, vigesimus: Februarij sextus,  
 duodecimus, quintus decimus, de-

decimus septimus, decimus nonus, &  
 vigesimus. Hos itaq; dies magno stu-  
 dio obseruant, dicuntq; hisce ferè  
 diebus maximas in mari fieri mu-  
 tationes, vel ad tranquillitatem,  
 vel ad tempestatem. Proinde in re  
 ambigua, atq; incerta tutius ar-  
 bitrantur nauigatione superfede-  
 re. Hebræi arbitrantur לוייתן  
 Liviathan, dictum pro לוייתן  
 atq; hoc iterum dictum pro לוייתן  
 Bichiam: Erit itaque sensus: Male-  
 dicant ei, qui maledicunt diei, qui  
 parati sunt excitare luctum suum,  
 siue merorem, ac si dicat: Malè pre-  
 centur ei, quibus grauis est vita, qui,  
 si licet, in maledictiones prorupunt.  
 Faciebant autem hoc apud veteres  
 fœminæ lamétrices in funeribus.  
 Quidam vertunt Leuiatham, Socie-  
 tatem eorum, vel suam. Vnde in-  
 telligi sic potest. Maledicant ei fœ-  
 minæ lamétrices, quarū est munus  
 flere super mortuos, & socias adhor-  
 tari ad fletum. Sunt qui locū hunc  
 adducant ad allegoricos sensus, exi-  
 stimantes, Leuiatham, dæmonem  
 esse, qui interdum appellatur Sa-  
 tan, nonnumquā vero Belial, Basi-  
 liscus, leo, Draco, alijsq; nominibus.  
 Esaias capite vigesimo septimo pol-  
 licetur futurū, vt Dñs excitet gladiū  
 fortem, & potentem aduersus Le-  
 uiatham serpentem antiquum, quem  
 locum de Satana interpretantur:  
 Quauis de rege Babylonio locus  
 sit primò accipiendus, alijsq; princi-  
 pibus seculi huius, qui pauperes ho-  
 mines, & tennes solent multis mo-  
 dis opprimere, acq; vexare. Quos  
 eleganter bestijs marinis assimilat,  
 potiusquā terrestibus, quia in ma-  
 ri multo sunt quam in terra maio-  
 res, & sæuiores, tum propter hūmo-  
 ris luxuriam, tum alias ob causas,  
 quas Plinius refert. Si ergò ad

Isai. 27.

Plin. lib. 9  
cap. 2.

Satanā



Joan 3.  
Iob. 24.

Satanam referatur, ita locus explicandus erit. Qui parati sunt, suscitare Leuiathan, hoc est, qui se totos deuouent obsequijs impij dæmonis, eiusque desideria capiunt perficere, & quæ amat, promouere, & quasi Deum erigere, exaltare, & colere contempto Deo, qui tantam studio virtutis colitur. Hi tenebras diligunt, & obseruât iuxta illud Ioannis, Qui malè agit odit lucem. Et Iob. Oculus adulteri obseruat caliginem. Ij solent maledicere dei maturius aduenienti, cuius claritate impediuntur, ne praua consilia perficiant. Denique & bonis, & malis sanctus Iob noctem illam voluit esse odiosam, penitusque abominandam. Deinde à nocte illa remouet quæcunq; noctem ipsam poterant decorare, & exornare, vt est fulgentissima lux astrorum. [Obtenebratur, (inquit,) stellæ caligine eius.] Et quoniam eos, qui in tenebris agunt solent vehementer consolari expectatio lucis, subiecit, [Expectet lucem, & non videat nec ortum surgentis auroræ.] Dispelluntur enim diurna luce profundæ noctis tenebræ: crepusculo verò, aut luce matutina, minuuntur, & extenuantur. Optat ergò, nox illa sempiternis occultetur tenebris, quæ nulla lucis parte dispellantur. Et causam subiecit. [Quia non conclulit ostia ventris, qui portauit me.] Hoc est, quia ianua fuit, per quam in hanc vitam miseram, & calamitosam ingressus sum. Debuit nox illa, materna viscera occludere, ne conciperer, & vterum etiam, ne prodirem in lucem: Sed incidant in noctem illam omnes execrationes dictæ, quoniam, [Nec abstulit mala ab oculis meis.] Nam si nox illa maternum vterum conclusisset, non premeret his ma-

lis, nec tanto ærumnarum pondere grauarer.

**Q**UARE non in vulua mortuus sum, egressus ex utero nõ statim perij? Quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus? Nunc enim dormiens siterem, & somno meo requiescerem, tum regibus, & consulibus terræ, qui edificant sibi solitudines: aut cum principibus, qui possident aurum, & replent domos suas argento: Aut sicut abortiuum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem. Ibi impij cessauerunt à tumultu, & ibi requieuerunt fessi robore, & quondam vinciti pariter sine molestia non audierunt vocem exactoris. Paruus & magnus ibi sunt, & seruus liber à Domino suo: Quare mihi sero data est lux, & vita his qui in amaritudine animi sunt? Qui expectant mortem, & non venit: quasi effodientes thesaurum: gaudentque vehementer cum inuenerint sepulchrum. Vero cuius abscondita est via, & circumdedit eum Deus in tenebris? Antequam comedam, suspiro, & tanquam inundantes aquæ, sic rugitus meus: quia timor quem timebam, euenit mihi: & quod verebar accidit. Nonne dissimulavi, nonne filii? Nonne quicui? Et venit super me indignatio.

**O**Mnia execratur vitæ principia, per quæ in possessionem lucis huius, & vitæ deuenit. Et quoniam

E nam

niām duplex est hominum status, quorum alter totus in tenebris, & intra viscera materna delitescit, alter verò hominem in possessionem lucis mittit: tanto vitæ tædio afficiebatur, vt vehementer optaret, aut intra viscera materna mori, antequam communis omnium mater illius primos exciperet vagitus: aut in lucem æditus, immatura morte raperetur ex vita, antea quam miseras, & calamitates vitæ huius experiretur. Huc enim spectu oratio Iobi, vt ea omnia vehementer exoptet, quæ ab illo grauissimum ærumnarum pondus, & cruciatus, & acerbitates, quas humi sedens sustinebat, amouerent, vt est immatura mors. Vnde ad eandem rem pertinent, quæ subiecit statim. [ Cur exceptus genibus? cur lactatus vberibus? ] Nam sunt quædam, quæ hominem prima æditum in luce fulciant, atq; sustentent: quorum alia ad externa adminicula pertinet, aut externè hominem iuuant, vt sunt brachia materna, manus, cõplexus, sinus, ceteraq; id genus, quæ sunt homini vehementer necessaria, quod illi à natura datum non sit quemadmodum cæteris animantibus statim ab ipso exortu, aut per se posse stare, aut citra alterius adminiculū pedibus ingredi: Alia verò sunt, quæ internè hominem iuuant, vt alimentum, & maternum lac. Nam sine necessario cibo, nullæ animantes possunt vitam tueri. Illud ergo maxime optandum erat, (inquit sanctus Iob) vt immatura morte præuertū, nunquam me maternus vterus in hanc vitam misisset, aut ipso statim ingressu, mortem simul cum ipsa vita experiret. Sed quando tantam non sum consequutus felicitatem,

saltem vel ipsa vitæ adiumenta, quæ cunctis sunt animantibus necessaria, debuissent deficere: vt vel maternis complexibus vel necessario alimento desertus, statim ab ipso exortu me mors suis brachijs excepisset: quod ego longè iucundissimum arbitrarer. [ Nunc enim (inquit) dormiens silerem, & somno meo requiescerem. ] Multis ab hoc loco præconijs extollit mortem: & hominum vanitatem, & studia mortalium, curas, & sollicitudines vehementer ridet. Ac primò, more sanctarum scripturarum mortem ipsam somnum appellat, siue dormitionem, atque silentium. Et vt de somno dicamus, si vlla est in sacris litteris consolatio, quæ omnes vitæ huius iacturas leues possit efficere, hæc vna principem locum tenet, quod mors ipsa, quam viri sapientes maximè formidandam existimauere, somnus dicitur multis ex causis: Tum, quod humanam corpus olim sit excitandum, vt Paulus docet multis in locis. Ad Thessalonicenses enim inquit, Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Et, Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini sicut, & ceteri qui spem non habent, &c. Vide August. de re ista, epistola ad Honoratum.

Somno mors dicitur persimilis secundò, quod quemadmodum homo laboribus fessus somno se committit, vt quiescat, & reficiat vires, omnibus vitæ huius sollicitudinibus longum dicens vale: non secus qui in mortem incidit, omnibus calamitatibus atque incommodis vitæ huius exemptus, quasi somno, & quieti se committit, vt optata pace atque tranquillitate, & summa securitate fruatur.

Quo

1. Theff. 4.  
2. 2. Cor. 13.

August.  
Epist. 126.

Quo fit, vt scriptura sacra rerum omnia felices exitus, appellatione somni complectatur. Dauid enim inquit, In pace in id ipsum dormiā, & requietam. Et de populo Itraelico ait Sophonias, Ad quietem accubabunt, & non erit qui extereat. Ezechiel. etiam de ouibus sub pastore tuo Dauid: Qui habitant in deserto, securē dormient in saltibus. Et Osee. Arcum, & gladium & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter. Si somnus vt temporarius est, esset æternus, in nullo penē ab ipsa morte differret: aut si mors ipsa temporaria esset, vt æterna est, nihil, aut nō fere multūm differret à somno. Secundus philosophus, interrogatus ab Adriano imperatore quid esset mors respondit, Æternus somnus, dissolutio corporum, diuinitum pavor, &c. Themistius verò inquit, quod inter cæteros effectus humanos somnus suauissimus est. Nam primūm doloris sensum in nobis extinguit, propter voluptatem nobis pergratam, & familiarem. Deinde alias cupiditates exuperat, tamen si vehementissime sint. Etenim qui musices tenentur cupiditate, & studio, non possunt sibi moderari, eum dormiendi cupiditas irrepit. Et amantium amplexus etiam sopore soluitur. Sed & voluptates illas quas litterarum exercitatio, & philosophia, amicorumq; consuetudo pariunt, somnus ceu fluuiū quodā leni, & profundo subductas excludit. Omnis voluptas atq; oblectamētum viūm habet liberandi à dolore: hæc autem præ cæteris peculiariter. Cum enim nihil foris iucundum, & animū oblectans exterius superueniat, ipso tamen somno oblectatur. Nam quia affectiones omnes labo-

riosas fatigātes somnus adimit, suauissimus esse videtur. Est autē affectio illa nō alia, quam quæ corpori animam vehementer altringit, separatur autem inter dormiendum recurrens, & se colligens ad se ipsam, eūm per corpus distenta, & sparsa in singula membra vehementer laboret. Idem Themistius aduersum eos, qui vehementius in somno animam corpori commisceri dicebāt. Nam illud est quod in somno voluptatem excitat, requies inquam, & otium animæ, tanquam onus deponentis, seq; recreātis, & in secessum abdētis. Nāq; in morte fugere omnino videtur animus, in somno verò fugitiuus fieri: obeamq; rem omnes cum dolore moriuntur, omnes autē cum voluptate dormient. Illic enim vinculum abruptitur omnino, hic verò tam remissē, tam laxē, tam molli-ter, vt sensuum moderationē, quasi onus deponat grauissimum, ea re contentus, vt videlicet corpori vitā subministrat. Silentio deinde mortem designat, vt & hoc loquendi tropo mortem ipsam commendaret. Nam est silere in litteris arcanis, idē quod cessare. Secundo Regum legimus, Viquequò siletis, hoc est, cessatis, & nō reducitis regē? Et in Exod. Dominus pugnabit p vobis, & vos tacebitis: id est, quieti eritis, summaq; tranquillitate potiemini. Iurē proinde mortem appellat silentiū, quod in morte strepitus omnes vite huius, & tumultus cessent. Nunquid aliud hīc videre liceat, quam infinitas penē huius mundi ruinas? Et (vt quidam dixit) gentes gētibus, reges regibus, regna regnis collissa? Videmus hīc, alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus, alios in seruitutē trahi: hic nuptias, ibi plāctū, illos nasci, istos mori, alios affluere

2. Reg. 19.

Exo. 14. d.

diuitijs, alios verò postrema inopia premi. In morte igitur filebunt omnia. Sed & iuxta veterem loquendi consuetudinem gentis Hebræe, filere, idē est, quod ponere impetum, & mitigare furorem, & frenare animum. Vnde & eleganter sepulchrum Hebræi appellauere Duma, hoc est, silentium: quod totus homo ibi desinat, & in silentium eat. Eleganter profectò. Nam mors ipsa veluti frenum imponit nostris cupiditatibus, vt carnis impetus cohibeat, ne videlicet, aut corporis voluptatibus, aut oblectamentis vitæ citra iudicium vllum operam demus. Ibi mortalium studia, & consilia, quibus, aut congerendis opibus, aut parandæ gloriæ, aut adsequendæ nominis celebritati nauamus operam, finem accipiunt. Quibus rebus perquirendis, quasi furore agimur, & raptamur, ferimurq; incredibili impetu. In morte hæc omnia silent, & conticescunt. Silent igitur qui ambiebant currus, magistratus, & dignitates imperatorias. Vbi sunt post mortem qui conuentus disponebant, & festa? vbi equorum splendidi agitantes? vbi vestes & ornamenta peregrina? vbi seruorum turba? vbi iocus lætitiæ, vbi exercituum duces? vbi satrapæ, & tyranni? Nonne omnia silentio premuntur? Nonne paucis carminibus eorum vita, & quidquid gessere, decantatur contineturq;? [Cum regibus, & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines, aut eū principibus qui possident aurum, & replent domos suas argento.] Hæc duplici ex causa dicta arbitror, tum vt hominum supremam vanitatem rideat, tum vt magnā felicitatis partem in morte positam declaret. Dormirem (inquit) somno meo cum regibus, &

consulibus terræ, qui multum in terra laborantes, quò arces, palatia, Pyramides, labyrinthos extruerent, loca deserta fecerunt habitabilia. Vt Cain, qui primus omnium ciuitatē condidit, in ipso propemodum Orbis principio, eamq; muris cinxit, ac turrim erexit, quæ præ altitudine vix oculis terminari poterat. In eo loco deinceps Babylon ædificata est, quam deinde inuentus post diluuium vni aquarum reformidans, suadente Nembroth, primitus constraxit. Aut fortasse, propter stultum, & inane regum Ægyptiorum studium, qui tam altas Pyramides erexere, vt magna omnium admiratio fuerit, qua ratione in tantam altitudinem subiecta forent eęmenta. Tres Pyramides (autore Plinio) inter Mēphim, & Deltam fuisse, constat: quarum primam atque maximam (teste Diodoro) trecenta sexaginta hominum millia annis viginti construxisse proditum est. Eā sibi fecit in sepulturā Chemis rex. Has reges Ægyptij, vt Diodorus ait, erexere, quoniā domos nostras diuersoria appellabant, tanquam breui tempore à nobis inhabitandas: defunctorū verò sepulchra sempiternas domos: quoniam apud inferos infinitum sit tempus, idcirco circa sepulchrorum magnificētiam summam studium, operamq; impedebant. Sed fortasse hæc dicta fuerūt propter Æthiopas, à quibus (vt Diodorus ait) hanc Ægyptij traxere consuetudinem. Atqui sanctus Iob horum vanitates rideat, tāquam qui rebus stultis, & inutilibus studebant, ac si dicat: Nō minùs ego immatura morte præuentus conquiescerem, qui nullis rebus vnquam operam dedissem, quàm hi qui incredibili cura, & labore amplissimas ædes,

Gene. 11.

Plin. lib. 36  
cap. 12. &  
lib. 2.  
Diodorus  
lib. 2.

ædes, magnificentissima ædificia, & preciosissima erexerunt sibi sepulchra. Ad eandem rem pertinet, quæ de labyrinthis prodita sunt. Ridet ergò portentosum humani ingenij opus, quod in se contineret mille itinerum ambages, occurfus recursum explicabiles, crebris foribus inditis, ad fallendum occurfus, redeundūq; in errores eosdem. Tale fuit sepulchrum Meridis, vt Diodorus sentit. Vnde, & exempla traxit Dædalus, illius quæ fecit in Creta. Tertius, in Lemno fuit, de quo est mētio apud Pliniū: Omnes lapide polito, & fornicibus tecti. Sed vt ad ædes per magnificas, aut opulentas ciuitates, magnis sumptibus edificatas, vt à Cain, & Nembroth reuertamur, stultum est, parui temporis incolatum habitationē existimare, & amplissimas domos quasi proprias extruere, & habitare, cum viuant cōducto. Huc enim spectat, vt arbitror, Iobi oratio, ac si dicat: Quid ergò minùs haberem, si ab ipsa coagmēratione vel exortu statim interirem, quàm magni reges, & principes, qui deserta loca lapidibus expolitis, & quadratis stultè impleuere? Ego (inquit) cū illis conquiescerem, nec minore, quàm illi securitate atq; quiete. Ego quidē nudus qui ex vteromaterno prodij, si me statim mors extulisset, nudus utiq; è vita discederē. Sed, & in hac re ego illis celsissem, quos nudos etiā ex amplissimis ædibus mors ipsa exturbauit. Docet hoc loco sūmus philosophus, non meliùs in hac vita habitare, qui latiùs habitat, aut magnificentiores ædes, & maiori sumptu cōstructas, quàm qui in angusto tugurio, aut culmine cespitibus congesto pauperem vitam viuuit. Nā cū in terris, iudicio etiam sapientū, beata sit semper vita expectanda: ad eam

nō refert, quam latè aut sumptuose habites, sed quam latè. Nam sæpè, imò semper in palatijs regum, atq; ædibus magnificentissimis, labor, dolorq; habitat, & in tugurijs inopum quies, & gaudium. Eos etiam ridet, quasi regias domos, & nobiles cedes, & sumptuosas extruxerint, vt ipsa habitatio magnificentior morbos potuisset arcere, aut cæteras ærumnas, & calamitates vitæ, aut quasi mors ad apprehēdenda turrium fastigia egeret scalis. Quid (inquit Iob) minùs haberem quàm reges, & principes, qui loca deserta ædificant, si ab ipso statim exortu me mors opprimeret, cum & illos amplissima domus in sepulchrum, me maternus vterus in mortem etiam cōiecit? Sed, & illud fortasse significare voluit cum amplas domos, ciuitates munitas, & inexpugnabiles arces ridet, vt regum ac principum superbiam, impatientiam, auaritiam insectaretur. Nā hæ animi pestes faciūt vt magni viri atq; nobiles arcibus egeant. Honestius quidē erat æquo iure cum hominibus agere, & in planum cultisq; agellis quietos capere somnos. Quod si ad confidentiā pertinet hæc arcium, & turrium tā superba structura: vana est confidētia omnis, quæ non pendet ex Deo. Litteris aureis excipienda vox illa hominis cuiusdam nobilis, qui rogatus à quopiam, vbinā arces haberet, manu ad pectus apposita, hæc (inquit) est mea arx. Dignissimam suo autore vocem. Nāq; nullum esse tā inexpugnabilē locum, in quem a sellus auro onustus non possit ascēdere antiquitas sapienter asseruit. Stultum profectò mortalium studium, (inquit sanctus Iob) tantam impēdere operam extruendis arcibus, & ciuitatibus munitissimis, cū morti nul-

lus sit inaccessibilis locus, nullus sit inexpugnabilis. Dānat deinde stultorum hominum postremam vanitatem, non tantum in extruendis ædificijs, verum etiam, & cōgerendis opibus, cum inquit: [Qui possident aurum, & replent domos suas argēto,] Ve per synecdochen omnia vitæ instrumenta, & preciosam quamuis suppellectilem argenti atq; auri nomēclatura explicet. Nihil (inquit sanctus Iob) minus haberem, si intra viscera materna me mors oppresisset, quam hi, quos minus cogitantes inuasit, & auro atq; argēto onustos deprehendit. Nā qua in re me essent superiores morte accedente, & ad caput instante? Ea tantum profectō, q̄ opibus atq; diuitijs, auro, & argēto, quasi impedimentis quibusdam, & graui sarcina in hac vita premebatur: quod iuge bellum haberent, nō cum furibus modō, sed cū muribus, tineisq; quod aduersum illos dimicarent araneæ, rubigo, puluis, & fumus: quod hostiū genus nullis armis arcere possint. Est in verbis possidēdi, & implēdi, gratia quædā venustatis, quibus sapienter, & eleganter exagitat principum, ac regum, & diuitum hominum stultitiam. Stultū nāq; est, ac planē demēs, te possessore auri existimare, cum ab auro potius possidere ipse. Nam vbi sunt tuæ curæ, tuę sollicitudines? quibus rebus, diebus, noctibusq; inuigilas? nonne auro, & opibus? Quæ sunt ergo officia seruorum, si hæc nō sunt?

Matth. 6.

Aiebat Christus. Thesaurizate vobis thesauros in cælo: vbi neq; ærugo, neq; tinea dīmōlitur, &c. Et, Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. Nā animus multō magis est vbi cogitat, quam vbi animat. Sed & verdo implēdi ridet illorum insaniam. Nam vt illud libens prætermittā, q̄

non preciosa metalla, sed illorū cōtemptus pectus implet, & cōtēptus diuitiarum diuitem facit: stultū profectō est sic existimare, quasi domū, aut marsupium implere, aut plena ipsa domus animos diuitū impleat. Nonne quærendo cupiditas crescit, & paupertas cupiendo? Ita fit, vt nihil magis inopes faciat auaros, quā opes, argentum, & aurū. Ita q; diues habendus non est qui hæc metalla miratur, quamuis aurea, stellantiq; supellectili, & ardentibus gemnis tectum omne opertum referatq; fit: sed qui hæc despicit, paucisq; contentus est. Adhæc, tametsi quæredī studium vnū fit, seruādi labor est multiplex: Nunquam deest quod diues, & opulentus reuīsat, quod numeret, quod cōplicet, quod excutiat, quod abstergat, quod oculos simul, & mulceat, & offēdat. Docet ergō, diuites & opulentos, præter curas, & sollicitudines, accedēte morte nihil magis habere, quā hi qui intra viscera materna periēre, aut quā ij, qui in lucē æditi, a mortē sunt protinus inuasī, & prærepti. [Aut sicut abortiuū absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem.] quasi dicat: Si in vtero matris absconditū fuisset abortiuum, & illuc me mors intercepisset, aut nunquā vitam accepissem rationabilem, aut accepta vita nunquā me mea genitrix efferret in lucem, magnā profectō mortem præmaturam felicitatis portionem existimarē, cum præsentis vitæ mala, & incommoda nō sentirem. Optat igitur præmaturam, & repentinam mortem. Nam lægūidē pereuntibus mors durior est, & acerbior. Peribat autem sanctus vir lægūidē, cuius corpus vermes sensim corrodebant. Quō fit, vt eos felices dicat, qui morti occurrūt, antequā veniat:

veniat: aut eos, qui nunquam gustū aliquem vitæ acceperere. Sunt, quos mors ipsa inopinatò inuadat, & minime cogitantes apprehendat. Sunt qui occurrant morti inter ipsa vitæ initia, & qui cum nondum aliquem vitæ gustum acceperint, à vita discedunt. Optimam sortem arbitratur eorum, qui iter ambiguum habēt à tergo, securum ante oculos, ij videlicet qui statim ab ipso exortu acerba, & immatura morte tolluntur.

Contrà verò viuentes ambiguum iter ante oculos semper habēt, securum à tergo. Ob eamq; rem dixit etiam

**Theogn.** Theognis, Optimum hominibus nō nasci, neq; hanc intueri lucem: genitum vero quā primū ad Orci migrare portas, & iacere copiosa obrutum tellure. Ergo iuxta Iobi sententiam, sola mors securos reddit. Nam mors omnes sollicitudines excutit, de quibus dixerat, cum de principibus, & diuitibus sermonem faceret. [Ibi impij cessauerūt à tumultu, & ibi requieuerunt fessi robore.] Encomium mortis est, quod vir sactus sapienti iudicio proponit. Ex multis quæ in morte perspiciuntur bonis, pauca quædam eleganter exponit. Ac primum est, quod ipsa morte impij cessant à tumultu, cessat illorum strepitus. Nā appellat tumultum vanas seculi huius res, quas impij insano, & perturbationis pleno studio persequuntur: sursum ac deorsum iactantur, & raptantur, neq; vnquam animo aut quieto aut placido esse valent. Nā quoniam omnia quæ præter Deum sunt, animū hominis satiare, & explere nō possunt, sit necessariò, vt impij semper tumultuetur, & vitam agant inquietam. Scitè **D. Auguf.** August. initio Confessionum, Quia fecisti nos ad te (inquit), inquietum est cor nostrum, donec quiescat in

te. Hinc Esai. Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum. Quasi dicat: agitatione vndarum nihil nisi spumam, & lutum efficit. Qua similitudine significare voluit vates, malos seper perstreperere, nunquam quietè viuere, suarum rerum semper satagere, esseq; occupatos: nunquam tamen adsequi vt bene beateq; viuant, tamen si per omnia ruant, & volitent. Hanc ergò animi, & actionum perturbationem, & insanos motus, tumultum appellat. Hoc igitur primū mors habet bonum, quod impij, temerarij, & inquieti homines ibi tumultuari desinunt: quod utiq; bonū in vita non inuenitur, vt in superioribus à nobis explicatum est. Huc etiam spectat oratio Iobi, vt eā portionem felicitatis in morte collatā dicat, quā in vita obtinere non possunt qui inter impios versantur. Egregius propheta David eos appellabat felices, qui consilijs improborum non accederent, neq; instituto flagitiosorum viuerent, & cum malignis nullam inirent societatem.

Quo loco omnem penitus consuetudinem cum impijs, omneq; cōmercium damnauit: non solum q̄ periculum sit, ne fortasse nobis illorum studia arrideāt, & ad sui imitationē alliciant, ita vt animo stemus illorū institutis infixi, verum etiam q̄ impij sint tanquā puluis quem proicit ventus, aut sicut quilibet, quæ vèto dispersæ omnia commaculant, & oculos hominū vehementer ledunt. Magna igitur in morte portio felicitatis sita sit, in qua licet fugere impiorū consilia, & studia, atq; ea deuotare nocumenta, quæ sub strepitu atque tumultu impij solent cæteris hominibus inferre. Sed, & illud ha-

Esa. 57. d<sup>2</sup>

Psal. 1.

bet mors secundo loco, quod fessi robore ibi cōquiescunt, hoc est: quorū vires in hac vita fuerāt vehementer afflictæ: [Et vincti pariter sine molestia, & non audierunt vocem exactoris.] Quod de victis, qui adducebantur laboribus, & damnabatur ad metalla intelligendum est, qui mortui non afficiuntur molestia, neq; audiūt vocem illius qui rigidè nīmīum ab illis exigebat opera. Hoc igitur mors habet inter cætera, q̄ neq; labor neq; afflictiones persentit.

Euripid. Bene Euripides etiam iuxta opinio nē vulgi, vt Iob, Opto nihil esse: nā si in morte curas habituri sumus homines, nescio quo se vertat mortalis homo. Mors enim existimatur maximū malorum esse remediū. Atq; ita Sophocles aiebat, Vltimū morborum omnium medicum, mortem esse. Quis nouit (inquit Euripides mortē collaudās) an viuere sit quod nos vocamus mori, mors autē vita? Nam ægrotant homines viuētes, & varijs conficiuntur calamitatibus: defuncti verò nulla experiūtur mala. Quocirca vel hoc boni etiā mors habet, quod omniū malorū in morte vacuitas est. Vnde Trophonius, & Agamedes, cū Delphicum templum construxissent, mercedem ab Apolline petebant: quam ille se daturū illis cūm promisisset, septimo post die mortui sunt. Idē fertur de Cleobe, & Bitone, quibus ad preces matris Iuno vitam in iuuenta illis eripuit, tanquam id optimum esset, & beatissimum, mori videlicet. Tertiò vel ea re mors vitam excelsit, q̄ omnia in morte æqua sorte, & pari agunt. Respice mortuorum sepulchra, & vide, quis sit seruus, quis dominus, quis diuus, quis pauper. Discerne, si potes, victum à rege, fortē à debili, pulchrum à deformi: nullū

deprehendes signum humanæ iactantiæ. [Ibi (inquit) paruus, & magnus sunt, & seruus liber à domino suo.] Quid homini magis optandū, quàm æqualitas cum his, qui honestissimū in Rep. locum tenēt, & summis funguntur magistratibus? Huc enim omnes ferimur instigante natura, vt aut aliquos alio præcedamus gradu dignitatis, aut saltem nemo nos præcedat: id in vita consequi impossibile factu est. At accedente morte, paruus & magnus, nobilis & ignobilis, illustris & obscurus, æqua sorte, & pari fortuna potiuntur. Sed & illud instigante natura ardenti desiderio mortales omnes appetūt, vt summa libertate fruantur. Nā quid magis præter naturam quā dura seruitute premi? Vnde, si quemadmodum ceteræ res, ita etiā & libertas in foro exposita esset venalis, nemo tā stultus, qui non libenti animo oēs profinderet diuitias, & marsupium exhauriret, quò aliquam libertatis partem cōsequeretur. Atqui mors hæc libertatem non tantū præstat seruis, sed æqualitatem quandam cum eis quos dños habuerūt in vita. Qua re quid esse possit optabilius? [Quare misero data est lux, & vita his qui in amaritudine animæ sunt? Qui expectant mortem, & non venit: quasi effodientes thesaurū. Gaudentq; vehementer, cū inuenerint sepulchrū.] Loquitur iuxta vulgi opinionem. Grauis & miserāda quæstio. Quare inquit, homini afflicto, & in hac vita multis modis presso vita cōceditur? aut quid opus erat, diuinā prouidētiā, si omnia administrat, & gubernat, eos homines in hanc vitam inducere, quibus proposita est aduersus omniū laborum acies dimicatio? Satius fuisset, cū hominem aut non nasci, aut statim natum vitam defungi.

Neq;



Neq; n. preciosa ad eò res vita est vt pro illa maiores sint perferèdi labores, quã Græcorũ acies pro Helena sustinere. Quis. n. eã rē preciosam, & magnã appellet, quã Deus, & vilissimis feruis, & minutissimis animãtibus cõcessit? Nõ ergò magnũ est, & preciosũ viuere, sed tràquillè viuere, & ex voto. Præter rē ergò misero hominĩ i vita cõceditur, vt per totã vitã grauissima ab illo sumantur supplicia. Cũ ergò in tãta miseria nullus sit lucis vsus, nulla in tãta amaritudine suauitas, vnũ reliquũ est, mortẽ ipsam omnibus votis accersam. Nã est inrer afflictioes ipsa moriendi spes certũ quoddã cõsolationis, & leueritatis genus: & solet afflictis (vt dixit ille) magnã leuamẽti partẽ adferre, aliquã sperare salutẽ. Et inter acerbitates ipsas solent homines mortẽ nõ secũs præstolari, neq; minori cupiditate, quã hi qui auaritia, & desiderio pecuniæ adducti, mortuorũ sepulchra resignare solent, putãtes, vim pecuniæ, auriq; & argenti copiã se inuẽturos. Nã tolebãt veteres, aurũ & argẽtũ in sepulchris vnũ cõdere. Nõnẽ igitur miserissimũ sit, cũ totã spes hominis afflictĩ vna sit in morte reposita, quã omnibus thesauris, opibus, atq; diuitijs preciosiorem existimat, nõquã vocatã venire, nec summa diligẽtia quæsitam inueniri posse? Antiphane dicebat mortẽ neminẽ inuenire, qui sit cupidus moriendi: sed vita affixos detrahit, inuitos, epulãtes. & rebus omnibus abũdãtes. Eã mortem Boetius felicẽ existimabat, quæ neq; dulcibus annis se inseruisset, & à mœstis, & afflictis hominibus vocatã respõderet. Heu heu (inquit Iob) cur surda mors ab eo homine aures auertit, qui illã semper vocat, qui amat, qui d̃ illa sēper cogitat, qui oēs

thesauros, diuitias, totas deniq; spes in hac vna collocauit? Cur inquam crudelis & sæua, flētes & collachrymãtes oculos claudere detrectat? Sed & illa ex sentẽtia vulgi grauissima aduersus diuinã prouidẽtiam quæstio est, Quare postquã hominĩ cõtulit vitã & lucẽ, tantisq; voluit miserijs exercere, mortẽ ipsã non in aperta luce exposuit, vt possent oēs, illã cũ vellēt, ad se vocare? Atqui de ea re inquit Iob, [ Viro cuius abscondita est via, & circũdedit eũ Deus tenebris? ] Nõnẽ sæuũ sit, ac plane crudelẽ, à viro afflictõ mortẽ abscondere, & eã quasi profundis tenebris occultare, ne vel hãc gaudij partẽ cõsequeretur, vt inter afflictiones, & grãnas mortẽ inueniret, quasi tutissimũ portũ? Hęc (inquit Iob) sũma miseria est, vt misero hominĩ extremũ mortis munus eripiat, ne possit videri mori. Ob eã rē (inquit) [ An tequã comedã, suspiro: & itãquã inũdãtes aquæ, sic rugitus meus. ] Hoc est: eiulatus ædo, lachrymis aquarũ ritu manãtibus: quasi dicat. Si in timore Dñi nõ ambulassem, nõ vixissem, neq; humanæ fragilitatis, & diuini iudicij memor esse, merito hæc paterer. Sed ego nõquã cibũ sũpsi sine lachrymis, nõquã me pro felici habui. Et qđ dicitur, [ Dissimulaui filii, quieui, &c. ] Idẽ est ac si dicat: Nõ vacaui luxui, neq; securus fui, neq; quietus, & venit super me indignatio tua Dñe. Chaldæus interpres, Nõnẽ dissimulaui, quãdo denũtiatũ est mihi de bobus? Nõnẽ silui, quãdo nũtiatũ est de incẽdio ouiu? Nõnẽ quieui, quãdo nũtiatũ est de camelis: & tñ indignatio venit, quãdo nũtiatum est de morte filiorum. Hoc est, vel mea indignatio, vel tua. Ac si dicat, & tamen hæc tempestas coorta est, & super me irruit.

## CAPUT QVARTVM.

**R**espondens autem Eliphaz Themanites dixit, Si ceperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies. Sed conceptum sermonem tenere quis poterit? Ecce, docuisti multos, & manus lassas roborasti. Vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua tremementia confortasti. Nunc autem venit super te plaga, & defecisti: teigit te, & cōturbatus es. Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum? Recordare, obsecro te, quis vnquam innocens perijt? aut quando recti delei sunt? Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos flāte Deo perijse, & spiritu irae eius esse consumptos. Rugitus leonis, & vox leana, & dentes catulorum leonum contriti sunt: Tigris perijt, eò quòd non haberet pradam: & caruli leonis dissipati sunt.

**T**hema disputatorium inter Iob, & amicos est, An sanctus vir propter impietatis opera fuerit à Deo tantopere afflictus, an ob alias causas hominibus incognitas? Hanc cōtrouersiam Deus ipse trigesimo tertio capite huius libri tanquā iudex arbiter dirimit. Ergò Eliphaz Themanites, vir inter suos magna sapientia, & autoritate spectanda, audita oratione Iob, lamentis, & ciularu plena, de re proposita in hūc modum dicere aggreditur. [Si ceperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies. Sed conceptum sermonem tenere quis poterit?] Vtitur quidem

exordio non inartificioso prorsum neq; ineleganti, si singula verba magno cum iudicio expendantur. Sciebat Eliphaz singulari sapientia vir, non esse mediocre beneficium tempestiuam, & amicam consolationē: quia quoties in rebus afflictis corū ægritudini, quibus bene volumus, re mederi non licet, verbis saltem lenimus dolorem. Hoc veri amici officium Eliphaz in superioribus sancto viro tribuerat, vt in superioribus fuit explicatum. Sed cū ex oratione sancti Iob tres viri sapientes indicia quædam impotētis animi, & doloribus succumbentis deprehendissent, multaq; quæ, & diuinæ prouidentiae rationes arcanas viderentur damnare, & singulas vitæ partes, Eliphaz fortasse, quia & ætate prouectior, & autoritate inter tres amicos præstantior erat, tum ad confutandam orationem Iob, tum ad confirmandam propriam de diuinis castigationibus sententiam, sapienter exorsus est in hunc modum. [Si ceperimus loqui tibi, &c.] Facit vt peritus medicus. Nam vt crudū vulnus, & adhuc recens, non tam exulceraret, quàm mitigaret, ab ipsa doloris atrocitate latēter exordium sumit. Est enim insinuatō quædam, ne fortasse animus infirmior vix sustineret apertē sibi admoventi manus. Acerbitatem doloris ostendit, cū inquit: [Si ceperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies.] Tanta est enim doloris grauitas, tales sunt cruciatus, tā atrox suppliciū, quo te videmus confectum, vt difficillimū iudicem, te posse sustinere salubrem, & necessarium amici admonitionē: Nā, & ego homo sum: humani à me nihil alienū puto, vt dixit Comicus, Terent. in Aud. Non adeò sum ingenio saxeo, vt nō intelligam eos, quos totos possidet dolo-

dolor blandè, & amicè, & beneuolè tractandos esse. [ Sed semel cōceptū sermonem tenere quis poterit? ] Altera pars huius exordij sumitur tū ab ipsa rerum natura, tū ab honesto & vtili: atq; his omnibus acerbitatē orationis mitigare voluit. Et primò, natura ira conditi sumus homines, vt nullus penè sit, qui linguā lubricum membrū aut moderari possit, aut prorsūm cohibere. Hinc celebres illæ in Ecclesiastico, & apud Salomonem sententiæ, quibus huius rei difficultatem ostēdit. Qui loquacitatem odit, malitiam minuit. Quis est qui non deliquerit lingua sua? Est tacens qui inuenitur sapiēs, &c. Qui moderatur sermones suos, doctus, & prudens est. Sed quò maior est in cohibenda lingua difficultas, laus, & gloria, eò magis mortales omnes incredibili propensione ad explicanda animi cogitata ferimur temerè, & sine iudicio. Zeno philosophus, à legatis Antigoni Athenas missis vnā cum alijs philosophis ad conuiuium vocatus est: Cū cæteri verò inter lautiores epulas suā quisq; eruditionem ostentaret, Zenō tacebat: rogantibus verò legatis, quid Antigono renūtiarent de ipso? Hoc ipsum (inquit) quod videtis: quod tacere scio. Nam oratio est omnium difficillima moderatu. Quibus modis

**Homerus.** Homerus silentium, & linguæ moderationem commendauerit, Therfitis loquacitatem reprehendens, nemo ignorat. Et item cūm Telemachum de diuinis rebus Vlyssē interrogantem, pater ipse compressit.

**Pythagor.** Hinc Pythagorici suæ disciplinæ tyronibus illud quasi primo limine proponebant, tanquam rē difficultatis plenam, vt tacerēt, & linguam omnimodo comprimerent. Dicebat

**Apul.** Apuleius, os esse vestibulū animi,

& cogitationum comitium. Nam incredibile est, quā cupiat animus per linguam, & voces se cæteris manifestare. ¶ Ab opportunitate, & pietate argumētum sumit, quò minus virum sanctum tot malis confectū irritaret. Decet enim eos, qui diuinæ gloriæ, & amplitudinis, & salutis etiā proximi tenentur studio, verbis, & oratione opportunè vti, id est, cū id ratio postulat. Paul. ad Timoth. Prædica verbum: instā opportunè, importunè. Erat Eliphaz Themaites feruido quodam, & ardenti zelo incensus, (quāuis non secūdū sciētiam vt inquit Apost.) vt Dei gloriā, & optimam circa res humanas prouidentiam tueretur. Existimabat virū sanctum superiori oratione Deū contumelia affecisse. Cupiebat amicum hominē ad virtutē, & pietatis cultum adducere: ob eamq; rē neq; æstuantem animum, neq; linguā ad dicendum promptum, & agilē retinere poterat. [ Conceptum (inquit) sermonem tenere quis poterit? Sed, & à persona Iobi argumētum sumit, vt maiorem sibi cōciliet beneuolentiā. Sic enim cūm apud amicum in mærore confectū dicēdū est, aut admonitione, & exhortatione vtendū, in memoriā reuocamus eximiam illius sapientiā, infractā animi magnitudinem omnibus fortunæ procellis maiorem: illius fortitudini gratulamur, cæterasq; virtutes multis extollimus præconijs: quarū aliquod dederit specimē, anteaquā in aduersam inciderit fortunā, vt antea cæ vitæ imagine quasi ante oculos cōstituta, ipse per se iudicet, quārū deceat in viro sapiēte, vt vltima primis correspondeant. Paucis itaque Eliphaz commemorat egregias sancti viri virtutes, & pietatis opera, quæ exequutus fuerat ante miserabilem

2. Tim. 4.

Roma. 20.

bilem casum dicens. [ Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti. Vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua trementia confortasti. ] Exaggerat D. Greg. hoc loco admirabiles Iobi virtutes, & egregiam animi pietatem, quæ ipsos etiã hostes habet testes, & præcones. Illud profectò mirabile testimonium integritatis nostræ est, cum is egregiam nostri animi pietatē extollit, qui ingerere crimen studet. Sed & illud diligentius expendendum, quã mirabilis fuerit huius viri integritas, & pietas animi, qui inter curas domus, & rei familiaris, inter affectus pignorum, inter studia tot laborum, erudiendis cæteris animum applicauit, ita vt & res temporarias iuxta rationem status sapienter administraret, & tamen tradendæ doctrinæ magisterio fungeretur. Versabatur autē tota doctrina, ratioque magisterij, vt in plurimum circa erigendos, & excitandos labantes animos. Nam quod manus lassas commemorat, siue remissas, eo sanè pertinet, vt Eliphaz sancto viro reuocet in memoriam, frequenter eos, qui vel remissiùs agebant circa pietatis opera, vel circa malorum sustinētiã fractum animum, & remissas vires declarabāt, & auctoritate, & doctrina, & eloquētia excitauisse, & acres iniicisse stimulos prosequendæ virtutis. Sed quia tanta est humanæ mentis imbecillitas, vt inter aduersa, & inter vitæ calamitates ambigat, aut de diuina prouidentia, aut de illius æquitate, adiecit: [ Et vacillantes confirmauerunt sermones tui. ] Talis erat egregius vates, cum dixit: Mei autē penè moti sunt pedes, &c. Sed & quod maximè sit demirandum, [ Trementia genua roborauit sanctus Iob, ] hoc est, eos omnes, quos

grauissimis malorum ponderibus succumbentes videbat. Nã per manus remissas, & trementia genua, eos homines Scriptura sacra consuevit intelligere, qui tanta atq; tam graui malorum procella agitantur, vt vix possint iam tantum malorū pondus sustinere. Vt apud Esai. Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. [ Nūc autem venit super te plaga, & defecisti: tetigit te, & cōturbatus est. ] Pertinent hæc verba ad acerbam sancti viri reprehensionem: quasi externis virtutibus, & pietatis operibus, ceteris hominibus fucum fecerit, & callidè imposuerit. Perinde est enim, ac si dicat: Qui hoc sibi sumpsit, vt aliorum corrigeret mores, & labantes animos consolaretur, quis ignoscat, si inter aduersitates ipse deficiat? Legem tibi vir sapientissime imposuisti non tantū sustinentiæ, sed, & virtutum omnium, qui docendi instruendiq; alios prouinciam tuis humeris imposuisti. Quod si opere non præstas ea quæ ab alijs exigebas in hoc tam lamentabili casu: quis dubitet, in graues omnium incurras reprehensiones? Intelligas obsecro, necessariū esse viro sapiēti, vt quæcūq; in alio vindicat, ipse vehemēter refugiat. Neq; enim is doctor ferendus est, qui quod in altero virium reprehēdit, in eo ipso deprehenditur. Et quod sequitur: [ Vbi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum? ] iuxta veritatē Hebræã sic exponitur a quibusdam, An nō timor tuus est fiducia tua? Et spes erat perfectio viarū tuarū? Id est, timebas Deū, integrēq; & innocēter vivebas, quia sperabas aliquid emolumentum ab eo. Fucatus igitur eras, & hypocrita. Vt. n. meretricis vultus cū fœdus, & turpis sit per naturam, fucis & co-

Gregor.

Esai. 35.

Psal. 72.

& coloribus pigmentatis intuentiū oculos decipit, qui prorsū ignorāt quanta fœditas lateat sub illo velamine: sic hypocrita, cūm incredibili animi fœditate laboret, externis tamen virtutum coloribus mentita religione hominibus imponit. Iam ergo (inquit Eliphaz) perspicuum est, te non ex animo virtutem coluisse, sed alienius emolumentis gratia, & externo virtutis splendore te commendabas apud homines: sed iam sublato fœco videmus imposturam.

**Matth. 23** Christus, R. N. hypocritas assimilauit se pulchris dealbatis, quæ clausa pulcherrima videntur, aperta verò plena sunt ossibus mortuorum. Iam ergo (inquit Eliphaz) resignatum se pulchrū est, cessat omnis ratio fraudis. Quid ergo videbas festucam in oculo fratris tui, nunc verò trabem, quæ in oculo tuo est, nō vides? Hoc habet hypocritis semper, arrogans est, superba, confidens: vbi non adest lictor, nihil non efficit: nihil non tētat, vt se apud alios vendat. Et quod dicitur, (iuxta veritatem Hebraicā vt diximus) An non timor tuus est fiducia tua, & spes erat perfectio viarum tuarum? vel aliter. [Ex tuo metu prodijt tua fiducia, spes, & integritas in vita tua:] Eò sane pertinet, vt ingenium hypocritarum exprimat, quos Scriptura sacra à vafri- cie, & voracitate vulpes, & lupos appellat: quod ex animantes astutia, & calliditate vtantur, nihilq; non efficiant, vt ventres impleāt. Recte **D. Gregor.** inter cæteros, Quatuor, (inquit) quasi gradibus, Eliphaz Themanites egregias sãcti viri virtutes distinxit. Nam, & timori fortitudinem, & fortitudini paciētiā, & paciētiæ perfectionem annexit. Nam tota pietatis ratio, vt est in diuina philosophia expressum, à timo-

re ducit exordium. Neq; quisquam vnquam ad apicem fortitudinis accessit, qui non primò sibi timoris viam muniret. Nascitur enim ex humana audacia, iuxta iudicium hominum, summa fortitudo. Sed in via Dei nascitur ex audacia, summa imbecillitas. Et, vt humanus timor imbecillitatem parit: ita & timor Dei parit fortitudinem. Sic Salomon, In timore Domini fiducia fortitudinis. **Prou. 14.** Namq; humana mens tantò potentiùs terrores vitæ huius contemnit, quantò per honestum timorem auctori rerum omnium magis se subdit. Nam semel Dei timore munita, nihil extra inuenire potest quod metuat: quin potiùs potestate quadam supra omnia eleuatur. Perspicitur autem fortitudo ipsa maximè in aduersitate. Vnde, & mox post fortitudinem, paciētiæ siue sustinentiæ meminit. Nam tantò quisq; se declarat fortiorem, quantò maiori animi celsitudine, & elatione incidētia pericula sustinet. Quibus postremo loco perfectio collocatur. Dicebat Christus, R. N. In paciētia vestrā possidebitis animas vestras. Hoc enim est animum possidere, cunctis motibus videlicet internis, & externis ex arce virtutis, & rationis domini. Qui ergo paciēter sustinet proprios animi motus, nō potest animā non possidere. Fit enim necessariò, vt contra aduersa omnia fortis existat, qui sibi ipsi imperare potest. Nam cūm se ipsum magna cum laude frangit, infractum se fortiter erigit: & cūm proprias voluptates superat, ad externa incommoda sustinenda se inuictum parat. Hec diuus **Greg.** Fortasse hæc virtutum cōmemoratio eò spectat, vt mirabilē illā animi celsitudinē, quam in superioribus sanctus vir declarauit, tenere

non

non desistat, quam ob dolorum perseuerantiã procul relegauisse falsò Eliphaz arbitraretur. Nam primò timore quodam, & quasi reuerentia diuinæ prouidentię se cohibebat Iob, quã certò credebat omnia moderari. Dixit enim, sicut Domino placuit, ita factũ est, &c. Vbi est ergo (inquit) timor ille tuus, quo Deũ reuereri videbaris? Secundò agit de animi firmitate, quæ duos gradus videtur habere. Inest enim quibusdã tanta animi firmitas, & constantia, vt vix iã incidentia mala moleste ferant. Efficit autem in nobis hæc fortitudo, nõ vt timori nõ succubamus, sed vt non prosternamur aduersis. Sed liceat videre quosdã, qui tamen si grauitè ferant incidentia mala & pericula, sed quia ratio tutissimã tenet arcem virtutis, nunquã ab honesto abducitur. Atq; hoc quidẽ proprium est patientię munus. Tertio, quia ex sustinentia ista admirabili nascitur potestas illa, & rationis facultas, quæ seuerè imperat cæteris omnibus facultatibus, ne vel cogitatu aut consilio, ne verbo, aut opere diuinam maiestatem lædant, sapienter satis, adiũgitur superioribus virtutibus perfectio summa. Ob eam enim rē, Hebraico loquendi more Viarum perfectionẽ dixit: quasi dicas cogitationũ, consiliorũ, actionũ. [Recordare obsecro te, quis vnquã innocens periit? aut quando recti delati sunt?] Solet inceltitia, & grauis quicunq; dolor, vt mētē, & rationem perturbare, ita & multarum rerũ memoriã, quæ vel erudire, vel consolari rebus in aduersis homines possunt funditus delere. Ob eãq; rē sapienter Eliphaz Themanites hortatur sanctum Iob ad mentē redeat, & cum animo reputet suo vetustissima rerum exempla, in memoriã re-

uocans, Nũquid iustus aliquis perierit vnquam, aut in ea incidit pericula, e quibus non emerferit. Et, vt Chaldæus interpretis innuere videtur, illustres Patriarchas Abrahamã, Isaac, & Iacob, illorũq; gesta, & optimos rerũ exitus sancto viro reuocat in mentem. [Nũquid iustus quispiam (inquit Chaldæus) vt Abrahamã periit, aut integer aliquis, vt Isaac funditus deletus est?] Nulla enim re perindẽ ad virtutem inflammamur, & ad honesti prosecutionem, vt eorũ, quos admiramur, exẽplis, maximeq; illustribus, peruetustis, ac domesticis. Nã vt illa autoritate cõmendantur, ita etiam, & hæc affectu. Nã prisco-rũ virtutes, quoniam ab inuidia longè absunt, & audimus libèter, & miramur impensius: & natura ita fit, vt exemplis finitimis acrius tngamur: veluti maiorũ, affiniũ, & eorũ, quibus cum nobis vel patria, vel ordo, vel professio cõmunis est. Siue ergò virtutes Abraham, Isaac, & Iacob, cum quibus erat sancto viro arctior necessitudo, e quorum stirpe originẽ duxerat. siue Noë, siue Enoc egregia opera, ac proindẽ felices huius vitæ exitus, & successus recensere Eliphaz dixeris, utrũq; satis suæ pro argumento cohæret. Repetẽ (inquit) obsecro antiqua tempora: quãdo vnquam iusti delati sunt? Aggreditur ergò causam, & assertioni Iob, Quòd præter meritum puniretur, opponit maiorum exempla: quibus probat, nullum innocentẽ puniri: & quicumq; grauitè mulctaretur à Deo, in pœnam sceleris admissi fuisse in eum animaduersum. Atque hoc est totius causæ caput, & veluti thema declamatorium. Hæc ergò erat Eliphaz sententia, Optimam fortunæ rationem, & sine vlla offensione procurentem, præmium esse iustitiæ,

Gen. 8. iustitiæ, & pietatis: neminemque in grave aliquod periculum, & incommodum incidere, gloriæ aut honoris, aut diuitiarum iacturam facere, quin aliquo esset scelere commaculatus. Contra verò, vt ab oppositis etiam argumētum sumeret, inquit, [ Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos flante Deo perisse, & spiritu iræ eius fuisse consumptos. ] Quæ verba Chaldæus refert ad grauiſſimum illud diuinæ iustitiæ exemplum, temporibus Noë, cum grauis cataclysmus totum deleuit orbem, & immensum pelagus diuino imperio in totam se refudit terram. More autem illius generis venustissima metaphora explicat, & grauiſſima supplicia, quæ dedere improbi propter peccatum, & illorum diligentiam, & studium in patrands sceleribus, & omni voluptatum genere se explendo. Sumitur autem metaphora à re rustica, ab aratione videlicet, & messe. Nemo, vt arbitrator, ignorat, quanta diligentia agricolæ pingues campos soleant proscindere tempore iam incalescente, cum omneis herbas ædiderint, neque ad huc earum maturauerint semina: sed & copulibus iterationibus, cum seminandum est, terra resoluitur, vt nullam vel exiguam desideret occasionem: quanta etiam diligentia obseruant seminandi tempora, & modos, & quale solum cuique legumini conueniat, ceteraque; id genus, quæ legum esset recensere. Quibus pulcherrime profecto impiorum hominum studium exprimitur: & certissima quedam imago nostris oculis obijeitur contemplanda eorum, qui ardenti desiderio, omnibus se vitijs addixerunt. Nam primò, summa diligentia patrandi peccatum, & obseruatio illa circa genus pecca-

ti, vnde maiores voluptates, & oblectamenta erumpere possint: deinde ipsa iteratio scelerum, vt de aratione diximus, atque his similia, quæ opere cum ipsa aratione, & semente conueniant, nemo est qui ignoret. Hinc diuina philosophia, & iustis hominibus, & impijs arationem tribuit, & semetem, & messem: Vt apud Paul. <sup>Gala. 6.</sup> Quæ seminauerit homo, hæc & metet. Et Osee, <sup>Osee. 10. cap.</sup> Seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordiæ, in nouate vobis nouale. Et iterum Paul. <sup>2. Cor. 9.</sup> Qui parce seminat, parce & metet. Merito humana vita arationi, & sementi comparatur: nam vel hac ex parte piorum atque impiorum vita cum aratione atque semente conuenit, quæ utique, vt agricolæ solent, non statim vel ab operibus impietatis, vel à virtutum studio suscipiunt aut præmia, aut supplicia: sed quemadmodum agricolæ ante maturas segetes, postquam grana committere sulcis, anteaquam torreatur vaporibus æstiuæ sideris, nullos ex semente ipsa, & aratione excipiunt fructus, non secus, & impij, & iusti homines, anteaquam vel egregia opera vel scelera ipsa matureſcant, vel accedente morte, & ad caput instante, vel suprema die iudicij, neque iustis afficiuntur doloribus, neque gloriosis præmijs cohonestantur. Sic & Christus, <sup>Matth. 13. c.</sup> R. N. de postremo iudicio, angelos appellabat messores, & diem ipsam appellabat messem. Et quemadmodum in aratione, & semente, grana in terram coniectis tota seges inter glebas ipsas occulta manet, & quanuis suo tempore lata erumpant in herbas, & grana adhuc tenera sint vaginis recondita, fructus tamen semper occulti manent, & fide tantum concipiuntur, & spe quadam colligendi fructus: sic de præmijs iustorum, & impiorum suppli-

1. Ioan. 3. supplicijs reputandum est. Sic Ioan-  
 Col. 3. nes in epistola canonica, Nondum  
 Luc. 17. apparuit, quid erimus. Et Pau. vi-  
 ta vestra abscondita est cum Chri-  
 sto in Deo. Quod si illa verba ad  
 tempora sancti Noë referantur (vt  
 Chaldæo placet) vel vnico illo exē-  
 plo tota res fiet apertissima. Nube-  
 bant (vt inquit Christus,) & nuptui  
 Mat. 24. tradebātur, ōnibus se sceleribus im-  
 Gene. 7. plicabant, summam diligentiam atq;  
 studium adhibebant, vt se volupta-  
 ribus explerent. Erat Noc vir iu-  
 stus, qui cum tota familia pietatem  
 coleret non minori diligentia atq;  
 studio. Neutri fructus huius ara-  
 tionis, & sementis videbant, erant  
 vtriq; sua sorte contenti. Mane-  
 bant omnia occulta ad tempora vs-  
 que messis, sed accedente tempo-  
 re ad reseccandas messes opportuno,  
 vide qualia, quiq; grana cōiccerint  
 in corbem. Nam impij postrema de-  
 derunt supplicia, iusti verò salu-  
 tem, & vitam mesuerunt. Ergo  
 qui operati sunt iniquitatem, siue  
 vanitatem, ( vt habent Hebræa,) &  
 seminauere dolores, aut molestias  
 potiùs, ( iuxta veritatem Hebrai-  
 cam,) [ Flante Deo perierunt om-  
 nes, & spiritu iræ eius consumpti  
 sunt. ] Quæ per metaphoram etiam  
 dicuntur, & quidem longè venu-  
 stissimam. Nam quod dicitur, [Flan-  
 te Deo,] ad eam rem pertinet for-  
 tasse, quod (vt autor est Aug. libro  
 Aug. lib. 1. de mirab. sacre scri-  
 ptur. cap. 6. 7. de mirabilibus sacre scripturæ) ad  
 castigandos impios, flatus vento-  
 rum, æquora in nubes collegere, &  
 superne deijcere imbres, diuina vl-  
 tio consueuerit. Nam vt sunt ven-  
 ti quidam, quibus inest exiccandi  
 vis maxima, qui & aquas in vapo-  
 res conuertant, Aquilones maximè,  
 qui vim habent exiccandi longè  
 maiorem, quàm sol, ( de qua re in

Gene. cum Deus adduxit spiritum,  
 siue flatum, qui aquas exiccaret) Gene. 8.  
 sic etiam, & Austro flante vehemē-  
 ter mare intumescit, omnia reso-  
 luuntur in vapores, eluūturq; aquis  
 vniuersa. Est enim hic ventus nebu-  
 losus, & humectus. Multa de natu-  
 ra ventorum apud Plinium, & Cœ-  
 lium de antiquis lectionibus. Quod  
 Cœl. Rhe. ergo inquit, [ Flante Deo periisse,  
 & spiritu iræ eius esse cōsumptos, ]  
 in eam rem spectat, vt atroces illas  
 impiorum pœnas ventorum flati-  
 bus excitas significet, iubēte Deo  
 fuisse inflictas. Quauis, & flatus,  
 & spiritus, si non ad ventos ipsos  
 qui nubes cōeigerunt, sed ad Deum  
 velis referre, anthropopathia est, &  
 elegans hypotyposis hominis indi-  
 gnati, & cupiditate vindictæ vehe-  
 menter inflammati. Nam est flatus  
 & spiritus fortasse ea respiratio,  
 quæ partim in ore, partim in naso  
 posita est. His enim duabus parti-  
 bus halitus hauritur, & concitato a-  
 nimo nares etiam intumescunt. Sic  
 Homcr. Homerus cum Græcos & Troia-  
 nos ad arma vocat, vt ebullientem  
 illorum animis iram subindicet, na-  
 ribus spirantes inducit, & spiritum  
 ægrè trahentibus, quod hæc sint cer-  
 tissima indignati animi signa, Flan-  
 te igitur Deo, & spiritu narium, (vt  
 videntur sonare Hebræa) homines  
 impij consumpti sunt. Sed ita tra-  
 ctandus est locus, vt nunquam à se-  
 mel cepta metaphora discedatur.  
 Ventos illos, siue diuinæ mentis  
 summam indignationem ad rem  
 rusticam trahere licebit. Nam nisi  
 maturæ segetes celeriter demetan-  
 rur, dispendiosa cunctatio est. Pri-  
 mo, quod auib; prædam cæteris-  
 que animantibus præbet: deinde  
 quod granorum, & spicaram cul-  
 mis arenibus, cū procellæ vëtorū  
 aut



aut turbines incessunt, maior pars decidit in terram, atq; ita tandem perit. Sic flante Deo prisca illis seculis, & nostra etiam ætate, peccatores & impij turbantur, deficiunt, & tandem pereunt. [Rugitus leonis, inquit, & vox lænæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt. Tigris perijt, eò quòd non haberet prædã, & catuli leonis dissipati sunt.] Ad eandem rem pertinet, quæ de his animantibus ferocissimis, & quæ in superioribus de aratione, & temere sunt dicta. Nam leones, & tigrides appellat potentes huius seculi, tum præterea diuites, & opulentos, & hominum oppressores, qualis fuit Nembroth suo tempore, & Pharaon rex Ægypti, & reliqui eiusmodi. Cum ergò leones audis, bellicam virtutem, fortitudinem, & audaciam, imò & beluinos impetus, & summam ferociam, & intolerabilem violentiam oportet intelligas. Nam hac imagine diuina philosophia principes & reges, & viros maximè illustres, leones, vrsos, & serpentes, aspidemque appellat, non sine magna loquendi proprietate. Ezechiel propheta, vt magnorum virorum mores, & illustrium sceminarum ingenia exprimeret, in hunc modum aiebat. Quare mater tua læna inter leones cubauit, in medio leunculorum enutriuit catulos suos? Isai, etiã de felicitate temporum Christi Iesu vaticinatus, quãdo homines singulari immanitate, omni duritate, & crudelitate terribi, asperitate morum deposita, pari iure cum ouibus, & agnis, id est, cum hominibus infimis, & vulgaribus agere debuissent, in hunc modum aiebat. Habitabit lupo cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur. Notata sunt à viris sapientibus sto-

lida illa, & stultæ arrogantæ argumeta certissima, quæ à multis annis principes sibi vsurparunt. Nam cū insignia ostentat vrsorum, leonum, pardorum, serpentum, draconum, aquilarum, vulturum, gladiatorum, ignium, libenter fatentur talia se habere ingenia, qualia sunt illa, atrocia videlicet, rapacia, sæua, cruenta. Inquit ergò Eliphaz propriam sententiam explicans, [Rugitus leonis, & vox lænæ, &c.] Ac si dicat, huiusmodi homines, qui instar leonum sunt formidabiles, quasi rugitu, & tyrannide perterrefaciētes subditos (idē dixerim d̄ sceminis illustribus, quas appellatione lænæ intelligi arbitrator, & de filijs, quos leunculos, rectē dixeris, quia paternam crudelitatem imitantur) diuino iudicio, & vltione solent inuolui: ita vt eorum potestas, & nocēdi auiditas penitus conteratur. Sic etiã & ij qui in morem tigridis viuunt ex præda, defectu rerum necessariarum à Deo perduntur. Tecum ergò habitato lob, & cū animo tuo pertracta, nunquid scelere aliquo, nunquid sæuitia, & atrocitate propter opulentiã diuitiarum has immanissimas feras fueris imitatus, admonitus tam sæua plaga, tã atroci supplicio: desineq; tam licēter aduersus Deum obmurare. Neq; enim citra rationem solet ille, isthęc suæ iustitię exempla in homines proferre. ¶ Duo sunt in verbis Eliphaz quæ quæstionem videantur habere. Alterum est, Nunquid summam diuinæ equitatis prouidentiam deceat, insontes homines, & innocentes grauitè in hac vita corripere, an ita habeat res, quemadmodum iudicat Eliphaz, neminem à Deo corripì, nisi sceleris causa? Deinde, nunquid à recta iustitiæ lance declinet Deus, impiorum filios,

F & vxo-

Ezc. 19.

Isa. 11.

August. li.  
2. de ciui.  
cap. 8.  
Gregor.

Matth. 5.

Roma. 2.

& vxores cum sceleratis ipsis eodē conuoluens supplicio. Nam vtrāq; quæstionem attingit Themanites vir sapientissimus. D. Aug. primo libro de ciuitate Dei quæstionem priorē versat: & Magnus Grego. etiā super hunc librum. Est igitur Augustini sententia, diuinam bonitatem patiēter sustinere malos, quemadmodum eadem bonitas frequenter castigat bonos: vt illos ad pœnitentiam inuitet, hos verò ad pietatem, & cultū virtutis erudiat. Nam quid prohibet eum qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos, & iniustos, eos, qui expositam illius bonitatem contemnūt, & thesaurizant sibi iram, innumeris beneficijs cumulare: innocentes interdum, seueriori disciplina in officio retinere, ne in scelus, & peccatū aliquod prolabantur: ne virtus ipsa marcescat: ne magnitudine donorū in superbiam erigantur, & vt virtutis robur igne tērationis probetur? Ea enim est ratio diuinæ prouidentia, vt in præsentī, & bonis & malis ea quæ appellantur bona sint communia, nec secus ea quæ appellantur mala, vt duriores castigationes, & arocia supplicia. Nam vt boni, & mali in hac vita permixti sunt, & inter se confusi, ita neq; prouidentia ipsa diuina eos plenē distinguit.

Cupit enim hac ratione, & bonos erudire, vt parū de se sentiant, & malos inuitare, & allicere, vt ad virtutem faciant regressum. Nam post discessum ab hac vita mortali, vt nō erit inter bonos, & malos aut consuetudo vlla, aut commercium, vt confusi inter se non erunt, & nulla erit societas, ita etiam longē diuersa erit diuinæ prouidentia ratio erga vtrōsq;. Nam sunt in coelis reposita bona, quibus non fruuntur im-

pij, & sunt improbis hominibus reposita mala, quibus non afficiuntur iusti. Interim verò quod sagena hæc bonis piscibus, & malis plena est, voluit & bona & mala vtriusq; communia esse: ne vel bona ipsa ab hominibus iustis, quibus scelerati homines abundant, propensius amarentur, nec mala turpiter vitarentur, quibus boni plerūq; afficiuntur. Eorū ergo, quæ vel bona vel mala appellamus, vtilitas, siue nocumētum ipso vsu posita est. Nimiū enim refert, qua ratione vel boni vtantur malis, vel mali vtantur temporarijs bonis. Nam qui bonus, & optimus est, vt bonis temporarijs non extollitur, ita non frangitur malis. Malus autem ob eam rem infelici rerū successu premitur, quoniam prospera fortuna atq; florenti corrumpitur. Sed liceat in his distribuendis, siue bonis, siue malis, ad admirabilem diuinæ prouidentia rationem perspicere. Nam si in hac vita aperta scelus omne plecteretur pœna, nihil vltimo iudicio reseruari putaretur. Rursum, si nullum peccatum grauiori castigatione plecteretur, fortasse mortales arbitrarentur, nullā esse prouidentia circa res humanas. Similiter si non hæc temporaria bona impijs petentibus interdum admirabili munificentia concederentur, crederent fortasse, non esse diuinæ prouidentia proprium hæc bona concedere. Ad rem ergo reuertamur. Boni itaq; & mali, fontes atq; in fontes à Deo corripuntur, & castigantur contra sententiam Eliphaz: non tamen ob eam rem iusti, & iniusti homines distincti non sunt, quia ea mala non sunt distincta quibus vtrique afficiuntur. Est enim magna dissimilitudo inter eos qui his aduersis premuntur: quanuis in-

ter

rer aduersa ipsa maxima similitudō  
perspiciatur. Nām sub eodem igne  
aurum rutilat, palea fumat: sub eo-  
dem tribulo purgantur grana, pa-  
leæ comminuuntur: nec ob eam rē  
cūm oleo amurca confunditur, quia  
eodem præli pondere exprimitur.  
Ita vna eademq; afflictione, & mali  
Deum detestantur, & boni precan-  
tur, & laudant. Tantū interest,  
non qualia sed qualis quisq; patia-  
tur: vt pari motu exagitarum exha-  
lat horribiliter cœnum, & suauiter  
fragrat vnguentum. ¶ Iam verò al-  
tera illa quæstio paucis est à nobis  
excutienda, Nunquid iustè, atq; æ-  
qua ratione diuina prouidentia aut  
vxores, aut filios, quos appellatione  
leæne, & leunculorum expressit  
Eliphaz, iure cum ipsis tyrannis, &  
impijs, & sceleratis simili inuoluan-  
tur supplicio? Et primò quidem, sen-  
tentia, & iudicium Eliphaz viri sa-  
pientis aduersum se videtur pugna-  
re. Est enim illius iudicium, Deum  
Optim. Maxim. neminem nisi pro-  
pter propria scelera afficere suppli-  
cio: Deinde verò cūm rem proposi-  
tam eleganti illa metaphora ampli-  
ficaret, contrarium significare vide-  
tur, cūm videlicet leænas atq; leun-  
culos commemorat. Nam quo pa-  
cto vel ratio ipsa vel æquitas patia-  
tur, vt diuina prouidentia, aut im-  
piorum hominum liberos, aut vi-  
rorum qui aliquo sunt scelere con-  
taminati, vxores, & familiam per-  
dat? Sed in arcanis litteris vnde cer-  
ta ratio diuinorum consiliorū sem-  
per petenda est, illud multis est ex-  
plicatum exemplis, maiorum videli-  
cet scelera grauissimas frequenter  
in res publicas, & proprias familias  
intulisse clades. Nemini obscurum  
esse possit, quā duris castigatiōni-  
bus gentem Ægyptiorum magnus

Exod.

ille Deus afflixit, & non tantūm re-  
gionem illam, sed & peculiari ratio-  
ne regiam ipsam domum propter  
Pharaonis duritiam, & stuporem  
mentis: quæ excitauerit incendia in  
populum Israëliticū maiorum im-  
pietas, & ad alienas religiones per-  
nitiosa defectio. Sed illud inter cæ-  
tera antiquitatis exempla accōmo-  
datissimum mihi viderur ad rē ex-  
plicandam, quod secundo reg. legi-  
mus de sancto Dauide, cui propter  
Israëliticæ gentis censum illius im-  
perio factum, prædictum illico fuit  
à propheta, expiandum fore hoc fa-  
cinus non tantūm à rege, verū e-  
tiam à populo, vel fame publica,  
vel hostium victoria, aut certè pesti-  
lencia grauissima. Idem dixerim de  
peccato grauissimo Bersabeæ atq; 2. Reg. 116  
Vriæ, quod in regiam familiam per-  
latum est. Magnus Gregor. propo-  
sitam quæstionem sic absoluit. Con-  
tingit frequenter (inquit ille) vt  
principum, & eorum, qui reipubli-  
cæ aut singularibus domibus præ-  
sunt, actiones, & consilia iuxta ra-  
tionem meriti eorum quibus præ-  
sunt, disponantur. Vt enim subdi-  
torum egregia opera nunquam de-  
bitis fraudantur præmijs, atque in-  
ter cætera beneficia illud potissi-  
mū illorum virtuti, ac pietatis  
studio impenditur, quod bonis, &  
optimis bonus etiam princeps, &  
pater familias decernit: non secūs  
cūm subditi atq; inferiores multis  
sunt sceleribus implicati nefario  
cuiuspiam traduntur ducendi, & gu-  
bernandi: vt qui alioquin bonus ef-  
set vir, & ad moderandam repub.  
& familiam aptus, propter intole-  
rabiles inferiorum impietates, eam  
mentis vesaniā incurrat, vt omni  
se scelere contaminare non dubitet.  
Quemadmodum ergo optima Rei-  
publ.

2. Reg. 116

2. Reg. 116

Greg.

F 2

publ.

publ. siue domus institutio, & principis, siue patris familias erga virtutis cultum assiduitas, & diligentia, à subditorum meritis nascitur: ita etiam omnis pietatis neglectus eorum sit sceleribus deputandus, qui aliorum sunt imperio subiecti. Sanctus propheta Ezechiel inquit. Quid est quòd inter vos parabolá vertitis in prouerbiu istud in terra Israël dicentes? Patres comederunt vnam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. Viuo ego, dicit dominus Deus, si erit vltra vobis parabola hæc in prouerbiu in Israël. Ecce omnes animæ, meæ sunt: vt anima patris, ita & anima filij mea est: anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Et paulò procùl. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. Insimulabat ergò populus Israëliticus diuinæ prouidentie consilia atque rationes, quasi ab omni æquitate longè essent remotæ. Non est æqua, dicebant illi, via Domini: qui insontes filios pro nefarijs parentibus, & propter maiorum peccata castigat. His ergò respondet propheta. Non est, o viri Israëlita, quòd summi Dei curam, & prouidentiam rerum humanarum stultè damnetis: nam neq; patres filiorum iniquitates portabunt, &c. Sed ad explanationem huius oraculi illud est obseruandum, quòd diuina prouidentia non vna tantum ratione, aut consilio, ad castigandum procedit: corripit ille interdum vt pater ad reuocandam filiorum indolem dubiam, & peiori loco positam: graui supplicio nonnunquam animaduertit in homines innocentes, vt illos probet ac tentet: interdum iudicis officio fungitur, cum hominum im-

pietates in supplicium vocat. Cum ergo eodem supplicio inuoluit, & impios & innocentes, aliquid est in ipsa castigatione quòd supplicium, aliquid etiam quòd remedium sceleris possit appellari: vt in superioribus ex D. Augustin. exposuimus. Nam si à iusto homine vitam, atq; ipsas vitæ vsuras omni tempore ac loco potest repeterc, videre non possum, quare cum impijs Sodomitis, & Ægyptiorum gente, iustos & infantes & innocentes interimere non potuerit: si inter illos fingamus, quædam deprehendisse omni scelere vacantem: quòd prorsum credendum non est. Vt enim nefarijs hominibus, postremus interitus in pœnam, & supplicium, ita etiam & innocentibus, non est in pœnam deputanda mors. Nam poterat illis Deus vitam eripere, vel ægritudine grauisima, vel ardenti febre, vel aliquo alio morbo grauiori, citra iniustitiæ notam. Itaque cum à pueris, quibus adhuc per ætatem peccare non licet, vitâ reperit, aut à malis eripit venturis, aut ad meliorem vitam transfert. Sicut apud nos qui sacro baptismate sunt inaugurati, ita olim per circumcisionem ad veterem religionem admissos enecabat, & leuissimo profectò cruciatu ad meliorem vitam transferebat, omni sensu acerbitalis vacantem. Imò neque si in supplicium, & pœnam infantibus inferret mortem propter antiquum facinus à primis parentibus contractum, non video, quàm iniustitiæ notam diuina prouidentia incurreret. Sed tota oratio Eliphaz in eum sane finem decurrit, vt ostendat liberos Iob, totamq; familiam funesta fuisse morte peremptos, atque illius vxorem ad postremam fuisse redactam inopiam:

piam: (quos appellatione leunculo-  
rum, & leonæ, & tigridis extulit)  
quòd peccata parentis atque mari-  
ti fuissent imitati. Tùm præterea,  
quòd (quemadmodum frequenter  
videmus contingere,) foeminis sua-  
dentibus solent viri grauisima  
quæque patrare flagitia, vt de vxore  
Herodis constat. Et quæ poten-  
tes homines, & tyranni per sum-  
mam impietatem congefere, solent  
liberi stultè, & luxuriosè consume-  
re: atque ipsa parentum rapina, &  
tyrannide, vehementer delectan-  
tur. Ob eamque rem Eliphaz vir  
fapiens non se proprio telo iugul-  
lat, vt videbatur. Neque enim il-  
lius sententia erat, innocentes filios  
propter parentum flagitia puniri,  
quin potius aduersam ruetur: sed  
eo consilio hæc dicuntur ab Eli-  
phaz, quasi opes illæ, quibus vsque  
ad miraculum abundabat Iob, ex  
tyrannide, & rapina fuissent con-  
gestæ, & quasi vxor & liberi ca-  
dem tenerentur sceleris immanita-  
te, atque ita eodem fuissent inuo-  
luti supplicio. In hunc penè mo-  
dum, iuxta sententiã Eliphaz The-  
manitæ. Diuus Hieronymus lo-  
cum Ezechielis interpretatur, &  
quæstionem explicat de innocentibus,  
& filiis, qui maiorum imitan-  
tur peccata, ita vt ab illis pœnas ex-  
poscat, & grauisima supplicia, qui  
eisdem sceleribus tenentur, quibus  
& maiores. Estque illius doctrina  
appositissima ad explicandum o-  
raculum. Docet enim eo loco spi-  
ritus cœlestis, gentem Israëliticam  
non tantum maiorum exemplo pec-  
cauisse, sed & fuisse omnes multis  
sceleribus coopertos. Huc spectat  
quod dicitur, anima quæ peccaue-  
rit, ipsa morietur. Ex his igitur col-  
lige, esse peccata quædam, quæ

constant exemplo, & imitatione, at-  
que esse peccata quædam propria,  
quibus minores maiores incitant ad  
peccandum, vel se ipsos in omne ge-  
nus flagitij præcipites dant: atque  
his sceleribus sunt accommodandæ  
sententiæ Eliphaz, & Hieronymi  
de supplicijs & pœnis. Sunt sup-  
plicia quædam, quæ non sunt ap-  
pellanda supplicia, vt in superiori-  
bus. Et vide quo pacto singula di-  
sponantur iuxta arbitrium diuinæ  
prouidentie, vt diximus.

**P**orrò ad me dictum est verbum  
absconditum, & quasi furtiuè  
suscepit auris mea venas susurri-  
us. In horrore visionis nocturne,  
quando solet sopor occupare homi-  
nes, pavor tenuit me, & tremor, &  
omnia ossa mea perterrita sunt.  
Et cum spiritus me presente tran-  
siret, inhorruerunt pili carnis mea.  
Stetit quidam, cuius non agnosce-  
bam vultum, imago coram oculis  
meis, & vocem quasi aure leonis  
audiui. Nunquid homo, Dei com-  
paratione iustificabitur, aut factore  
suo purior erit vir? Ecce qui ser-  
uiunt ei non sunt stabiles, & in an-  
gelis suis reperit prauitatem.  
Quantò magis hi qui habitant do-  
mos luteas, qui terrenum habent  
fundamentum, consumentur veluti  
à tinea? De mane vsque ad vespere-  
ram succidentur: & quia nullus  
intelligit, in æternum peribunt.  
Qui autem reliqui fuerint, aufe-  
rentur ex eis: morientur & non in  
sapientia.

Mar. 6.  
Matth. 14

Ezcc. 18.

Dixerat Eliphaz ; sanctum Iob propter occulta scelera cum liberis, totaque familia in tam aduersam, atque iniquam fortunam incidisse, atque exemplis, & veteri consuetudine, & rerum vsu rem propositam firmabat, neminem videlicet duriori aliqua castigatione à Deo corripi, nisi sceleris cuiuspiam causa. Et quoniam res difficilis erat, & quæ maiori egeret auctoritate, quam humana, vt indubitata fidem faceret his, quæ dixerat, à diuina reuelatione, quæ falli non potest, argumentum sumit. Dubitarunt tamen viri sapientes, an ea quæ Eliphaz de sublimium rerum reuelatione proponit, fuerint ab eo falsò conficta, an ita res habuerit, quemadmodum ille inquit. Et quidem si singula excutias verba propositæ reuelationis, nihil fortasse deprehendas, quod à veritate declinet, aut cum ipsa ratione pugnet. Quocirca ab ipsa verborum serie colligi non potest eius reuelationis falsitas. Potuit itaq; diuino beneficio, infusa parte aliqua cœlestis luminis, has theologiæ arcanas rationes accipere. Nā q̄ reuelatione sibi cœlitus facta abutitur in detrimentum alieni nominis, & contumeliam viri sanctissimi, nihil profectò demirandum sit: cum peruersus prophetiæ vsus non eleuet auctoritatem prophetiæ: neque sinistra reuelationis interpretatio sit iudicium certissimum, & argumentum euidentis falsæ reuelationis. Illud enim omnium theologorum cōsensu certissimum habetur, posse vatem post acceptum propheticum lamen, & præsentionem aliquam de futuris rebus, in alios sensus vaticinum trahere longè ab ipsa veritate, & consilio diuino diuersos. Ergò si

ue verum fuerit hoc oraculum, siue falsum, parum refert, dummodo rectè intelligamus, quæ à Themanite viro sapiente dicuntur. Et quoniam varia est prophetiæ ratio, neque vna tantum ratione spiritus ille cœlestis humanis illabitur mentibus: interdum apertè prophetis reuelantur quæ sunt ipsa diuina prouidentia occulta: interdum verò per ænigmata quædam, & per obscure: vt Eliphaz significaret, ea de quibus dicturus est, non aperta visione accepisse, sed occulta, ait. [ Porro ad me factum est verbum absconditum. ] Triplex autem est occultæ reuelationis genus: quorum primum est, cum res diuinæ atque sublimes prophetæ reuelantur imaginaria aliqua visione, & quasi simulacro inclusæ. De quo prophetiæ genere dicitur lib. Numer. Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illū. At non talis seruus meus Moses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei: & palam, & non per ænigmata, & figuras dominum videt. Accipiebat ergò Moses verbum absconditum: hoc est, occulta diuinæ prouidentiæ consilia intuebatur. Eliphaz verò in modum susurri, hoc est, non admodum apertè, neque clarè. Est alterum occultæ prophetiæ genus: quando videlicet quidpiam audit vates figuratis locutionibus quasi inclusum, quod ex vaticinijs Isaïæ facile poterit explicari. Nām cum Isaï, audiuit Spiritu sancto verba suggerente, Ecce virgo cōcipiet, & pariet filium, &c. apertam vtique veritatem accepit, nullis figuratis loquutionibus abditā. Cum verò de exortu Christi vaticinatur in hūc modū,

Egre-

Cap. 12. 6.

Isai. 11.

Egredietur virga de radice Iesse: si iurata utique locutione, & occultiori percepit propheta quasi venas huius diuini susurri. Sunt enim figuratæ loquutiones, quasi venæ quædam, quæ ab aperta veritate tanquam à fonte deriuantur. Atq; hoc fortasse Eliphaz significare voluit, cum dixit, [ Venas susurri eius. ] Tertium genus oculi vaticinij est, cum lux illa diuina, quæ mentem collustrat ad percipiendas sublimiores res, subito influxu, & quasi repentino prophetica mentem attingit, & excitat: ita vt ipsa occultarum rerum cognitio illi subito eripiatur, neque diutius maneat. Hac verò ex parte sublimem iudicamus Mosis prophetiam, quòd quemadmodum docet scriptura, fuerit diuturnior. Igitur quoniam lumen illud cœlitus in animum Themanitæ infusum, subito illum tetigit, nec diutius illius animo aut mente permansit, rectè dixit [ Quasi furtiuè. ] Deinde, quoniam varix sunt facultates intellectrices huius diuini doni capaces, varia etiam vel ex hac parte debeat esse occultationis ratio. Nam interdum propheta inquirunt se vidisse quidpiam: nonnunquam verò tetigisse: frequenter etiam audiuisse se aliquid: ac postremò, intellexisse. Inter hæc prophetiæ genera, illud excellentius atque sublimius habendum est, quòd ad mentem intellectumque pertinet: quale fuit genus illud prophetiæ, quòd Dauidi, & Mosis omnium penè consensu tribuitur. Proximum verò gradum tenet illud vaticinandi genus, quòd facultati videndi tribuitur. Nam vt hic sensus apertius de rebus iudicat, & magis est rationi proximus: ita etiam & illud pro-

phetiæ genus, quòd Visio appellatur. Deinde, quoniam auditus ab ipsa rationis arce non nihil relegatus est, nec tam aperta est huius sensus cognitio: facile cernitur, illud prophetiæ genus, quòd auditui accommodatur, aliquantulum esse obscurius. Infimum verò locum tenet illud genus prophetiæ, quòd tactui inertiori sensui accommodatur. Themanites ergò, quò ab ipsa facultate excipiendi diuinum donum occultam fuisse reuelationem significaret, aurem commemorat, dicens: [ Et suscepit auris mea. ] Magnus Gregorius, vt mihi videtur, omne prophetiæ genus susurrum dici arbitratur: vt susurrus apertæ visioni opponatur. Est enim aperta diuinitatis visio. De qua Christus apud Ioan. Palàm de patre meo annuntiabo vobis. Et Ioann. Videbimus eum sicuti est. Paul. etiam. Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum. Igitur quoniam imbecillitas humanæ mentis, interim quòd mole corporea premitur, sustinere non potest illius lucis infinitam copiam: Deus ipse quasi per rimas contemplationis quædam indicat, quæ tamen non loquitur, sed susurrat. Neque enim humanis mentibus plene intimat lucem illam, sed potius pauca quædam manifestat. Et [ venas ] ille refert ad ea opera Numinis, quæ ipsa rerum vniuersitate cernuntur. Diuinus susurrus ( inquit ille ) tot habet venas, quot creatis rebus ipsa diuinitas præsidet. Nemo enim sit, qui hæc rerum venustate, & orbis pulchritudine conspecta, non vehementer admiretur artificis bonitatem, potentiam, sapientiam. Vt enim aqua leniter fluens ducta per venas, tanto

D. Greg.

Ioan. 16.  
1. Ioan. 3.

1. Cor. 13.

D. Greg.  
lib. 5. moral. ca. 20.

se latius fundit, quando vias aperiores inuenerit: ita & nos, dum studiosè diuinitatis cognitionem à contemplatione vniuersitatis rerum colligimus, quasi venas sulfurii cuiusdam diuini aperimus, dum opera Creatoris admiratione quadam excipimus, & per ea quæ sunt in publico, in mentes nostras deriuantur ea, quæ sunt in occulto. Hæc ferè Gregorius. Sed superior illa sententia magis mihi videtur litteræ consentanea. ¶ Excitantur autem prophetarum mentes in contemplatione rerum diuinarum, aut per quietem, aut per vigiliam. Sed illud prophetiæ genus, quod per vigiliam absoluitur, præstantius multò, & excellentius habendum est. Maior enim prophetici luminis copia exigi videtur ad auocandos sensus exteriores, ac proinde mentem ipsam occupatam, atque implicitam rerum multarum cognitione ad diuinas veritates perspiciendas, quam soluta mente, & minime præpedita per quietem. Et tamen frequentius spiritus ille cælestis prophetarum mentes per quietem, & somnum excitat, quam per vigiliam, obseruata videlicet temporis opportunitate. Nam est per quietem ipsam animus omnibus curis solutus: est auocatus à sensibus, & quasi in secessu, & extra rerum tumultus, & strepitum constitutus. Ipsam ergò temporis opportunitatem significauit Eliphaz, cum dixit, [ In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines. ] Et, vt habitum prophetiam excipientis etiam exprimeret, adiecit, [ Pavor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt. ]

Sic enim solent prophetae, cum illorum mentibus radius aliquis diuinæ lucis infunditur, vehementer agitari, & commoueri, & corpore interdum, & animo concidere: Vt Ioann. euangelista, cum in Apocalypsi, conspectis septem candelabris, atque homine illo spectandæ autoritatis inter candelabra diuersante procidit illico ad pedes eius. Quòd si corpore id factum fuerit, siue potius interna mentis imagine, & cognitione, parùm refert. Illud tantùm animaduertendum est, quòd diuini vates cælesti lumine excitati ad percipiendas res diuinas, cum ad hoc tantùm inuitantur negotium, humanis viribus deficientibus corruunt illico, atque procumbunt. Ezechiel conspecta illa horrenda visione quatuor animantium, postquam vidit etiam cælos apertos in faciem suam cecidit. Daniel, ad angelum, qui illum alloqueretur, dixit in hunc modum: Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium, sed & halitus meus intercluditur. Is itaque horror, hæc vehementior totius animi corporisque commotio, qui frequenter prophetas occupabat, apertum erat argumentum non tantùm imbecillitatis humanæ mentis, verùm etiam, & profundæ ignorantie. Fit enim necessariò, vt in tanta diuini luminis copia, & seipsam agnoscat, & propriam ignorantiam, & infirmitatem fateatur, quæ exiguo tantùm rationis lumine illustrata, istarum rerum profunda ignorance tenetur. Explicat autem in sequentibus causas huius tanti horroris, & formidinis. [ Et cum spiritus (inquit)

Apoc. i. d

Ezec. a.

Dan. io. c.

me



me præfente transfret, inhorruerunt pilli carnis meæ. ] Satis enim est rationi consentaneum, cum virtus aliqua præstantior, & excellentior adest, quæ minor est, & imbecillior, profum obstupescat. Quis verò non intelligat, quanto sit potentior spiritus cælestis virtus carne ipsa, quæ sua natura est infirma, atque inertissima? Nam quòd illa non pauer, neque reformidat ad ipsam animi, & mentis præsentiam intimam, tribuendum utique, & sapientiæ summi opificis, & longilimæ etiam consuetudini, quam cum animo menteque habet ab ipsa coagmentatione, tum præterea, tam potenti charitatis nexui, quo Diuina sapientia hæc duo inter se colligauit carnem videlicet, & spiritum. Nihil ergò mirum, si cum adest cælestis spiritus virtus, infirma caro, & imbecilla tantopere reformidet, & concuriatur. Sed & illud aduertendum est, prophetas omnes interdum vehementer perturbari, & corpore, & animo propter horrendas quasdam visiones, & rerum insolentes facies, quæ possunt grauem metum concutere. Nam solent res nouæ, & insolentes, vt admirationem, ita etiam grauem formidinem afferre, præsertim si noctu perspiciuntur, vbi & ipsa temporis ratio per se potest grauem excitare timorem. [ Stetit (inquit) quidam, cuius non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis. ] Pertinent hæc verba ad explicandam certitudinem visionis huius. Nam somnia quædam, quæ natura ipsa nobis dormientibus of-

feruntur, ab ipsis rebus, colloquijs, & consuetudine, quæ in vigilia aut agere contigit, aut videre, sunt collecta. Frequenter enim, vt rerum vsus docet, & a summis philosophis proditum est, de eis rebus per quietem cogitamus, & earum imagines cernimus, quas vigilantes, & animo, & mente excepimus. Sunt etiam insomnia quædam à superiori aliqua natura iniecta: quemadmodum prophetica insomnia, quæ plurimum habent euidentiæ, & significationis. Nam quæ ab ipsa natura proficiscuntur, videre non possum, quibus ex causis rationes habeant arcanas, aut occultas. Cum ergò eæ rerum facies nobis per quietem sese offerunt, quas vigilantes conspeximus, facile illas agnoscamus. Vt ergò Eliphaz significaret, insomnia illa superiorem aliquam, & cælestem habuisse causam dicit, se non agnouisse illius vultum. Quod autem sequitur. [ Imago coram oculis meis. ] Non ad vigiliam, ( vt ego arbitror ) referendum sit, quasi vigilans hæc rerum simulacra conspexerit, non per quietem: cum, vt ego iudico, contrarium videatur significare. Et tandem inquit, [ Et vocem quasi auræ lenis audiui. ] Nam istiusmodi reuelationes fiunt interdum spiritus cælestis præsidio. Nonnunquam verò dæmonis ludificatione. Sed cum spiritu cælesti suggerente & rerum imagines ministrante istiusmodi visiones contingunt, sequitur semper graues illos timores, atque formidines internum quoddam ac pla-

ne diuinum consolationis genus.

Apoc. 1. d. Sic Ioanni loco adducto, conlternato, & in terra procubenti, manus admouetur dextra senioris illius; qui Ioannem ex munere instruebat; & audit, Noli timere. Iddem dixerim de Daniele: & de Gabriele archangelo, qui Zachariam pabre conlternatum, & Virginem etiam sanctissimam conlatus est. Contra verò cum dæmonis ludificatione efficiuntur hæ visiones, horror quidam & metus, & anxietas intolerabilis mentem occupat. Vt ergò Eliphaz, vel hac ratione ostenderet visionem illam non fuisse mendacem, neque à dæmone confictam, sed cœlestem potius, ac planè diuinam, dicit se audiuisse vocem quasi auræ cuiuspiam lenioris. Scio, prophetas sacros interdum audiuisse commotiones magnas, & voces, & tonitus horrendos, vt Ezechiel audiebat voces, quasi sonitus aquarum multarum ex alto se præcipitantium; & Ioannes, vocem tubæ. Sed sonitus illi horrendi ad graues pertinebant comminationes, & graua quædam pericula futura præ se ferebant. Vt igitur Eliphaz, genus prophetiæ diuinam fuisse declarat, & totum consolationis plenum, vocem se audiuisse affirmat quasi auræ lenis, hoc est, blandioris, & magnam adferentis consolationem. Vt de visione Helix legimus, post commotiones magnas sibilum auræ tenuis se audiuisse. Hæc autem sunt, quæ per reuelationem accepit Eliphaz. [ Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir? ]

3. Reg. 19. c. Exposita ratione, & gradu prophetiæ explicat secundo loco, quale fuerit oraculum quod diuina

reuelatione accepisset. Illud autem declarat ea ratione, vt quasi tribus argumentis aut collectionibus euincat, neminem à Deo corripit duriori aliqua castigatione, nisi sceleris cuiuspiam causa.

Primum argumentum sumitur à comparatis. Confert enim Eliphaz hominem cum Deo, & vtriusque iustitiam inter se componit, vt hac collatione facta euincat. Inquit ergò. [ Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur? ] Oportet autem, totam argumentationem in hunc modum colligamus. Si Deus hominem quempiam citra culpam delicti grauiori pœna corripere, necessarium esset dicere, hominem esse Deo iustiorum, quod asserere impium esset, ac prorsus nefarium. Nam cum sit iustitiæ munus, cuique quod suum est tribuere, si Deus in hominem innocentem grauiori pœna animaduertat, (nullus autem hominum est, qui de altero supplicium sumat citra notam delicti, modò sit iustitiæ cultor, & sit æquitatis obseruantissimus,) Deo iustior esset homo. Aut alia ratione argumentum possis sumere. Deus iustior homine est, nec quispiam esse possit, qui de iustitia, & æquitate cum Deo certare possit: sed nullus hominum est, cui sit cordi iustitia, qui in hominem insonem animaduertat, multò ergò minus Deus ipse, qui æquitate, & iustitia, tot modis iustissimos quosque inter mortales excellit. Adductum argumentum confirmare videtur Eliphaz, conferendo inter se diuinam puritatem, & candorem cum candore illo, qui humana mente deprehendi potest: inquit enim. [ Aut factore suo purior erit vir? ]

Vna

Vnaquæque res inde puritatem habere videtur, aut eam rem puram iudicamus, quæ optimè secundum naturam viuit, quàm accepit ex suis causis: Pendet igitur cuiusque rei puritas à suprema causa effectrice: non ergò puritate ipsa superiorem causam vllò pacto excellere possit: Excelleret autem, si ipsa iustitiæ executione, & functione iudicis, ac prætoria Deus hominem innocentem in pœnam deposceret. Non igitur o Iob à summo Deo, & æquissimo iudice tam grauer affligeris citra aliquam sceleris causam, aut sine nota criminis. Nemo autem est qui ambigat, quanta sit diuina æquitas: quàm nulla sit humana iustitia: quo pacto si cum illa conferatur, iniustitia sit habenda. Quod ij facile acie mentis intuentur, qui diuino lumine collustrantur, vt Eliphaz: qui raptus in contemplationem exactius intellexit, neminem Dei comparatione posse iustificari. Nemo enim de ipsa lucis pulchritudine statuere possit, qui quantum sit tenebrarum horror prorsum ignorat. Rursum, nemo possit probe tenere quantum sit tenebrarum horror, qui ipsam lucis pulchritudinem nunquam oculis perspexit. Is enim tantum scit quid de tenebris sit æstimandum, qui lucem intuetur. Qui enim candorem lucis ignorat, ea quæ sunt horrida, & inculta fulgentissima iudicat. Eliphaz itaque, qui altiori illa reuelatione radium aliquem diuinæ lucis animo concipiebat, iudicabat de rebus vt iudicandum est, & singulis suum precium reddit. Ob eamque rem quasi media Solis luce constitutus, humanæ iustitiæ lu-

cem quasi exiguam lucernam æstimat: quæ tametsi in tenebris fulgeat, in lucem Solis producta ob tenebratur. Sciebat enim Deum toto naturæ ambitu præcipuam esse, atque fulgentissimam lucem, totiusque facultatis cognitiuæ supremum obiectum. Omnis enim cognitiua facultas in Deum nititur tanquam in proprium obiectum, & lucem, & in destinatum sibi finem, vt potè à quo deriuetur omnis ratio scientiæ, atque sapientiæ, tanquam à primo fonte, primaque origine. Huius autem lucis siue luminis duas molitus est creaturas capaces, tanquam duo totius naturæ lumina, hominem scilicet, & angelum. Quemadmodum enim duæ sunt species lucis, vt proditum est à summis philosophis, lumen & umbra: ad eundem modum, duas ille condidit species lucis, hominem scilicet & angelum. Refert autem angelica natura speciem lucis præcipuam, nempe lumen: animus autem humanus alteram illam, de qua diximus, umbram scilicet. Et quod diximus de duabus naturis, iddem etiam statuendum de duabus scientijs, & cognitionibus, humana & angelica. Angelica proinde cognitio primam lucis speciem in Deo cognoscit, atque cognitione ista cætera omnia altissima quadam, & præstantissima cognitione comprehendit: animus autem humanus, multa quidem cognoscit, sed in umbra, quæ à prima lucis specie veluti deriuatur. Quemadmodum enim lux umbram præcedit, ita etiam, & angelica natura, scientia & cognitio cognitionem humanam. Omnis ergò humana cognitio de rebus præsertim sublimioribus, & quæ nostræ naturæ angustias,

& li-

& limites excedunt, necessum est, vel à Deo ipsa proficiscatur immediatius, quemadmodum cognitio angelica, vel ab angelica scientia tâquam à prima lucis specie deriuata. Exactè igitur cognouit Eliphaz, quanta sit hæc diuina puritas, si ad puritatem humanæ mentis exigatur. Satis enim ostendit, cum inquit, [ Aut factore suo purior erit vir? ] Quo pacto ipsa consideratione diuinæ magnitudinis, atque æquitatis discitur, quanta sit diuina iustitia, cum in quæmpiam mortalium grauer animaduertit. Nam qui superna dona degustat, pondus castigationis æquo animo tolerat, quia plene ipsa diuina luce intus concipit, quantum à vera rectitudine declinent externæ actiones. Nam qua ratione de propria rectitudine statuere possit, qui summæ rectitudinis regulam profus ignorat? Contingit frequenter, humani corporis oculos lignum rectum iudicare: quod tamen, si ad rectissimam regulam exigatur, nullo labore illius obliquitas apprehenditur: ac proinde ipsa rectitudo increpat, quod oculus approbabat humanus. Sic dicendum de humana puritate, & candore. ¶ Alterum argumentum sumitur etiam à comparatione hominis cum angelorum natura. [ Ecce (inquit) qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem. ] Hic vnus locus est, vnde ecclesia catholica, atque sacrarum litterarum interpretes innumeras pene quæstiones expressere, de creatione angelorum, de illorum natura, de libero arbitrio, de miserabili casu. Hoc itaque docet fides, docet Christiana religio, angelos omnes simul à Deo fuisse conditos, quorum a-

lij propria culpa cecidere, alij verò ardenti charitate suo adhæserunt auctori. Difficilius autem, vt videtur, humanus animus adducitur ad credendum Angelicam naturam potuisse aliquo scelere infici, & ab officio & Dei cultu declinare potuisse: duabus ex causis: altera sumitur à facultate intellectrice, & contemplatiua vitæ; altera sumitur ab angelorum actionibus, siue vitæ actiua. Et vt de illorum facultate intellectrice, priori loco differamus: vt à summis philosophis proditum est, omnis mutationis causa, est id, quod tota natura appellatur potentia. Nam si quidquid rerum ipsa vniuersitate perspicitur, actus esset nulla admixtus potentia, nulla profectò esset mutationis causa. Ea igitur voluntas siue appetitio quæ extra omnem potentiam est, nulla ratione poterit demutari. Talis est diuina mens. Cæterum singula quæ à Deo condita sunt, cum necessario arbitrij delectu, eò magis ab omni agitatione, & inconstantia motus discedunt, quò proximè accedunt adconstantiam illam, & firmitatem diuinæ mentis. Quo circa cum intellectus, siue facultas intellectrix in angelis potentius Numini hæreret, tanquam quæ altius & sublimius diuinam illam naturam contempleretur, cæteris omnibus creaturis, etiam hominibus firmiores esse necesse sit. Et tamen ab hac firmitate, & constantia, quæ propriæ erat naturæ consentanea cecidere. Alterum argumentum sumitur ab actionibus angelicæ naturæ. Nam si finem attendas, cuius causa sublimes illæ mentes ad terras mittuntur, nullus alius profectò sit, quàm optima moderandi res humanas ratio.

Nam

Nam diuina prouidentia, quæ æquissimo ordine singula disponit, res humanas, & inferiora hæc felicitium mentium atq; sublimiū ministerio disponit. Sunt ergo angelicæ mētes diuinæ nature magis cōiunctæ, maiorēq; cū illa habent affinitatē. Id autem quod supremæ rectitudini propinquius est, minus debeat habere obliquitatis in suis actionibus: tales sunt angelicæ mentes: Plurimū ergo habet admirationis, quod supremi illi spiritus à rectitudine aliquando declinarint. Magnus Gregorius priorem huius periodi partem ad eos angelos refert, qui iam in omne æuum felices sunt, alteram verò ad eos, qui propter peccatum cælo fuerunt derurbati. Quod ergo Eliphaz inquit de instabilitate angelorum, sic interpretandum iudicat: vt angeli, etiam qui diuinam naturam aperte intuentur, appellentur instabiles. Nam cō quod creaturæ sunt, plurimū mutabilitatis habent. Dicit autem, hanc in constantiam naturæ angelos vicisse, quod potentissimis amoris, & charitatis vinculis cum autore suo sunt colligati, & quasi constricti. Hebræa videntur sonare. [In suis ministris nō firmum opus retinuit, angelisque suis indidit vāsaniam.] Sic etiam legunt quidam Hæbræorum, [Angeli Deo collati videntur insipientes.] Sensus videtur esse ex Hebræo: In angelis suis non posuit veritatem, neque in angelis suis posuit lucem exactissimam: Ac si dicat: Angeli non sunt creati à Deo in omnimoda veritate, siue perfectissima: quia cum Deo collati, sunt veluti tenebræ. Quocirca statuendum est, omnem creaturam, si iuxta propriam naturam consideretur, peccare posse: & quæ peccare non

potest, id habet diuino beneficio, & gratia. Huius ratio est, quia peccare est, à necessaria declinare rectitudine. Quod omnibus in rebus, siue quæ natura existunt, siue quæ arte conficiuntur, siue quæ ad mores formandos spectant, verum habet. Is tantum à necessaria rectitudine declinare non potest, cuius virtus atque facultas est ipsa rectitudinis regula. Nam si artificis manus certissima esset regula incisionis, profectò lignum dissecando, nunquam à rectitudine deuiaret.

Quo fit, vt quoniam rectitudo ipsa in incisionibus alterius regulæ ægeat adminiculo, contingat frequenter, & incisionem esse rectam, & obliquam. Sed quoniam voluntas Numinis sola est suarum actionum certissima regula, solus ille est, in quem prauitas siue obliquitas cadere non possit. Cæterum creaturæ omnes, quia ab illa superna regula, & æterna rectitudine declinare possunt, fit necessario, vt quantumuis perfectæ, & absolutæ sint, si suis viribus reliquantur, peccare possint. Hoc igitur argumento sancto viro suadere conabatur, mentis in constantia aliquando à diuinis legibus defecisse. Si illi spiritus esse incommutabiles nequeunt, qui nulla carnis infirmitate deprimuntur: magna profectò temeritate ò Iob in bono semper te permansisse constanter existimas. ¶ Secundo propter negligentiam, & incogitantiam proprii status homines frequenter in peccatum labuntur, & inter stultos iure computantur.

Sed est longè difficilimum, hominem probe tenere, an ad cæcum stultorum pertineat, an potius ad sapientium numerū. Difficilimū etiā, proprium statum, & naturæ inconstantiam

Gregor.

stantiam ita mente habere defixam, ut nunquam ab illius contemplatione animum dimoueas. Iniuria ergo ò Iob, propter pericula in quæ incidisti, cum Deo expostulas.

¶ Postremum argumētum sumitur ab imbecillitate humana. [Quantò magis (inquit) qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tineæ? De mane vsq; ad vespertinam lucebantur:] Id quod de domibus luteis Eliphaz postremo loco dicit, non tam de his domibus externis, humanis manibus extractis, quàm de corporea mole, aut corporis domicilio accipiendum est. Est enim humanum corpus vili materia compactum: sumptum enim est (ut inquit Moses) de terra, atq; ex rubenti argilla deductum. Formauit Deus hominem (inquit Moses) de limo terræ, &c. Frequens est in scripturis

Gen. 2.

2. Cor. 4. b

2. Cor. 5. a

Chaldæ.

Plato in Cratylo. Origenes.

sacris hic loquendi mos. Hinc Paulus, Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Et scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam æternam in coelis. Chaldæus habet, Quantò magis impij, qui habitant in sepulchris luti. Qui etiam significare videtur, id quod Plato in Cratylo, vel de recta nominum ratione dixit, & retulit Origenes in libris Periarcho: humanum corpus esse dictum *σῶμα*, quasi *σῆμα*, in quo animus ipse tanquam septo valloque claudatur, velut in carcere quodam: Et animam ipsam arbitratur dictam *ψυχή* ob eam rem, quod hæc quoties huic sepulchro adest, causa est illi viuendi, respirandi, & refrigerandi vim exhibens. Vnde cum hæc desierit in corpore esse, dissoluitur illico, &

interit. Terrenum autem fundamentum fortasse vel propter corpus dictum est, vel (ut ego iudico) propter ossa ipsa: quibus tanquam fundamentis totum corpus innititur.

[Consumuntur velut à tineæ, de mane vsq; ad vespere succidentur?] Non vna tantum ratione, mortalis homo possit absumi, sed varia lateque patenti. Habet enim internas causas suæ mortis, habet & externas. Quo fit, ut aliam mortem naturalem appellemus, aliam vero violentam. Ea profectò ratione humanum corpus à summo rerum opificè fuit effectum, ut propter humorum perpetuam dimicationem ad sui interitum magna celeritate festinet, & tanquam in perpetuo cursu ad mortem, & corruptionem, instar delabentium aquarum decurrat. Ergo cum tineæ meminit, naturalem mortem subindicauit.

Deinde de morte violenta sapienter subiecit. [De mane vsque ad vespertinam succidetur.] Quauis enim illud mortis genus vtrunque prænotari posset, quod naturale appellamus: illud tamen quod violentia fit, & repentinis casibus accidit, prorsum est ignotum. Ob eamque rem nemo nostrum satis cognoscere potest, an hac ipsa die qua loquimur, & de re proposita disputamus, inuida mors nos opprimat imparatos. Quod inter vespertinum, & mane humanam vitam finiendam dixit, in eam rem fortasse spectat, ut summam illius breuitatem declaret. Extinguitur enim quàm citissime, nec diuturna est: ut scribit Aristotel. de bestiolis quibusdam: Nasci videlicet, ad Hypanin Scythiæ fluium animantes quædam, quæ ad perendinum diem nunquam perueniant.

Quæ

Arist. lib. 5. de hist. anim. c. 19

το' εφη- Quæ hac de causa dicantur Ephe-  
μεριδες, & hemerobia, quasi diarie.  
μεροβ. Id quod Eliphaz de humana vita  
hoc argumento astruere videtur.  
Sed quoniam de peccato, & sordi-  
bus animi tota disputatio est: po-  
tius ad interitum animi hæc omnia  
videntur referenda. Nam est ipse  
sermonis character propheticus, &  
metaphoricis locutionibus conte-  
ctus. Gemina ergo ex causa interio-  
ris vitæ interitus accidere possit,  
aut interno videlicet, & domestico,  
hoc est fomite, & tyrannide mem-  
brorum in peccatum aliquod im-  
pellente: aut externa aliqua causa,  
dæmonis videlicet tentamentis. Ea  
tamen mors, quæ ab internis, & do-  
mesticis causis nascitur, non tanta  
celeritate fit, aut illud tentationis  
genus non tam citò prosternit ho-  
minem, sed sensim: dum per socor-  
diam, & incogitantiam nõ curamus  
prima peccati initia reprimere. Vt  
sapiens dixit, Qui spernit modica,  
paulatim decider. Sic enim vesti-  
mentum quod non excutitur, pau-  
latim consumitur à tinea. Exterior  
autem tentatio hominem plerūque  
subitò prosternit, sicut vnus fœmi-  
næ aspectu, graui sanctus David se  
contaminauit stupro. Hoc igitur  
fortasse cum dixit, [A mane vsque  
ad vesperum,] Themanites voluit  
insinuare. Sed mihi magis proba-  
tur, vt verum sit id quod de tinea  
diximus: Quæ cum ex vestimento  
nascatur, tamen sensim corrodit, &  
consumit: ita & tentatio ipsa quæ  
nascitur ex carnis tyrannide. Sed  
quod dicitur, [de mane vsque ad ve-  
esperum,] iuxta proprietatem He-

braicæ linguæ æternum tempus si-  
gnificat, ita vt sit sensus, homo per-  
petuò innumeris est periculis ex-  
positus, partim propter domesticos  
hostes, & internos, partim verò pro-  
pter externos: Itaq; nulla vitæ pars  
periculo vacat, aut occasione peccā-  
di. [Et quia nullus intelligit, in æ-  
ternum peribunt, qui autem reli-  
qui fuerint auferentur ex eis: moriē-  
tur, & non in sapientia.] Continuo  
defectu, & sine intermissione à pri-  
mo natiuitatis exordio vsque ad vl-  
timum terminum paulatim depe-  
reunt homines, & maturescunt: vt  
tota vita ipsa non immeritò mors  
quædam censerit possit ob quodia-  
nos defectus: qui non sunt aliud, quã  
quædam mortis prolixitas. [Et  
quia nullus est, qui secum cogitet,]  
hanc naturæ mortalis cōditionem,  
immortalitatem quandam nobis  
pollicemur, atq; hinc in superbiam  
erigimur, & neglectum Dei admitti-  
mus, & contemptū: hinc nobis ipsis  
conquirentes post temporariã mor-  
tem sempiternum interitum. Si qui  
tamen extra horum numerum in-  
ueniantur, qui conditionem suam  
intelligant, qui propriæ naturæ de-  
fectus, sincero affectu Deum colen-  
tes: (quorum est perexiguus nume-  
rus) hi sanè non cum illis perditio-  
ne æterna peribunt: sed quasi reli-  
quæ quædam seligentur, & separa-  
buntur à cætu impiorum, vt sempi-  
ternis fruantur gaudijs. Illi verò,  
qui nunquam cum animo suo repu-  
tant, se esse mortales, [Morientur,  
& non in sapientia.] Hoc est, mo-  
rientur vt stulti, vt de-  
mentes.

## CAPUT QUINTVM.

**V**oca ergò, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere. Virum stultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia. Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim. Longè fiunt filij eius à salute, & conterentur in porta, & non erit qui eruat. Cuius messem famelicus comedet, & ipsum rapiet armatus, & bibent sitiètes diuitias eius. Nihil in terra sine causa fit, & de humo non orietur dolor. Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum. Quam ob rem ego deprecabor Dominum, & Deum ponam eloquium meum. Qui facit magna atq; inscrutabilia, & mirabilia absq; numero. Qui dat pluuiam super faciem terræ, & irrigat aquis vniuersa. Qui ponit humiles in sublime, & mæentes erigit sospitate. Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod ceperant.



**V**NC Locum nostri interpretantur de sanctorum inuocatione, & iustorum precibus, quibus frequenter nobis diuinam gratiam, & beneuolentiã consequuntur. Et quidem sanctos esse inuocandos nemo sanæ mentis dubitare possit. Quauis enim beneficia præstare proprium sit Numinis, ac summi Dei, qui operatur omnia in omnibus: illud tamen est apertissi-

num, ac multis scripturarum oraculis declaratum, frequenter in conferendis beneficiis, rebus à se conditis, atq; eis causis, quas secundas appellauere philosophi, fuisse usum. Multa angelorum ministerio priscis illis temporibus cum Abraham, & Isaac operatus est: multa in Sodomorum excidio, in veteri Synagoga ab Ægyptiaca seruitute liberata. Quid mirum ergò, si sanctorum opera intercedente, atq; illorum precibus suffragantibus multa nobis concedantur? Neq; verò si Deus propè sior est ad benefaciendum mortalibus, multòq; sanctis omnibus munificentior, mox sit à sanctorum inuocatione cessandum: alioquin super vacaneum esset mortales ipsos pro se inuicem Deum precari, quibus omnibus Deus est munificentior. Stultusq; fuisset apostolus, ac postremæ dementiæ notandus, qui iubet, orationes fundere pro regibus, & alijs qui principem in repub. tenent locum. Sed neq; illud nos ab inuocatione sanctorum reuocare debeat argumentum, quod quibusdã insuperabile visum est. Maiori nos charitate complectitur Deus, quàm iusti homines, & sancti. Nam de illius in mortalium genus beneuolentia, & charitate Apostolus dixit, Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illi: etiã cum illo quomodo non omnia nobis donauit? Nam si ob eam rem quod Deus nos maiori complectitur charitate, debuisset omnis ratio officiorum inter mortales cessare, essentq; omnia ad tuendam vitam necessaria à summo Deo postulada: non ergò amicus ab amico postulet, aut victum quærat: neq; ægrotus medicum adeat, & deniq; ad vnum intendant artes omnes, quæ ad tuendam mortalium

Gen. 18.  
Gen. 28.  
32.  
Gen. 19.  
Exod. 14.

1. Cor. 2.

Rom. 8.



mortalium vitam à magnis ingenijs fuerunt excogitatae. Quòd si hæc suadere non potest ratio in rebus corporis, quid de spiritualibus? Scimus, Christum aduocatum esse, & patronum à patre constitutum, qui nostram semper causam tueatur: scit enim nostris infirmitatibus cõpati, vt inquit Apostolus: sed nunquam Deus ceteros patronos, & aduocatos ita exclusit, vt non liceat eorum vti patrocínio. Vide, Christus dicitur fundamentum, vt inquit Apostolus, & nemo aliud ponere potest: & tamen Apostoli fundamenta appellantur, & prophetae ab eodem Paulo. Non eget Deus sanctorum præsidio vt nobis necessaria impendat beneficia, neq; de illius officio, & voluntate ambigimus, an ea præstare velit: sed frequenter nobis ipsis timemus, ac de fœditate propriae cõscientiæ reformidamus. Audimus enim cœlestibus instructi oraculis, Spiritum sanctum per Isaiam grauius in hunc modum comminantem. Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestrae sanguine plene sunt. Quocirca nõ fuerit alienum à ratione, si de proprijs meritis, ac iustitia diffusi sanctos que ramus aduocatos, qui nobis varijs in rebus patrocinentur. Itaq; non tantum illud ipso sanctorum cultu consequimur, vt dixit Melanchthõ, primo quod Deo gratias agimus, qd nobis in sanctis ostenderit aperta suæ misericordiæ exempla, quibus aperte testatur, se velle vt mortales omnes salutem consequantur: neq; illud tantum, quòd sanctorum cultus sit quædam nostræ fidei confirmatio: (eriguntur enim labantes animi, cum vident Petro fuisse condo-

nata peccata, & in Latrone homine nefario vno temporis momẽto gratiam exuberantem, neque postremo ob eam rem tantum sanctos inuolamus, quòd sint nostris mentibus proposita exempla in sanctis hominibus virtutum omnium: sed addimus, ad cultum sanctorum maxime pertinere ipsam inuocationem, de qua disputamus. Hæc ergò, quæ diximus, satis sunt Christianæ religioni, & cõmunitatis ecclesiæ iudicio cõsona, & cõsona etiam rationi. Diligentius tamen animaduertendum, an ex hoc loco huius sententiæ firma veritas erui possit, cum dicitur, [ad aliquem sanctorum conuertere.] Nunquã enim maior violentia sacris litteris affertur, quàm cum aduersum hæreticos disputantes scripturæ sensibus abutimur. Corradimus enim argumenta vndecumque nullo adhibito delectu: cõducti calore disputationis, & vehementiori vincendi cupiditate. Ego verò contra iudico, nusquam firmiter argumenta, & fortiora producenda fore, quàm aduersum hæreticos dimicationem suscepimus. Fit enim alioquin, vt nostris rationibus nihil efficiamus, & veritatem ipsam impiorum ludibrio, atq; cõtemptui exponamus. Gemina ergò ratione hic locus explicandus est; aut de sanctis angelis videlicet, (de quorum præstãtia, multa dixerat Eliphaz) aut de sanctis hominibus. Et quidẽ de sanctis angelis, vt sit sensus: Conuertere ad aliquem sanctorum angelorum, videbilque an te sua responsione dignetur. Neque enim vllus angelorum est, eorum etiam qui sunt inferioris ordinis, qui non sit te superior. Docet itaq; præstantem illam angelorum naturam multò esse excellentiorẽ etiam sanctissimis hominibus, & supremo loco cõstitutis.

G Quod

Quod si in illa instabilitatem quamdam, & æuuum peccati deprehendimus, quâ igitur fit, ô Iob, ut in superbiam erectus, omni te vacare flagitio existimes? Paucis tamen, ex intimæ philosophiæ ac Theologiæ arcanis, angelorû præstantiam subiiciamus. Deus enim super æternitatem est, angelus autem in æternitate ipsa est totus. Nam tam eius operatio, quàm essentia stabilis permanet. Status autem, æternitatis est proprius. Animus autem humanus, (ut à præstantiori hominis parte exordiamur) partim in æternitate est, partim in tempore. Nam eius substantia eadem semper absque vlla incrementi aut decrementi mutatione perdurat. Sed illius operatio per temporis interualla discurrit, ut corpus omni modo tempori subiicitur. Nam & substantia illius obnoxia est mutationi, & illius operatio exigit semper temporis fluxum. Est itaque Angelus in statu, anima in statu pariter atque motu, corpus verò solo in motu locatur. Angelos ergò hominibus esse præstatiores nemo dubitare possit. Alter verò sensus, & qui mihi maxime probatur, à sustinentia sumitur sanctorum hominum, quorum recordatione excitatus Eliphaz sanctum virum notat postremæ impatienciæ. Conuertere, inquit, ad aliquem sanctorum, qui te suo exëplo, & doctrina possit instruere. Et quæ vnquam illorum audisti, aduersum diuinas castigationes calcitrasse? Nunquid non sanctus Noë, vir ille mirabilis edoctus à Deo de rebus nondum præsentibus, cum esset toto cælo serenitas, cæteri que mortales omnes voluptatibus ac delitijs indulgerent, magna animi elatione tulit eas iniurias, & cõtumelias, qui-

Gen. 6.

bus, propter, & extractû mysticû illud nauigium portentosæ magnitudinis, illum quasi stultum, atq; dementem ridebant? Nunquid sancto Patriarchæ Abraham, graues defuere tentationes? Charissimam enim ad diuinum imperium reliquit patriam propter promissam illi Palestinae terram, quam nondum viderat: quam tamen ut peregrinus habitauit, postquam ad eam peruentû est: ad eò ut Saræ vxori cõcinerit sepulchrum. Neque enim alia ratione potuit illi præstare postrema funeris officia. In aliena semper terra habitabat, & in tentorijs semper agebat, vocatus à Deo ad tam magnificas possessiones Isaac inuidebant Philistæi, abstulit ei Abimelech puteos, & vxorem rapuit, qui & subinde illum ad alium atque alium locum transire adigebat: Longum esset referre, quas patriarcha Iacob perpeffus est tentationes, postquam à fratre primogeniti dignitatẽ cõmittit: In Mesopotamia maxime, cum rem pecuariam in domo soceri Laban curaret. Quid dicam de sancto Ioseph, qui à fratribus, ac si vile fuisset mancipium, exiguo precio Ismaëlitis diuenditus fuit? & Ægyptum profectus non tantum innumeras tentationes incredibili animi celsitudine superauit, sed & impijs, & nefarijs hominibus magna præbuit patientiæ, continentiæ, atque aliarum virtutum exempla. Fuerit ergò ô Iob, & vtile, & vehementer necessarium, antiquitatis memoriam repetere, & sancti cuiuspiam, qui inter aduersitates vitæ huius fuerit versatus, imaginem tibi quasi ante oculos constitutere: ut illius exemplo discas, hominis esse pietatis studiosi, vtramque fortunæ aleam magna animi constantia,

Gen. 12.

Gen. 23.  
1. 2. 3. 4. 5.

Gen. 20.

Gen. 25.

Gen. 24.  
28. 1. 2. 3. 4. 5.Gen. 37.  
Gen. 39.

stantia, aut æquo animo sustinere. Et quoniam impatientiæ, & pusilla nimitatis arguebat Iob, subiecit statim. [Virum stultum interficit iracundia, & paruulū occidit inuidia.] Sic enim habet vulgata editio. Dānat igitur Iobum tanquam stultū, & paruulum, iuxta versionem nostram, & stultum propter iracundiā appellat, puerum autem propter inuidiam: vtrumque sanè magna cum proprietate. Nā qui animo tumet, leniori quacūque causa se vehementer offensos arbitratur: atque ita facillime commouentur animo, & æstu quodam, atq; indignatione concitantur. Quod sanè postremæ stultitiæ argumentum est. Quemadmodum enim stultitiæ apertum est indicium, non attingere metas rationis, ita & illas prætergredi. Huius rei gratia Salomon hominibus parum de se sentientibus, sapientiā tribuebat. Iracundus enim, vt Philosophus inquit, metas rationis prætergreditur, dum pro offensa intentat vindictam, & intentat peruersè, dū modum rationis non seruat. Peruersè autem abuti ratione ipsa, stultum plane sit. Voluit ergo Iobum, vt superbum, arrogantem, & iracundum (quibus est semper indignatio familiaris,) in simulari, quasi diuinis castigationibus grauer se offensum existimaret, atque ira, & indignatione commoueretur in Deum: aut potius illius notat ingenium, cum afflueret omnibus copijs. Neq; enim alia peste frequentius laborant diuites, quam ira, & indignatione, eū in re quapiam offenduntur. Atq; ita argumentatur Eliphaz, Propter antiqua scelera, & ante actam vitam hypocriti fucōque vitiatam, atque Numini inuisam, tam acriter & tenore in te animaduersum est, desi-

stas igitur oportet ab hac tua maledicentia, & impia querimonia, quæ hominem potius stultum, & paruulum, quam te decent. [Et paruulum (inquit) occidit inuidia.] Non potuit aut sapientius, aut elegantius inuidorum ingenium exprimi, quam paruuli appellatione. Proprium enim est eorum, quibus adhuc non licet per rationis vsum maioribus insistere, cæteris paruulis inuidere, tum vestes, tum calceos, tum strigmenta ipsa, & nuces præterea, & quidquid ea ætate habetur preciosissimum. Et vt hanc loquendi proprietatem magis explicemus: iure inuidus paruulus appellatur. Na scitur enim hæc pestis à quadam animi demissione, & pectoris angustia, & exiguitate. Nam qui hoc vitio laborant, cum aliorum florentē fortunam conspiciant, quidquid felicitatis alijs accidit, sibi adæptum purant: quod exigui animi est. Inuidus ergo sibi testimonium præbet, minorem se esse eo, cuius inuidia torquetur. His inuidiæ facibus permotus, & quasi furijs exagitatus Cain inuidebat fratri Abel Dei amicitiam declaratam igne ælitis eraculato. Esau inuidebat fratri Iacob primogeniti dignitatem, quam illi pro vilissimis pultribus vendiderat, quod illi iam se inferiorem existimaret. Idem de Ioseph, & fratribus, de Dauid & Saule, & alijs id genus dixerim. Daobus ergo sceleribus Eliphaz tribuit, quod sanctus Iob in tam grave discrimē, atque periculum fuisset vocatus, indignationi, quæ ex arrogantiā nascitur, & inuidiæ, quæ ex animi exiguitate. Nam hæc pestis sæpissime solet insidiari hominibus opulentijs. Hebræi alium videntur subindicare sensum longe gratiorem, nempe,

Pro. 11. 2.

Arist. Ethic. 5.

Gen. 4.

Gen. 25.

Gen. 37. 1. Reg. 18.

Furor stultū occidit, & auiditas ad rem interficit hominem cupidum, siue auidum, aut auarum. Geminam ergo flagitiorum notam inurit sancto viro, quorum alterā iam ex parte explicauimus. Nam solent commoueri diuites homines, & opulenti, cum suis frustrantur desiderijs, aut si optatis rebus non pro voto potiantur. Sed nihil est, quod illos per totam vitam, vehementius exagitet, vt cupiditas diuitiarum. Bene Eusebius philosophus aiebat cupiditatem acquirendi diuitias nullum sibi finem præscribere. Nam confluentes singulis diebus opes eam animi ægritudinem sistere non possunt, vt neque struem ardētem iniecta materia: quin accedentes semper opes animi cupiditatem magis accendunt. Nemo vt arbitror, ignorat, quæ Horatius in sermonibus de hac, eleganti carmine persequitur. Cum te neque feruidus æstus dimoueat lucro, neq; hyems, ignis, mare, ferrum nihil obstat tibi, dum ne sit te ditior, alter. Et alibi: Quanto diuites animi capitisque labore exiguum censum, turpemque repulsam. Impiger extremus currit mercator ad lidos, per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes, &c. Bene ergo inquit Eliphaz, Auiditas ad rem interficit hominem cupidum. Sapienter Diogenes auaros homines hydropicis assimilabat: illos enim argento plenos, hos autem refertos aqua amplius desiderare, idque utrosque in sui perniciem. Affectiones enim eodem magis intenduntur, quò plenius desideratis potimur. Voluit ergo Eliphaz significare, primò factum virum ea ægritudine animi laborasse, quæ æquisimo Dei consilio in eam grauius pericula illum coniecisset. Aristoteles ex Aristonymi scriptis refert, la-

trones octo socios de spolijs inter se aliquando concertauisse: & tandem cum ex omnibus vnus tantum superstes esset, arrepta præda sinistra manu, cum grauissimo pondere deprimeretur, dextra cepit percutere sinistram. Quòd si neque manus manui indulget, aut parcat propter pecunias, pareet auarus ciuibus, aut amicis: non est credendum. Bion sophista, auaritiā esse dicebat omnis impietatis metropolim. Xenophon, De dictis & factis Socratis, quo loco quæstionem illam pertractat, qui sint diuites, qui pauperes appellandi, postquam diuites, & opulentos eos esse dicit, qui paucis essent contenti, & quibus pauciora sufficerēt, subiicit sub persona Euthydemī, Tyrannos quosdam ego noui, qui propter indigentiam, tanquam pauperum iniuriam alijs inferre coguntur. Atque ita tandem concludit, Diuites & opulentos inter pauperes interdum esse connumerandos, pauperes verò cum diuitibus collocandos esse. Huc ergo spectat oratio Eliphaz, vt suadeat videlicet, sanctum virum tum propter animi arrogantiam & tumorem, tum verò maxime propter cupiditatem diuitiarum, quæ auaros torquet, occidit, vexat, (quorum imaginem Sisyphus ille tenet, qui saxum subinde voluens, nunquam in montis vertice potest collocare) diuinis castigationibus corripitū præterea vix potuisse, cum diues esset & opulentus ab aliorum iniuria, & pauperum expilatione abstineret. Ob eamque rem, subiicit statim. [Ego vidi stultū firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim.] Id est, iudicavi maledicendum esse, reputavi fore vt habitaculo eius male cederet. Sumit metaphoram loquendi ab arbore bene radicata,

annosa,

Bion Sophista.

Xenophon. li. 4. de dic. Socrat.

Psal. 57.

annosa, frondosa, atq; vernati: quæ admodum, & egregius Vates eleganti hypotyposi impiorum imaginem depingit, Vidi (inquit) impium super exaltatum, & eleuatum sicut cedros libani: trasiui, & ecce non erat: quasiui, & non est inuentus locus eius. Nam annosa & in suo solo sita arbor, magnis sollet lateq; expansis ramis, se præbere visendâ: tales sunt improbi nobiles, diuites, florêtes, ita vt neq; sibi neq; alijs videatur facile posse euerri. Sed cum iam vidissem florêtem, optimèq; radicatum, dum dispicio, ecce disparuit, euauit: ita vt me diligenter disquirere, nunquam illius vestigiū deprehendere potuerim. Itaq; cui Deus non fauerit, tametsi omnibus rebus abundet, certissimè imminet exitiū. Ego (inquit Eliphaz) vidi stultum, aut hominè nefarium firma radice, hoc est, instar arboris altioribus radicibus subnixæ, latissimèq; expansis ramis cæteris esse admirationi. Ego verò maledixi pulchritudini eius statim. Hoc est, dignam iudicauī, cui maledicere in: ac si dicat, Male ominatus sum domui eius, aut pulchritudini eius, mox censui, ac iudicauī, vt eius habitaculo malè cederet, vel ob eam rem quod impij domus plena diuitijs est: Primò, quod multis mortè attulere diuitiæ, & requiem omnibus abstulere. Tū secundò, quod diuitiæ, & opes per fas, & nefas congestæ, per violentiã ad auctæ suū possessorè non tantum felicè aut beatum efficere non possunt, sed neque felicitas illa potest esse diuturnior, quæ Deum habet inensum, & inimicum. Tertio, sæpe nefarios homines Deus ad apicem diuitiarum, & humanæ felicitatis euexit, vt inde deturbati, atque in postremam deuoluti miseriam, maiori afficiantur cruciatu, atque dolore. Quod facile patet ex his quæ

arcana Litteræ recensent de Pharaone, de Saule, cæterisq; hominibus nefarijs. Ijs omnibus Eliphaz laetenter sanctum virum arguit, & arborem illum appellat, benè radicatum, propter diuitiarum copiam, & exundantiam, de qua in superioribus diximus: & quasi per violentiã, & tyrannidem tantam diuitiarum copiam congelisset, merito fuisse à summo Deo percussum inopia, & bonis omnibus priuatum, insinuat, dicens: [ Maledixi pulchritudini, &c. Quemadmodum in salute corporea cum ad apicem peruentum est, (quam medicæ artis periti Athleticam salutem appellant) vehementer pertimescendus est morbus aliquis, (neque enim salus ipsa eodè semper gradu, atque statu permanere potest) nam ultra progredi non datur, necessarium igitur est cædat retro, & in morbum inclinat: idem etiam dicendum de diuitiarum copia, cæterisque partibus humanæ felicitatis: Quæ cum ad apicem peruenierint, & ultra progredi non possint, neque eodem semper statu manere, vehementer pertimescendus est casus aliquis. Ob eamq; rem dixit, Vidi stultum firma radice, &c. Incipit deinde connumerare Eliphaz singulas partes calamitatis propositæ, & infelices exitus, qui diuites homines, & opulètos solèt, opprimere: ac primò, quoniã inter cæteras humanæ felicitatis partes, sobolem dulcissimam, & liberos ipsos anteferendos putant mortales omnes, de filiorum interitu dixit, [ Longè fient filij eius à salute, & conterentur in porta, & non erit qui eruat. ] Frequenter enim contingit, vt qui diuitijs opibusq; abundant, liberos negligenter educant, neque intra seueriorem disciplinam coercant,

ceant, aut magno studio ad cultum virtutis adducant. Atque ita fit, ut liberi in gravissima incidant pericula, tum corporis, tum animi.

Nam & multorum in se concitant odium & malevolentiam, & dum se totos voluptatibus, & oblectamentis vitæ sine vlllo iudicio atque moderatione immergunt, non tantum corporeæ salutis, verum etiam, & pietatis animi faciunt iacturam.

Pro. 13. d.  
Eccl. 30. a

Hinc Salomon, Qui parit virgæ, odit filium suum. Et in Ecclesiastico Equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadet præceps. Et post pauca, Non des illi potestatem in iuuentute, & ne despicias cogitatus illius. Curua cervicem eius in iuuentute, & tunde latera eius, dum infans est: ne fortè induret, & non

Eccl. 40. b

credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Et iterum: Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos, Iddem apud Isai. Ne læteris Philistæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui: de radice enim colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrum. Sic vero ex Hebræo. Ex semine serpentum prodibunt aspidum foetus, foetus autem ipsarum serpentes erunt volantes, vel, Fructus eius cerastes

1. Reg. 10.

volans. Quia sacerdos Eli filios non cohibuit à scelere, nunquam iniquitas domus eius fuit expiata vlllo sacrificio vsque in seculum. Egregius etiam propheta David, psalmo. 126.

Psal. 126.

quem de ratione œconomicæ Christianæ, & pietatis plenæ ædidit, eum hominem appellabat felicem, qui bene moratis filijs domum haberet plenam. Sicut sagittæ (inquit) in manu potentis, ita filij excussorum: siue (ut habent Hebræa) iuuenturum. Filios iuuentutis appellat, propter duplicem Dei beneficentiam: &

quod suis maturè liberos donat, & quod donat, cum tempus est illos educandi, probèq; instituendi. Neutrum filijs senectutis à parentibus præstari potest: vnde persæpe, & morum, & facultatum iacturam miserè faciunt. Beatus ergo qui talibus liberis pharetram suam impleuerit. Quemadmodum enim sagitte in manu potentis longè volant, probèq; conficiunt id, ad quod mittuntur: sic magna portio felicitatis est, filios habere obsequentes, benè moratos, gnauos, atq; eximia dexterritate præditos. Contrà verò, qui liberos suos, ut seniores solent, & qui iam sunt grandiori ætate, educant, præcè minusq; benè instituunt. Quò fit, ut inquit Eliphaz, [Ut in porta conteratur, nec sit qui eruat.] Nam portas appellat hoc loco loca publica, & conuentus populi, vbi vel iudicia, vel cõrentiones agebantur. Nam olim in portis publica fora, & comitia habita sunt. Sic in Gene. Hemor, & Sichem ingressi portam vrbs locuti sunt ad populum. Hinc, Portæ Sion, portæ in litteris arcanis congregationis piorum sunt, qui congregantur in verbo Dei, vbi sunt conciones, & doctrinæ, vbi agitur de diuinis iudicijs, & de his quæ ducunt ad Vitam. In hunc modum ait regius Vates, Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filix Sion. Male ergo instituti filij parentes suos afficiunt pudore, & quasi rubre suffundunt: & frequenter eorum facinora ad iudices, & senatus deferuntur, & interdum rapiuntur in cruce, aut dedecore, & ignominia notantur: Conterentur, inquit, in porta, & non erit qui eruat. Contrà verò de liberis probè institutis, & educatis in-

Gen. 36

quit

quit propheta. Non confundentur  
 Psal. 126. cū loquetur inimicis suis in porta.  
 Hæc de sancto Iobo, atq; illius liberis, qui inopinata morte fuerunt interempti, accipiēda sunt. Hoc enim significare voluit Eliphaz, ( vt ego arbitror ) sanctum Iobum ita filios educauisse, vt eos lasciuire permitteret, & voluptatibus fluere: quos si tristiori disciplina cohibuisset, nunquam tam graue diuinæ iustitiæ exemplum in eos fuisset declaratum. [ Cuius messem famelicus comedet, & ipsa rapiet armatas, & bibent sitientes diuitias eius. ] Hæc est altera pars amissæ felicitatis humanæ. Impiis enim atque tyrannis, vt filij immatura morte rapiuntur propter rationes iam dictas, ita etiam & eripiuntur diuitiæ & opes, quas aliorū incommodis, & pauperum oppressione, & expilatione pararunt. Bene aiebat Menander in Lacasia, Nemo iuste viuens subito vsq; ad miraculum ditatus est. Nam iustus magna sibi colligit parsimonia: at ille qui omnibus insidiatur, occupat omnia continuo, suamq; domum implet. Ergo qui aliena suis volunt adijcere, frequenter sua spe frustrantur, & quæ propria erant, addunt alienis. Bene Euripides, vt cetera. Ite nunc o mali homines, parate vobis honorem peruium, diuitias contrahite, vndeunque venantes per fas simul atq; nefas, & metite tandem infelicem vestrarum diuitiarū messem. Diuitias ergo per Synechochē messem appellat Eliphaz, quas famelicus comedet, quas rapiet armatus, siue miles, quas sitientes bibent auidissimè. Postremam hominis infelicitatem describit. Nam non tantum liberos amittet, dulcissima totius vite pignora: sed & illius messis, diuitiæ, & opes deuoluuntur ad

alienos, & vt videntur Hebræa significare, ad rem exaggerandam, Messis tuam prædo rapiet medijs ex spinis. Ac si dicat: Omnia corradent alieni, neque vepres aut spinæ, quæ manus solent dilacerare, & vulnerare grauius, impedimento erunt, quò minus messis tua prorsum ablutatur. Sed habet illud gratiam venustatis, quòd prædones famelicos, & sitientes inducit, qui auidè deuorēt, & hauriant diuitias. Voluit enim notare auari hominis inexplebilem sitim, & famem congerendi opes. Nusquam enim animum explere possunt, vt non maiori semper auiditate vndeunque omnia verrant. Ob eamque rem propter inexplebilem famem & sitim, semper decrescit securitas, crescentibus diuitijs decrescit gaudium, tranquillitas: semper crescit cupiditas, quantum ipsa pecunia crescit, vt poeta dixit. Id ergo postulat æquissima diuinæ prouidentiae ratio, vt qui incredibili fame ac siti alienis diuitijs insidiabatur, famelicis etiam ac sitientibus prædonibus, ac furibus proprias diuitias malè congestas parat. Bene Periander vetustissimus poeta, turpem questum grauissimum thesaurum dicebat. Nam cum sint diuitiæ suapte natura quæ situ difficiles, custoditu anxie, amissu flebiles, quid de diuitijs malè partis existimandum est? Ob eam rem, inquit Eliphaz, impius grana suleis commisit, segetes autem ipse non colliget: domum impleuit diuitijs, quibus tamen non fruatur: leporem ipse mouit, quam alter accipiet: prædam abstulit, quam alter rapiet: circum optabilia sit semper concursus, & periculum est, ea per summum scelus cogerere, quæ multi concupiscant, nullus pariri velit.

G 4 Ergo,

Antiph6.

Ergò, quia impiorum gaudijs mæror semper proximus est, sapienter Antiphon dixit, Lucra male quæsitâ voluptates quidem pariunt breuissimas, quas longa semper tristitia sequitur. Bene Eliphaz de ratione diuinæ prouidentia, quæ æquissima semper est, inquit, Messem comedet famelicus, &c. Sequitur, [Nihil in terra sine causa fit, & de humo non orietur dolor. Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatû.] Iuxta vulgatam versionem eò spectare videtur oratio Eliphaz, vt sancto viro probabile faciat, sceleris cuiuspiam causa in tam graua pericula incidisse. Nam si nihil in terra est, quod causas determinatas non habeat, omnis ergò aduersæ fortunæ reflatu certas, & fixas causas habebit: quæ cum non possint esse aliæ, quàm peccata, aut scelus, relinquitur ò Iob grauiorî aliquo peccato re Deum irritauisse. Et quia singula effecta in causas certas, & fixas semper homines referimus, subiecit illico, [Et de humo non orietur dolor, siue aduersitas.] Metaphorica locutio est sumpta à re rustica. Sunt enim quædam, quæ agricolarum industria, & solertia, seruatis videlicet feminibus, & expurgatis, terra aratro proficissa, ex humo nascantur feminibus in sulcos coniectis. Sunt verò alia, quæ nullam videantur habere causam fixam, aut determinatam, vt sunt ea quæ ex humo sua sponte nascuntur. Quæ tamen causas habeant, quia tamen nobis sunt ignotæ, sponte nasci asseueramus. De humo igitur non egreditur dolor. Hoc est, aduersa fortuna, & graue quodcuq; periculum non sua sponte nascitur, sed fixas, & determinatas causas habebit. Quam ergò aliam causam habere possint, quàm

peccata? Hæc ergo sunt semina, è quibus erumpunt graua pericula, & aduersitates intolerabiles. Quem admodum autem quæcuq; effecta certas habent causas & fixas: ita etiã nihil à Deo conditum est, quod non sit in finem aliquem destinatum. Auis Alites ad volandum condidit: (hic enim est proprius motus, quem alitum natura exigit) ob eamq; re eis instrumentis alites instruxit, quibus exequi proprios motus potuissent, quibus à cæteris animantibus differrent. Quò fit, vt alites illæ vitæ censerentur indignæ, quæ vt vitæ tuerentur, nullum volandi laborem susciperent: ita ergo de homine sic iudicandum. Conditus est homo à summo Deo, vt virtutem coleret, factorem suum agnosceret, vt quasi per gradus quosdam officiorum, atque virtutum sublimia peteret, & supremam felicitatem consequeretur. Scio, hoc vitæ genus propter relictantem carnem, & repullulantes subinde affectus, plenum esse laboris atq; sudoris: diligenter tamen operandum semper est, atque æquo animo incidentia omnia pericula ferenda, vt propositum sibi finem mortalis homo consequatur. Suspicio autem, alium fortasse esse germanum sensum. Voluit Eliphaz lobum notare, quasi citra laborem atq; sudorem diuitias pararet, & opes: vt hoc argumento simul illius inertiam & socordiam, simul rapinas, & expilationes pauperum obijceret, iuxta sententiam illam superiorem Menãdri, Nullus iuste viuens, repente ditatus est. Iustus enim paulatim sibi colligit opes, & labore, & parsimonia, &c. Atq; hic sensus mihi maxime probatur. Hebræa autem sonare videntur, [Non prodit è puluere vanitas, & de terra non germinat mole-



molestia: sed homo nascitur ad laborem, & scintillæ prunarum in sublimi volant, aut filij tedæ, vt Hebraismus habet. ] Sapienter profectò Eliphaz magis, quàm vere nititur suadere sancto viro, se propter aliquod facinus aut peccatum tam grauius à Deo correptum. Argumentum autem est huiusmodi. Vanitas, aut nihil, nunquam è terra erupit sine causa. Ac si dicat, quòd ingenium terræ malum sit, quòd fructus necessarios, & alimenta nõ fundat, non tam adscribendum est terræ ingenio infelici, quàm hominum improbitati, & flagitijs terribilibus, & diuinæ etiam prouidentix, quæ id iustissimè patitur, & efficit, vt terra frequenter reddatur sterilis propter peccata hominum. Argumentum sumit ab his, quæ Moses enarrat lib. Gen. Adæ verò dixit. Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comidisti de ligno, ex quo preceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinæ & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, &c. Mutata fuit propter peccatum terræ conditio: tempora asperiora, & steriles anni succedere: & cum prius esset veluti æternum ver, totoque anni decursu, felix illa lætaque temperies, & partu terrarum beatissima in exiguum fuit redacta spatium. Propter peccatum ergò maledictione terra percussa fuit, ablataque ex ea felicitas, (quæ exuberantissima, vt credendum est, fuit ante casum) & spinæ, & tribulos germinat. Exhorto fuit terra ipsa facta sylua: & terra denique degenerauit ab originali fecunditate, quemadmodum Adâ ab originali iustitia. Primum ergò

scelus graui maledictione, & execratione percutitur, & terra ipsa propter peccatum. Quemadmodum ergò illud originale facinus sterilitatem induxit, & ærumnas omnes, & homines coniecit in summas miserias: ita credendum est (inquit Eliphaz) de peculiari quacunq; aduersitate, in peccatum videlicet semper esse referendam. Ad eandem re pertinet, quòd sequitur, [Homo nascitur, &c.] Homo labori factus fuit obnoxius, aut Adæ irrogatum fuit, vt ad molestiam generaret, & labori succumberet: & propter scelus illud suæ nature ita relictus fuit, vt laboribus semper discrutaretur. Non secus atq; arcano quodam nature, scintillæ in altum euolant, cuius rei nulla alia causa inuestiganda sit, quàm quòd illarum natura ita comparatum est, vt sursum semper nitatur: ita etiam, & ablata iustitia originali, & homine suæ nature relictò, sequebatur necessitate quadam, id quòd ad Adam dictum est, In sudore vultus tui vesceris pane tuo.

Quauis ea quæ de scintillis dicuntur, quidam referant ad eos, qui in agro laborantes, ligone sepe è saxis, & silicibus excitant scintillas. Iam ergò argumentum Eliphaz colliges in hunc modum. Si propter primũ illud peccatum mortales omnes, atque terra ipsa maledictò fuerunt obnoxia, cuius incommoda non experiremur, si primus parens culpa vacaret: ita de ceteris aduersitatibus, & ærumnis omnino iudicandum est. [Quam ob rem ego deprecabor Dominum, & ad Deum ponam eloquium meum.] Hortatur hoc loco Eliphaz sanctum virum ad resipiscenciam, vt quidam arbitrantur, vt sit sensus: Ego sanè si fortasse essem vbi tu es, Deum requirerem, illum allo-

Gen. 36.

querer, atq; precaret, vt scelera & flagitia, quibus illius leges expugnaui, remitteret: hoc mihi crede, vtilius erit & conducibilius. Scis enim quantum possit spontanea sceleris confessio apud diuinum tribunal: quantum præterea maiestatem illam offendat sceleris excusatio. Quod in primis parentibus licet perspicere: qui cum à summo Deo vocarentur in ius, vir in foeminam, foemina vero in serpentem culpam retulere. Multorum sententia est, hæc virum sapientem Eliphaz de se ipso dixisse. Sic enim Hebræa videntur sonare, Veruntamen ego consulam Deum, & ad eum ponam eloquium meum. ac si dicat: Ob eas igitur quas adduxi causas, quas statim latius explicabo, si quidpiam tale mihi contingat, aut in simile periculum res meæ vocarentur: ego sanè diuinas castigationes non iniquo animo aut graui ferrem, neq; aduersus Deum expostularem: quin potius indignatione concitatum precibus, orationibus, lachrymis mitigarem. Neq; enim iudicandum est, quemadmodum stulti censent, Deum rebus humanis non prospicere. Nam ego potius crederem, ea quæ videntur confussa & incerta, pluias dico, nubes & alia quæ tumultu terras mouent, non sine ratione aut prouidentia, quanuis subita videantur, accidere. Neque enim hi audiendi sunt, qui omnia necessitati causarum, & connexioni videntur tribuere, omniaque referunt, aut in calorem, aut frigus, in grauitatem & leuitatem: quin potius ita statuendum est, Deum supernè imbres deijcere, & aquis vniuersa irrigare: quæ tametsi magna, & inscrutabilia sint nobis, Deo tamen sunt conspicua & aperta. Nam quæ cecitas mentis est, ea quæ hac rerum vni-

uersitate magna apparent, & stupèda, in quæ non potest ipsa mentis acies penetrare, quia nostræ rationis complexum excellunt, intra naturæ angulos, & angustias detrudere, parumque aut nihil in diuinam prouidentiam referre? Ex rebus igitur, quæ ipsa rerum natura perspiciuntur, suadet Eliphaz, Deum Opt. M. rebus omnibus prouidere. Nā quod ea quæ media natura perspiciuntur ad hominum vsus tanta sapientia at temperata esse videntur, (vt aliarum animantium innumeras vtilitates prætermittam) quis non dicat ab artifice, cuius esset summa sapientia, summo etiam consilio fuisse disposita? Intuere obsecro ipsas elementorum naturas: quorum alia suo pondere feruntur deorsum, alia verò quæ leuiores sunt, sursum nituntur, quæ suum gradum, & locum sempiterna stabilitate seruant, vt ignis ac rem, aer complectatur aquam, aqua verò terram. Quod igitur partes quædam infimi huius elementi depulsis aquis factæ sint habitabiles, atque eas aer non aqua complectatur, utiq; si naturam rerum spectes pondus videlicet atq; leuitatem, factu videbatur impossibile: & tamen vt animantes ipse, medio aëre respirarent, & conueniens terra illis præberet domicilium, à sapiente artifice magna pars fuit aquarum alluione liberata. Rursum si hæc terræ partes, quæ partim ab hominibus, partim à cæteris animantibus habitantur, nullis humectarentur aquis, redderetur terra prorsum inutilis, atq; infructuosa: atq; ita fieret, vt alimentorum penuria cunctæ animantes interirent. Quocirca admirabili etiam sapientia magnus ille artifex Deus, partes terræ habitabiles gemina ratione humectat, atque

fœcun-

foecundat: primò aquis supernè de-  
iectis, tum amnibus, & fontibus è  
terra erumpentibus, quorum sunt  
principia, prioresq̄ae causæ ipsi ter-  
ræ visceribus abditæ. Si ergò ea, quæ  
magis videntur confussa, & pertur-  
bata ipso naturæ ambitu, Deus sua  
prouidentia tam sapienter modera-  
tur, quid sit de rebus humanis iudi-  
candum, cum sint hominis causa cū  
ita à Deo cōdita? De quibus statim  
subiecit, [Qui ponit humiles in su-  
blime, & mœrentes erigit sospita-  
te.] Profectò si res humanæ (inquit  
Eliphaz) illum semper tenerent cur-  
sum, qui earum naturis maximè cō-  
uenit, nullum fortasse eis appareret  
prouidentia diuinæ vestigium: sed  
rebus humanis in diuersum curren-  
tibus atque earum natura postulat,  
quis nisi stultus earum prouiden-  
tiam, & moderationem naturalibus  
causis sitam arbitretur, aut temera-  
rio impetu fortunæ eas gubernari  
affirmer? Stultorum hominum sunt  
voces illæ, quæ habentur apud Sa-  
lomonem. Vidi sub sole neque velo-  
cium esse cursum, neque fortium bel-  
lū, neque sapiētū panē, neque doctorū  
diuitias, neque artificum gratiam, sed  
tempus, calumque in omnibus. Eli-  
phaz verò, tanquam qui esset de di-  
uinis rebus instructus, in diuinā pro-  
uidentiam, & sublimiores causas om-  
nia refert. Constituit inquit, diui-  
na prouidentia humiles in sublimi,  
& mœrentes erigit sospitate. Has  
rerum humanarum vicissitudines  
ab ipsa natura proficisci, & ab ali-  
qua naturali causa, nemo sanæ mē-  
tis dicat. Nam si rerum naturas cō-  
templeris, nonne naturæ magis vi-  
deatur consentaneum, eum qui re-  
net arcem dignitatis, & felicitatis  
humanæ, in ea permanere: eum etiā,  
qui inedia, miseria, & vitæ calami-

tatibus premitur, huius vitæ cursum  
semper tenere? Vade igitur orien-  
tur subitæ illæ atque repentinæ mu-  
tationes, quibus potentes, & subli-  
mes deprimuntur, obscuro, contem-  
ptibiles, & ignobiles ad apicem felici-  
tatis perueniunt? Exempla sint  
huius veritatis Pharao, & vetus sy-  
nagoga, & Moses: confer inter se va-  
rios Ioseph atque fratrum casus, Ia-  
cob & Esau: quæ Eliphaz viro sapiē-  
ti, & erudito veniebant in mentem.  
[Qui dissipat cogitationes maligno-  
rum, ne possint implere: manus eo-  
rum quod cæperant.] Altero argu-  
mentum probat Eliphaz, superiorem  
aliquam causam harum rerum tene-  
re prouidentiam, sumpto à dissipa-  
tis, perturbatis, & confusis humanis  
consilijs, & cogitationibus. Quis est  
(inquit Eliphaz) qui impiorum con-  
silia dissipat, ne optatos exitus con-  
sequantur? Nunquid hæc possit ef-  
ficere natura ipsa, aut aliqua inter  
naturales causa, quantumuis poten-  
tissima? Quæ obsecro naturalis cau-  
sa dissipare potuit impia fratrum  
Ioseph consilia, cum, post geminam  
insomnij speciem, quæ duabus no-  
ctibus illi per quietem fuit obserua-  
ta, occulta de eo perdendo inter se  
ineunt consilia, & tandem post mul-  
ta placuit consilium Iudæ, ut puerū  
Ismaëlitis negotiatoribus venderet,  
qui per ea loca camelos mercibus  
onultos tunc fortè agebant? Tra-  
ditur deinde propter fœminæ petu-  
lantiam in publicam custodiam, at-  
que inter eos qui mortis supplicio  
erant adiudicati vinculis teneretur in  
nexus. Quis ergò dissipatis impio-  
rum consilijs callidissimis eò felici-  
tatis euexit Iosephum, ut vnus pa-  
bllicæ frumentationi præficeret in  
Ægypto, ac super eam dignitatem  
gestandæ purpuræ vsum acciperet,  
& secun-

Exo. 5.

Gen. 38.  
Gen. 27.

Gen. 38.

Gen. 39.

Gen. 41.

Regl. 9.

& secundus à Pharaone per totam Ægyptum haberetur? Hęc inquam, sunt naturæ opera, & non potiùs sublimioris cuiuspiam causæ? Quæ iniit consilia Esau aduersus fratrem Iacob? Quæ Laban aduersus eundem Patriarcham? Quæ longo pòst tempore Saul aduersus David?

Gen. 27.  
29. 30. 31.

1. Reg. 19. Quæ tamé eorum manus, vt inquit Eliphaz, implere nõ potuerūt, quod cæperant. Ac si dicas, Non potuere consilia impietatis plena, ad exitum perducere.

20. &c.

**Q**UI Apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dissipat. Per diem incurrunt tenebras, & quasi in nocte, sic palpant in meridie. Porro saluum faciet egenum à gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem. Et erit egeno spes, iniquitas autem contrahet os suum. Beatus homo qui corripitur à Deo: increpationem ergò Domini ne reprobet.

Quia ipse vulnerat, & medetur: percutit & manus eius sanabunt. In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum. In fame, eruet te de morte: & in bello, de manu gladij. A flagella linguæ absconderis: & non timebis calamitatem, cum venerit. In vastitate, & fame ridebis: & bestias terræ non formidabis. Sed cum lapidibus regionum pactum tuum: & bestie terræ pacificæ erunt tibi. Et scies quòd pacem habeat tabernaculum tuum: & visitans speciem tuam, non peccabis. Scies quoque, quoniam multiplex erit semen tuum, &

progenies tua quasi herba terræ. Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo. Ecce hoc inuestigauimus, ita est: quod auditum, mente pertracta.

**A**D eandem rem mihi pertinere videtur hic versiculus ac præcedens. Nam vtròque carmine admonemur, nullam esse potentiam, nullam prudentiam aut sapièntiam aut consilium contra Dominum, vt Salomon inquit. Quauis ergò diuina prouidètia multis modis se apud mortales declarat, sed hæc est singularis ratio sacris litteris expressa, qua se exerere solet, cum sapientes seculi huius in propria astutia apprehendit: metaphora sumpta à venatoribus, qui retia, laqueos, cæteraque id genus feris obijciunt, in quæ si semel inciderint, nunquam sese expedire possunt. Diuina igitur prouidentia impiorum astutia, & machinamentis tanquã reti, & laqueis vitur, ad comprehendendos huius seculi sapientes: vt verum sit quod propheta dixit. Laccum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Et quoniam, vt mihi videtur, Eliphaz his carminibus eam diuinæ prouidentie parté celebrat, quæ priscis temporibus apud Ægyptios multis miraculis, & stupendis sese exeruit, cuius fama propter immanitatem suppliciorum, nõ potuit ad vicinas gentes non peruenire, vnum aut alterum huius rei exemplum proferamus. Pollicitus fuerat aliquando Deus Abrahamo, Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli: huic diuino consilio potentia atque sapientia seculi huius sese opposuit.

Prou. 25.

Psal. 7.

Exo. 3. 9.  
10.

Gen. 15.

Nam

Nam, cum populus Israëliticus ver-  
 saretur in Ægypto, videretque Pha-  
 Exod. 1. rao, Hebræam gentem magna acci-  
 pere incrementa, iubet duas ad se  
 vocare fœminas, quæ inter cæteras  
 artes obstetricandi excellerent, qui-  
 bus præcepit, vt in ipsa effusione  
 partus masculam sobolem interfice-  
 rent. Sed sapientia humana hîc fuit  
 comprehensa, & conatus tyranni  
 1. Cor. 1.  
 Exod. 1. fregit Deus ipse obstetricum pieta-  
 re; Nam stulta mundi solet eligere,  
 vt fortia quæq; confundat. Noua  
 machinatur illicò humana sapiëntia:  
 Iubet populo, quidquid masculini  
 sexus esset, in flumen proijceret: sed  
 à Deo delusa fuit hac parte huma-  
 na sapientia. Statim enim (inquit  
 Exod. 1. a. Moses) creuit populus, & confortatus  
 est nimis. Sed vt Pharaò cæteri-  
 que Ægyptij sibi consciscerent per-  
 ditionem, nascitur Moses futurus  
 Exod. 2. a. autor salutis: seruat in tribus men-  
 sibus à matre: non potuit diutius:  
 exponitur in fiscella, egreditur filia  
 Pharaonis, videt vagientem paruu-  
 lum, dat matri nutriendum, in locum  
 filij adoptat. Filia parenti mortem  
 intendit, nutrit Pharaò domi sui in-  
 teritus autorem: educatur in aula re-  
 gia, vt scientia rerum multarum, &  
 usu, & autoritate rerum gerendarum  
 esset conspicuus. Vides humanam  
 sapientiam delusam, sapiëntes depre-  
 hensos eorum astutia, & consilia  
 prauorum dissipata? Sed & à supe-  
 Gen. 37. riori exemplo sancti Patriarchæ Io-  
 seph facile fit quæ diximus confir-  
 mare. Propter somnia illa magnam  
 in se inuidiam, & exitiale odium  
 omnium fratrum conceitauit: & quo-  
 niam somnia illa fatidica in eam re-  
 spectabant, vt futuras amplissimas  
 dignitates, & honores sancti Ioseph  
 præmollarent: diuina prouidentia  
 totam rem moderante, fratres, quò

Ioseph imperium dominiumque fu-  
 gerent, transcuntibus Ismaëliticis Gen. 41.  
 mercatoribus illum vendiderunt.  
 Denique post multa Ioseph prouid-  
 de frumenta congeisset, venturo fa-  
 mis periculo occurrit. Vexabat fa-  
 mes Orientales omnes regiones eo  
 tempore, ob eamque rem fratres Io-  
 seph frumentandi gratia in Ægypto Gen. 41.  
 primum se contulere: & vt necessaria  
 alimenta referrent domum, non tã-  
 tum Iosephum, sed & dispensatorem  
 domus illius pronis cervicibus vene-  
 rabantur. Fuit ergò diuenditus Io-  
 seph, ne adoraretur: sed ideò adora-  
 tus est, quia venditus. Vnde igitur  
 humana sapientia moliebatur astu-  
 tẽ diuina consilia commutare: inde  
 cogitur diuinam explere volunta-  
 tem. [Per diem incurrerent tenebras,  
 & quasi in nocte sic palpabant in  
 meridie.] Is locus, vt ego iudico, ad  
 densissimas tenebras, & profundã  
 caliginem Ægyptiẽ gentis pertinet.  
 Legimus dixisse Dominum ad Mo-  
 sen. Extende manum tuam in cœ-  
 lum, & sint tenebræ super terram  
 Ægypti tam densæ, vt palpari que-  
 ant. Tribus diebus nemo vidit fra-  
 trem suum, nec mouit se de loco, in  
 quo erat. Vbi eunq; autem habita-  
 bant filij Israël, erat lux. Erat hæc  
 externa castigatio Ægyptiorum, ve-  
 luti symbolum quoddam internæ  
 castigationis longè durioris. Quan-  
 tis enim horribiles tenebræ demen-  
 tem populum grauiter corripere-  
 rent: sed caligo illa interior animorum  
 multò erat intolerabilior, quæ Ægy-  
 ptiorum mentes occupabat. Et quæ  
 admodum quisque suis sceleribus  
 (vt habet textus) exteriores tene-  
 bras sibi parabat, & egregijs pieta-  
 tis operibus parabat lucem: ita de in-  
 teriore mentis cæcitate credendum  
 est. Quisq; enim proprijs flagitijs,  
 tene-

tenebras sibi conflabat. Erant autē  
 hæ interiorēs tenebræ, quæ Pharaonis & Ægyptiorum mentes vexabant, non tantum cordis quædam obduratio: sed & cæcitas quædam, & profundior ignorantia, quæ animorum acies ita retundebant, ut media in luce, hoc est, inter miracula ipsa diuinæ potentie, Numinis potestatem haud agnoscerent. Sunt autem hæ interiorēs tenebræ, ut à summis Theologis proditum est, privatio quædam diuinæ lucis & splendoris. Nam lumen hoc diuinum humanis meritis infusum, & multarum rerum scientiam, & quandam ad recte operandum propensionem subministrat, & ad agnoscendam virtutis pulchritudinem mentis oculos efficit attentiores. Fraudari autem quempiam hac diuina luce, gemina ex causa possit contingere: aut quia perditus, & flagitiosus homo aditus ocludit diuinæ lucis, aut quia Deus Opt. Max. eam non infundit. Quæ duo inter se certum quendam ordinem seruare videntur. Nunquam enim secundum sine primo, nec sine secundo contingit primum. Cum enim diuina volūtas nunquam à iusto, & recto declinare possit, & hominem diuino lumine fraudari per se bonum non sit: nunquam ab soluta ratione à Deo tantum malum homini irrogatur. Et quia bonum est, ut qui vltro, libenterque diuinum lumen à se depellit, hoc tanto beneficio fraudetur: humana sapientia, aut seculi huius sapientes, propter adductam rationem, exquisito Dei iudicio diuina luce, & necessaria rerum cognitione semper vacant. Hoc est grauissimum supplicium, quod Deus ab orbe condito in nefarios homines exercuit: & Moses diuinarum rerum contemptoribus in

hunc modum prænuñciauit, Percutiet te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis, ut palpes in meridie, sicut palpare solet cecus in tenebris. Sunt autem, ut paucis dicam, hæ tenebræ, de quibus disputamus, animi quædam, atque factorum perturbatio, exagitatio, & præcipitatio. Et egregius propheta David has tenebras tanquam grauissimum malum imprecatur. Fiant (inquit) viæ illorum tenebræ, & lubricum. Ac si dicat, incidant in eam animi perplexitatem, consiliorum, atque factorum perpetuam euerfionem, quam Pharaon, & Ægyptij sensere suis temporibus, aliique principes, & homines nefarii. Sapienter verò dicitur, de huius seculi sapientibus callidis, & altutis, [Per diē incurrent tenebras, & quasi in nocte, sic palpabunt in meridie.] ad explicandam summam rerum ignorationem, & mentis incredibilem cæcitatē. Nam palpando exquirimus, & attrectando manibus, quæ oculis non excipimus. Unde Pharaon cum media diuinorum miraculorum luce versaretur, dicebat adhuc, Dominum non noui, & populum non dimittam. Et Iudæi apud Ioan. post excitatos mortuos, & resignata sepulchra aiebant. Quousque animas nostras tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. Aperta diuinitatis opera ante oculos habebant, & tamen media in luce manibus attrectabant. [¶ Porro saluum faciet egenum à gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem.] Ad eandem rem pertinet quod sequitur. [Et erit egeno spes, iniquitas autem contrahet os suum.] Ut multis rationibus sese declarat diuina prouidentia apud mortales: potissimum tamen pauperes, & afflictos iuuando: Sic enim Deus in seripuris

Deuter. 28

Psal. 35

I. Cor. 1. box I

I. Cor. 1. box II

I. Cor. 1. box III

Exod. 5

Ioan. 10

I. Cor. 1. box IV

Psal. 67

puris

pturis arcanis se patrem orphanorum appellat, & iudicem viduarum. Pauperes autem, & egentes Scriptura frequenter non homines destitutos pecunia, opibus, aut fortunis appellat, sed eos potius, qui sunt afflictio animo, & mæretum in quibus nullum prorsus locum tenet superbia, aut atrogantia, sed mansuetudine potius, & commiseratione opus habent. Qua proprietate loquendi Christus R. N. pauperes spiritu vocat eos, qui in nulla re prorsum ab huius mundi pollicitationibus pendet, despectos, derelictos, oppressos, & quibus res omnes aduersæ sunt, qui hæret in solo Deo, quibus solus Deus est hæreditas, & possessio, & vt paucis dicam, nihil habentes, & omnia possidentes. Quibus opponuntur diuites, & opulenti in sacris eloquijs. Sunt enim arrogantes, superbi, tumentes animo, & denique qui omnem suam fiduciam rebus fluxis atque lutulentis collocant, & a perituris rebus salutem & vitam, & quidquid iocundum est, semper expectant. Hæc igitur diuinæ providentiæ pars, quæ circa homines deiectos, & afflictos perspicitur, commendatur ab Eliphaz his duobus carminibus, & commendatur sapienter, & eleganter. [Saluum (inquit) faciet egenum de gladio oris eorum.] Nihil potuit dici, aut venustius, aut elegantius. Linguam enim impiorum gladium appellat. Sicut enim impiorum lingua, aut quia maledicæ, aut quia de periculo, & dano aliorum semper consulant, tanquam ancipites gladij, & cuspide gemina. Non ineptè quidam, stulti atque improbi eloquijs, furiosi gladio simile esse dixerunt. Vt enim sunt multi, qui consilijs semper in alios machinantur perniciem, quod gladio oris exprimitur:

ita sunt qui per potentiam pauperes, & egentes opprimunt. Diuina ergo providentia, & prospectio eis in rebus maxime cernitur, quæ aut nulla æstimatione digna esse videntur, aut præter omnium spem, & statutas iam, & fixas mundi leges contingunt. Quod nos animaduertere iussit Christus seruator noster, in passereculis & lilijs: ad quorum contemplationem nos mittit, vt diuinæ providentiæ certissima vestigia meditati, præsidere hominibus, atque creaturis vniuersis diuinam providentiam intelligamus. Secundo quis credat afflictos homines, & omni solatio destitutos effugere posse, aut sapientum hominum, & callidorum consilia, aut diuitum, & principum potentiam, & violentiam? Quis crederet, sanctum Ioseph euadere posse consilia fratrum, qui in illius perniciem armati, Ecce, inquit, somniator venit, venite occidamus eum. Aut fœminæ pertulantissimæ insidias, & machinamenta eum habitura finem? Quis diceret, hominè tot modis pressum, & diuexatum, in nexum cathenis, tetro carcere inclusum, in supremo post regem solio collocandum, atque inter primores primum habiturum gradum, & locum? Hanc partem diuinæ providentiæ explicatam à beata Virgine, cõperimus, celebri illo cantico, Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. [Beatus homo qui corripitur à Deo, increpationem ergo Domini ne reprobes. Quia ipse vulnerat, & medetur, percussit, & manus eius sanabunt.] Iudicabat Eliphaz carmina illa, quæ sanctus Iob fuderat, in derestationem propriæ vitæ, inde profecta, quod animus viri sancti, in desperationem

Matth. 23.

Gen. 37.

Gen. 39.

Luc. 1.

tionem inclinasset. Dixerat ergo Eliphaz, diuinam prouidentiam ab hominibus non omnino stultis, atque dementibus facile deprehendi, tum circa res naturales, tum vero maxime circa res humanas. Sed quoniam non eadem est ratio castigationis diuinæ, nam alios postremo supplicio afficit, aut atrociori aliqua pœna corripit, ut hic sentiant iam eos dolores, atque cruciatus, quibus sunt à summo Deo destinati, in quibus nulla elucet spes commutandi vitam in melius: alios vero ita corripit duriori aliqua castigatione, ut commutata vitæ ratione à sceleribus pedem referant, & ad virtutem faciant regressum: de his hoc loco Eliphaz vir sapientissimus loquitur dicens, [Beatus vir qui corripitur à Domino,] Felices appellat, & beatos eos, qui à Domino corripiuntur, intelligens primo, Deum Opt. Max. illatis pœnis, & inflicto supplicio paternam curam erga electos ostendere. Consuevere enim patres liberos suos ad studia obeunda mature exercere, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis interdum, & lachrymas ineunt. Itaque ad declarandam beneuolentiam paternam erga electos, operibus, doloribus, damnisque exagitat, ut verum colligant robur. Nam languent per inertiam saginata corpora, nec labore tantum, sed & mole ipsa, & sui onere deficiunt. Nonne magna pars felicitatis sit, discere exactius diuinum illud philosophiæ genus, omnibus disciplinis, & artibus excellentius, & præstantius, quod ferre oēs ictus aduersæ fortunæ docet? Illæsa felicitas nunquam ullum vulnus ferre potest: at ubi est assidua cum incommodis rixa, cællum per iniurias ducit, nec ulli malo succumbit, etiam

si acciderit læsam multis modis de pugna discedere. Ergo Deus bonorum amantissimus electis, quos præstantes, & excellentes vult, castigationes, incommoda, & aduersam denique fortunam, cum qua exerceantur, assignat. Sed, & indigent interdum electi diuinis castigationibus. Nam quia lapsi sunt, egent diuina seueritate. Felices ij, quos pater ille cœlestis (ut magnus Ambrosius dixit) ut pedem referant à sceleribus, & ad virtutis cultum regrediantur, castigat. Paul. Apost. de his qui ceciderant propter incredulitatem, aiebat, Si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potès est enim Deus iterum inserere illos. Deus enim electos quos charissimos habet, ut pinguem oliuam colit, & duriori castigatione putat, ea quæ sunt superflua resecando, & tanquam deferta virgulta, velut caudicibus quibusdam virtutis inserit, ut bonorum fructus possint ferre meritorum. Deinde electus à Deo correptus, & castigatus, felicem se atque beatum existimat. Quemadmodum milites in castris se beatos putant, quibus grauissima quæque iniunguntur, ut nocturnis insidijs aggredi hostes, aut explanare iter. Atque præsidia aduersariorum demoliri, & loco pellere militem, aut hostem gaudent vehementer. Quia vel hoc argumento satis intelligunt, quod imperator de illis bene iudicat: aded ut nemo cõqueratur, nemo dicat, male de me meritis est imperator. Timidis autem, & ignavis militibus debilia iniunguntur obsequia. In electis igitur cupit experiri magnus ille Deus, quantum possit humana natura sua ope adiura. Sed, & illud adfert viris sanctis inter duras castigationes non exiguam felicitatis portionem, quod propria

D. Ambrosius in ps.  
118.

Rom. 11.6



proprie virtutis experimentum, ali-  
quod, sensum præterea, & gustum  
accipiunt: Nam vnde scire potest  
electus, qualem animum in pauper-  
tate habeat, si sepe affluat diuitijs?  
Quantum possit aduersus ignomi-  
niam, & odium populare, si semper  
inter plausus senescit, & inclinatio-  
ne mentium pronus illum sequitur  
fauor? Vnde scire, possit, quantam  
propria virtus amicitiam habeat  
ad Deum? Est Christiana vir-  
tus difficultatis auida. Demetrius  
quidam infelicem eum iudicabat,  
cui nihil accidisset aduersi. Infelix  
(dicebat ille) is de quo male iudicat  
Deus. At vero cum non exagitat te-  
tatione aliqua, perinde est, ac si di-  
cat, Quid ego te tentationibus, &  
aduersitatibus committam? statim  
arma submittes, vertes terga, pedem  
referes, non poteris sustinere impe-  
tus aduersariorum, leui quacumque  
comminatione locum, & gradum  
deseres, neque vultum hostis ferre  
poteris. Et vt cæteris sint necessaria  
tentamenta, & graues ac duræ casti-  
gationes: electis verò multò magis,  
vt possint manere in mediocritate  
quadam, quæ ad fulciendam animi  
vitam vehementer est necessaria.  
Accipiunt à summo Deo amplissi-  
ma dona. Poterat hæc bonorum am-  
plitudo illos in superbiam erigere.  
Quò fit, vt sit magna felicitatis pars,  
tentationibus eos deprimi, & cohi-  
beri, ne in sublime euehantur, atque  
ipsa donorum, & gratiarum opulên-  
tia, tentationum ponderi succum-  
bant, atque ita tandem consistant in  
mediocritate. Iam verò totum hoc  
pertinet ad commendationem cru-  
cis, quæ hominem erudit, ac mortifi-  
cat. Diligentibus Deum (inquit Pau-  
lus) omnia cooperatur in bonum:  
Quo loco docet, ea quæ contraria

videntur, electis vtilia maxime esse.  
Orabat aliquando Paul. Dominum,  
vt auerteret à se pericula: sed post-  
quam audiuit, Sufficit tibi gratia  
mea, gaudebat inter acerbitates. Di-  
ligentibus Deum (inquit) omnia coo-  
perantur in bonum. Si incidat tri-  
bulatio, si paupertas, potes est Deus  
hæc omnia in contrarium vertere,  
vt vnde periculum imminabat, con-  
tingat salus. Hæc est admirabilior  
diuinæ prouidentie ratio, rerum na-  
turas, & ingenia in utilitates piorum  
vertere, ita vt quæcumque incidentia  
mala non tantum leuia faciat, sed  
& vtilia. Non dicit, Diligentibus  
Deum nihil molestie continget, sed  
quòd illis in bonum semper cederet,  
quicquid molestum acciderit. Vt  
quæ ab improbis intentantur mala,  
& tenduntur retia, id sane multò  
maius bonum, atque præstatius est,  
quam si nihil eueniret mali, & incò-  
modi. In Babylonica fornace con-  
iectis tribus pueris, non illis Deus re-  
stinxit ignem, sed refrigerato illico,  
quod flagrabat incendium, per eam  
ipsam admirabiliores quidem eos ef-  
ficat, vt habet historia sacra. Etenim  
si homines ad philosophandum gna-  
ri, naturaliter possunt rebus in con-  
trarium vti, dum in paupertate vi-  
uentes diuitibus ipsis abundantes  
apparent, & inter sordes ipsas se il-  
lustres iudicant: multò magis Deus  
sua prouidentia erga pios id possit  
efficere. Quemadmodum verò ijs,  
qui Deum colunt ex animo omnia  
cooperatur in bonum: ita & impijs  
quæ videbantur profutura damno  
sunt & exitio. Id quod in Pharao-  
ne, & Ægyptijs, in Antiocho, & Iu-  
da proditore, atque similibus vide-  
re licet: Qui, quæ existimabant fo-  
re omnino e re sua, sibi perniciem  
attulerunt, ita res moderante Deo.

H Quam

Demet.

Rom. 8.  
1. Cor. 17.

Quā ob rē nō est mirādū, si Eliphaz omnē eripit timorē, qui piorum amicos pullare possit. Nā ubi adest pietas animi, & summa in Deū fiducia, omnia penē reuocātur, quæ in statu innocētiae aderāt. Vbi non bella, nō gladius, nō paupertas, non pestis aliqua, nō bestię, quę homini erāt subiectæ vllū incutere poterant timorē. Gen. 1. 3. Ut ergo per inobediētiam nostrā amissimus dignitatē, ita si Deo. p. omnia obtēperemus, in eū penē statū restituumur, in quo primus Parēs cōstitutus, visis leonibus, & serpentibus nō resiliit: & Heua serpentē alloquebatur, citra vllā formidinē: Daniel in lacū leonū cōiectus, nihil prorsū nocumētū accepit: Paulum vipera mōrdit, sed venenū nullū infudit, Et ad eūdē planē modū vsu venire solet ijs, qui in diuinā recipiūtur amicitia. Cū, n. sub diuina agāt protectione, & paterna quadā Numinis prouidētia seruetur, nō est, cur vllū malū, aut quæcūque noxia reformidēt. Dan. 14. A&. 28. Vnde regius Vates Dauid, Psal. 91. hoc argumentū sumit pertractandū (Nam totus ille psalmus huic negotio dicatus est). Vbi multis modis diuinam prouidentiam extollit circa electos quibusuis periculis ingruentibus. Qui habitat (inquit) in adiutorio altissimi, &c. Vbi adest Dei fiducia, si quispiam per fidem hæreat, in veritate pmissionis Dei, quæ valet pro scuto fortissimo, & facit vt sit homo absque omni pauore, die noctuq;: Hic proculdubio, cū Deum tanquam parentem habeat sibi opitulantē, nihil verebitur, neque rebus suis metuet: ibi enim pollicetur propheta, vt quāuis per præcepta cadant, rapianturq; impij, & subito moriantur innumeri, futuros tamē iustos superstites. quod Altissimum habeant præsentem, propi-

cium, & defensorē, qui longius auertat omnē plagā, & flagellū. Et Angelos dicit, ex mādato dñi fidelissimos esse tutores, vt sine omni metu periculi, leones, basiliscos, dracones, Satanā, mortē, & peccatū pedibus pculcare possint. Apud Marcū Euā, istius modi multa pollicebatur Christus. Marc. 16. Serpētes tollēt, (inquit de suis discipulis) & si mortiferū quid biberint nō eis nocebit. Et idē dicēdū ē Sāsone, & Dauide atq; alijs: quibus quia aderat pietas animi, & spiritus Dei, leonibus erāt fortiores atq; superiores. Iā verò diuina hæc prouidētia, de qua in præsentia est disputatio, gemina esse videtur: altera, quæ res oēs iuxta pprias naturas, & ingenia ducit in suos fines, alia verò, quæ solutis naturæ legibus electis pspicit, subito cōmutatis rerū naturis, & est hæc quidē lōgē mirabilior. [Increpationē ergō Dñi ne reprobes. Quia ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabūt.] Metaphora sūpra ab arte Chirurgica, elegāter atq; sapiēter cōmēdat diuinā prouidētiā. Quāuis (inquit) diuina castigatio multis ex causis nō est ab hominib; repudiāda, vel ob eā rē maxime, quæ ipse qui vulnus infert, vulnere medetur: & quæ manus diuina percutit, necessariā salutē adfert: imo ob eā rē vulnerat, vt medeatur: ob eā rē percutit, vt ampliorē salutē adferat. Ita q; si recte animaduetur, pro electis est in exiliū proijci, in egestatē deduci, ignominia affici, & probro debilitari, & multis modis affligi. Quod si hoc miraris, mireris etiā oportet quosdā nō tātū fame, ac siti, sed & igne, & ferro curari: quibus interdū radūtur ossa, extrahuntur venæ, amputantur quædam corporis membra, quæ sine totius hominis perniciē hæcere non poterant. Marc. 16.

Huc

Hoc pertinet, quod Eliphaz inquit, Deus inter electos, vt Chirurghi solēt, & vulnera infert, & ignem interdū, & ferrum adhibet sed vt integerrimam adferat salutem. Itaque quauis nefarij quidam Deum accusent, cū bonos castigat: sed illicō corū dementia se prodit in hac re. Nemo enim accusat medicum crudelitatis, quia putrefactas vulnerum fibras ferro putauerit resecandas, quia noxia, & serpentina vlcera, igne exusit, ne ad vltiora serperet: aut præceptorem qui negligentem verberat discipulum, quō maiorem adhibeat diligentiam, ad percipiendam litterarum cognitionem. Est ergō dominus vbique bonus, & cū peccata electis remittit, & cū scelera ipsa duriori aliqua castigatione corripit, ad excitandam electorum virtutem, & vt robur, & vires colligant. Sapiēter egregius propheta David, post diuinas castigationes, & flagella bonitatem Numinis multis carminibus celebrabat, Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine. Et paulo post, Priusquā humiliarer ego deliqui, Prospiciebat utique vir sanctus, inter cruces ipsas & labores, quibus frequenter fuit exagritus, propter admissa scelera, videbat inter vibices, & vulnera diuinam bonitatem sese exerentem, & declarantem. Visa mihi est aliquando (inquit propheta) amara tua castigatio, dura, & acerba: sed me stultum atque dementem, qui non intelligerem, ea vulnera mihi inflictā, vt perditam vitam reuocarem, corruptos mores componerem, & denique incam rem me fuisse tam grauer percutsum, vt amplissimam consequer salutem. Et quoniam diuina manus vt (inquit Eliphaz) corripit, vulnera infert, atque eadem ipsa sanat,

& medetur: illud est animis aduertendum, Deum Opt. Max. non ita obductas cicatrices curare, & vulneribus mederi, quemadmodum medici, atque Chirurghi solent: qui tamen virus, & putredinem exhauriant, vulnus, & cicatrices curent, nūquam tamen ea ratione medentur, vt non maneat in vultu, aut alia corporis parte, aliquod cicatricis vestigium, & quauis salutem adferant, vultus tamen sceditatem, aut turpitudinem auferre non possunt: At qui supremi Chirurghi manus, ita inflictiis vulneribus medetur, vt nullū illius vestigium deprehendi possit: non tantū notam omnem sceditatis, & turpitudinis aufert, verum etiam & maiorem pulchritudinem, & venustatem multo magis mirabilem inducit. Hoc medendi genus post vulnera sapiēter satis Eliphaz explicare voluit sequentibus carminibus. [In sex tribulationibus (inquit) liberabit te, & in septima non tanget te malum.] Hoc numero septenario, vt ego iudico, genus omne tentationis exprimere voluit: ac si dicat, Omni tempore te liberabit, & omnibus te eripiet tētationibus. Eodem loquendi tropo dicitur à Salomone, Septies in die cadit iustus, hoc est, frequenter contingit, hominem iustum in aduersas fortunas incidere (Nā locum explicare de peccatis leuioribus, nunquam mihi probari potuit.) Est septenarius numerus apud Hebræos absolutus, & quasi perfectionis symbolum. Hinc regius vates David, Eloquia domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum, terræ purgatum septuplum. Et in Leuit. Percutiam vos septies propter peccata vestra. Et Amos propheta. Super

Psal. 118.

Pro. 24.

Psal. 12.

Leui. 26.

Amos.


quatuor non conuertam eum. Hoc est, cum iniustitia Damasci, & imperates peruenerint ad cumulum, non conuertam eum. Apud Matthæum, Assumit alios septem spiritus nequiores se. Ac si dicas, plures spiritus celebri etiam illo cantico. Annæ, ubi nostra habet translatio, Et sterilis peperit plurimos: Hebræa videntur sonare, peperit septem. Quibus facile colligitur, non esse abstrusiora alia mytheria necessariò hoc in loco inuestiganda, sed iuxta litteræ sensum simplicissimè interpretandum. Liberabit ergò te ab omni tentatione, & omni tempore liberabit: ita vt post inflicta vulnera, plenam & integram ab omni malo consequaris salutem. Incipit autem aduersitates ipsas connumerare: & eas recenset, quæ grauiores censentur, & quas maximè caro nostra reformidat. Priori autem loco vrgentissimam famem commemorat, quæ inter aduersitates vitæ censetur grauisima. [In fame (inquit) eruet te de morte.] Ac si dicat, aliquando fortasse te fames discruciat, non tamen eo animo, vt mortem incurras, sed ob alias arcanas rationes. Quemadmodum sanctum Patriarcham Abraham suis temporibus, grauisima fame, & penuria rei frumentariæ terram Chanaam infestante. Quemadmodum, & sanctum patriarcham Iacob, quæ è graui famis periculo eripuit, cum filius Ioseph supremos in Ægypto magistratus magna cum laude gereret. Non potuit inopia cibi Heliam in monte Carmelo cõficere, neque Danielem in lacum coniectum. Secundo loco bellum commemorat, & gladium: [Et in bello de manu gladij.] Vt enim Deus de vrgenti fame: ita & de cruento bello eripere solet ele-

ctos. Quod & in sancto patriarcha Abrahamo liceat perspicere, cum atrox bellum aduersus tres potentissimos reges suscepit: quos singulari virtute prostrauit erepto fratre Loth. Et Dauidem suis temporibus eripuit. Quemadmodum autè vita corporea gladio, & fame interdum nobis eripitur, ita etiam, & vita quædam, quam summi philosophi appellauere ciuilem. Nam inter cætera, quæ rem publicam, & ciuitatè illustrem efficiunt, augent, & amplificant, est celebre nomen bona ciuili fama, quæ inter preciosissimas opes, & pignora charissima principem locum tenet. Atque eam censemus grauiorem tentationem, quæ famam impetit, & dignitatem bonis operibus quæsitam. Nihil enim est quod pro fama, & honore tuendo nõ perferamus incommodi. De hoc tentationis genere inquit Eliphaz, [A flagello linguæ abscondèris.] Sed incidit interdum aduersitas, & periculum graue, quod aut personis, aut rebus imminet. Personis, cum incurfiones hostium fiunt, quibus aut homines ad extremum intereunt, aut in miseram abducuntur captiuitatem: Rebus autem imminet commune periculum, vel propter terræ nimiam sterilitatem, vel propter grauem aliquam ab hostibus deuastationem fructuum. De his ergò inquit Eliphaz, [Non timebis calamitatem, cum venerit, & in fame, & vastitate ridebis.] Quemadmodum legimus Israëliticum populum post demersos hostes, & fluctibus conuolutos, illorum calamitate conspecta carmen cecinisse. [Bestias terræ (inquit) non formidabis, sed cum lapidibus regionum pactum tuum: & bestia terræ pacificæ erunt tibi.] Quæ ita sunt à nobis accipienda.

Si pe-

Si periculum aliquod excitetur à feris, & immanissimis bestijs, vt à lupis, leonibus, vrsis, qui in homines grauitèr desæuire solent, tu ab hoc periculo non formidabis: imo verò cum lapidibus terræ videberis in ijs se fœdus, ita vt saxa medio itinere coniecta, quasi ex pacto nihil nocuementi inferant. Alludit ad vetustissimum morem. Nudis enim pedibus veteres ambulare conlucere. Quod verò bis dixit, [Bestias terræ,] alterum dictum crediderim propter leones, & vrsos, alterum verò propter Basiliscos & Aspides. Has autem omnes aduersitates ita exponit Chaldæus, vt quæ dicuntur de gladio oris accommodet ad Ægyptios: & quæ de fame, interpretatur de fame Ægypti: & quæ de flagello linguæ, de Balaam propheta: & quæ de lapidibus, ad tabulas legis refert. [Et scies, quòd pacem habeat tabernaculum tuum, & visitans speciem tuam, non peccabis.] Pertinent sequentia omnia ad felicitatem domesticam: quæ hic in rebus perspicitur: maximè si tota familia pacè habeat, & maximè inter se consentiat. Deinde si omnia sint in domo, probè instructa, beneq; apparatus. Nam speciei nomine, hunc (vt ego arbitror) rerum conuenientissimum ordinem significare voluit. [Tunc (inquit) non peccabis,] si probè fueris moderatus tuam domum, vt deceat optimum patrem familias. Namque quod quidam dixerunt de vxore, minus bene, vt mihi videtur, quadrat. Et quia ad amplitudinem do-

mus, magnum habet numerosa proles monumentum, [Et scies (inquit) quoniam multiplex erit semen tuum, & progenies tua quasi herba terre.] Videbis (inquit) filios filiorum, nepotes, & pronepotes, Multiplicabuntur denique, vt solent virentia gramina. Et quia vita longior ad felicitatis cumulum plurimum videtur habere momenti, & ad iustam humanæ vitæ ætatem accedere magnè fit apud homines æstimationis, adiecit, [Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo.] Hoc est, sepelietur in plenitudine annorum, & senectute bona: & tanta erit abundantia diuitiarum, vt instar acerui tritici, in tempore suo, cum ad iustam & plenam maturitatem peruenit, ita & tu plenus opibus, diebusque excedas è vita. Et tandem Eliphaz, vt probabilem redderet totam orationem, ita concludit. [Ecce hoc vt inuestigauimus, ita est, quod auditum mente pertracta.] Quasi dicat, non dubites, quin hæc sint verissima, o amice Iob, ita res habet, ego hæc experimèto didici: quæ etiam diuina reuelatione comprobata sunt, qua quidem in re quemadmodum ego officio amici satisfacisse, video pro ratione temporis, Tu hæc audita mente pertracta. Id est, diligenter cum animo tuo reputa, & magno silentio expedè, vt ex oratione mea fructum aliquem accipias, & ad sustententiam animi.



## CAPVT SEXTVM.

**R**ESPONDENS autem Iob dixit. *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera: Quasi arena maris hac grauior appareret, vnde & verba mea dolore sunt plena: Quia sagitte Domini in me sunt, quarum indignatio ehibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me. Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam? aut mugiet bos, cum ante prasepe plenum steterit? Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? Anima enim esurienti etiam amara dulcia esse videntur: Quae prius nolebat tangere anima mea, nunc pro angustia cibi mei sunt. Quis aet ut veniat petitio mea: Et quod expecto, tribuat mihi Deus? Et qui cepit, ipse me conterat, soluat manum suam, & succidat me? Et haec mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus sancti. Quae est enim fortitudo mea ut sustineam? aut quis finis meus ut patienter agam?*



**U**TA Oratio Eliphaz circatertia potissimum verlabatur. Na sanctum virum vehementer increpauit, quasi propter summam animi contractionem

in desperationem inclinauisset. Na multa, vt sibi videbatur, de odio presentis vitae dixerat. Impatientiae deinde hominem sanctum notabat, propter suspiria, & eiulatus, & immoderatam illam tristitiam, quam multis carminibus expresserat: arrogantiae & tumoris, quod se innocentem, & ab omni flagitio immunem dixisset. Ab his ergo locis argumenta Eliphaz sunt ducta. Et quia illud postrema orationis parte explicabat Eliphaz, neminem inter mortales a scelere immunem esse, nec quempiam de sua iustitia gloriari posse: sanctus Iob eo loco iuxta versionem nostram, sumit orationis initium. Illud inter sapientes viros magna consensione firmatum est, tantam esse humanae mentis imbecillitatem, vt nemo sit qui vitam hanc miseram & calamitosam transigere possit sine peccato aliquo saltem leuiori. Si dixerimus (inquit Ioann.) r. Ioan. r. quia peccatum non habemus: ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Ergo viri iusti, quibus pietas semper curae est, tamen grauioris flagitij sordes non contrahant: sed propter mentis socordiam interdum, & minus attentum animum, leuiora quaedam admittunt peccata. Dixerat ergo Eliphaz, eam esse diuinae prouidentiae rationem exquisitam, vt propter grauiora peccata grauiores intentaret in homines flagitiosos poenas: propter leuiora, minora etiam supplicia deposceret. Itaque vir sanctus hanc sententiam priori loco labefactare nititur dicens. [Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: & calamitas quam patior, in statera.] Fateor (inquit) non me esse ab omni peccato immunem, talis est enim mortalium vita: Sed vt aliquo sim peccato coinquinatus,

natus, (quod ego non abnego,) postulat tamen æquitas diuinæ providentiæ, vt æqua lance, & statera, appenderentur & peccata mea, & pœnæ & supplicia, quæ à me exigunt. Sed si recta lance appendantur, videbitur profecto, grauiora esse supplicia, & maiora meis peccatis, quantum maris arena mea peccata excedit, quæ numerari non potest, & præ nimia mole nulla ratione vquam appendi posset. Quod si grauiora supplicia semper Deus intendat propter grauiora peccata: propter minora, etiam leuiora: debuissent profecto perditii homines, qui multis se sceleribus addixerunt, in grauiora incidere pericula. Videmus autem, ipsa diuinæ providentiæ statera non ita peccata atque supplicia appendi, vt æqua semper proportione supplicia respondeant sceleribus. Quocirca nihil mirandum est, (inquit Iob) si verba mea sint doloris plena. Nec vos debeat in stuporem rapere, quod ego tam lingo ciularu sim profectus meas calamitates. Hæc sententia nihil, vt mihi videtur, habet probabile, tum quod hoc discrimen inter mortalia, & venialia peccata in literis arcanis, si diligenter attendas, nunquam apprehenditur, tum quod sancti homines quæcunque peccata, tametsi leuiora, & grauius in se reprehendunt, & omni supplicio digna arbitrantur, & quod magis ad iustitiæ cumulum accessere, eò impensius se peccatores, & sceleratos fatentur. Nam Paulus, Apostolus, vsque in tertium cœlum euectus, omnium peccatorum se principem esse, fatetur.

2. Cor. 12.

1. Tim. 1.

Tum, quod viros iustos deceat semper esse suspectos de occultis illis sceleribus, quæ solent effugere aciem mentis, quæ Deus interdum graui-

ter in illis castigat. Sic egregius Veres petebat. Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo. Ob eamque rem si iuxta versionem nostram locus sit explicandus, dicerem potius, sanctum Iob hæc verba ab ea parte animi extulisse, quæ perturbationibus est obnoxia, quæ nihil exigit ad rationem, aut ad leges diuinas, in eam rem semper intenta, vt seipsam tueatur & seruet, vt in superioribus diffusè satis à nobis est annotatum. Hæc nostri animi inferior pars, quæ bruta est, cum non semper ex iudicio, & ratione res ipsas pensitet, nihil mirum est interdum vt ab ipsa ratione, ita etiam à diuinis legibus exorbitet. Sed si alicui fortasse hæc sententia non probatur, & adhuc de peccatis in vniuersum fuerit locutus sanctus Iob, non de ea statera agit, qua in literis arcanis diuina providentia exprimitur, sed de ea potius, qua humanum iudicium significatur. Nam egregius propheta Dauid, quamuis mortales homines omni in re atque negotio mendaces appellet, sed potissimum docet eos mendaces esse in stateris. Mendaces (inquit) in stateris filij hominum. Quo loco humana iudicia, vt ergo arbitror, stateras appellat: quæ quia magna semper corruptione laborant, nunquam certum pondus singulis rebus dare possunt, neque lance æqua res singulas appendere. Nā quæ recta sunt praua, quæ bona mala, quæ pia impia dicere solent. Maioris ponderis est, cum ad lancem humani iudicij exigitur voluptas, honor, nobilitas, fauor populi, quam pietas ipsa, aut virtutis cultus: ea denique quæ mundus miratur, & recto, & honesto anteferenda putat. Ob eamque rem, & in expendendis sceleribus, & supplicijs,

H 4 hæc

hæc humani iudicij statera vehemē-  
ter decipitur: vt exemplo Eliphaz sa-  
tis declarari possit, qui ad lācē pro-  
prij iudicij exigēs peccata Iob, & ca-  
lamitates, inter se paria iudicabat.  
Optat ergo sātus Iob ppria causa,  
quā defendere aggreditur, ad rectā  
aliquā staterā hominis sapientis exi-  
gatur, qui probe sciat rebus singu-  
lis suum tribuere pōdus ac pretiū.  
[Tunc (inquit Iob) mea calamitas  
grauior multō apparet, vt arena  
maris,] quæ, vt diximus, & numero  
& mole cætera omnia facile ante-  
cellit. Mihi tamen & Chaldæus pa-  
rāphrastes, & veritas ipsa Hebræa  
alium videtur insinuare sensum, qui  
nos omnibus his angustijs liberet.  
Nam Chaldæus pro peccatis iram  
vertit. Sic etiam & plerique inter vi-  
ros sapientes. Hebræa habet pro pec-  
catis וַיִּדַע Cahçi, Erit ergo sensus.  
Osi exactissimē appenderetur indi-  
gnatio mea, simulq; & mea calami-  
tas in statera poneretur: tunc enim  
grauior appareret calamitas ipsa,  
quā arena maris, multisq; modis ex-  
celleret meos questus, eiulatus, &  
suspiria. Nihil ergo est o Eliphaz,  
quod me, aut angusti pectoris, aut  
pusilli animi, aut impatiētiae accu-  
ses: vtinā ab humano iudicio, & sta-  
tera humana, quæ mendax est, pro-  
uocare liceret ad stateram illā, quæ  
mētiri nescit. Salomō in Prouer. Pō-  
dus & statera iudicia Dñi iudicat,  
† Seculi, & opera eius oēs lapides † sacculi  
Nam antiqui designabāt pondera  
lapillis, ideoq; lapides pro pondere  
accipiuntur, qui solebant sacculis af-  
feruari. Vtinā ergo ea statera, quæ  
æquissima est, mei questus, calami-  
tasq; & supplicia ponderentur: tūc  
sanē mea calamitas, quam vos iudi-  
catis exiguam, pondere, & grauitate  
arenam maris videretur excede-

re, questus & eiulatus mei iudicā-  
tur leuissimi: & vt paucis dicā, pro  
magnitudine acerbitatis atq; dolo-  
ris parce ac moderate questus sum.  
Huius rei incipit rationes reddere,  
quod videlicet pro magnitudine ad-  
uersitas appendi nequeat. [Quia  
sagittæ Domini (inquit) in me sunt:  
quarum indignatio ebibit spiritum  
meum, & terrores Domini militant  
contra me.] Eleganter profectō atq;  
sapienter suos cruciatus atq; do-  
lores exprimit, & atrocitatem casti-  
gationis, & incogitabiles diuinę pro-  
uidentię rationes. Principiō ergo pro-  
pria pericula, & aduersitates appel-  
lat sagittas. Nanq; sagittæ a longē  
mittuntur, & eminus solent contor-  
queri. Cū enim aut gladio distri-  
cto, aut vibrata lancea quempiā per-  
cutimus, videmur & nos eidem pe-  
riculo subiacere: cū verō protenso  
arcu, aut extento neruo sagittā con-  
torquemus a longē, ita vt nō possit  
qui vulnus accepit referre vindictā,  
quasi nos in tuto collocamus. Lōge  
ergo inter se distāt humana castiga-  
tio atque diuina. Nam castigationes  
& supplicia, quæ diuina prouidētia  
mortalibus inferuntur, a longē mit-  
tuntur, & qui in hominibus iaculatur  
Deus est, & in cælo residet, atque  
extra omnem iniuriam. Nam solet  
interdum magnam afferre leuamen-  
ti partem in eum posse regerere cō-  
tumeliam, aut expetere vindictam  
ab eo, qui te affecit aliquo incommo-  
do. Id quod inter homines, cum nos  
vulnerant, & consauciant, facillimū  
fit: (Pero cō Dios quien se tomara?)  
Deinde sagittæ, siue tela, quæ neruo  
iaciuntur, feriant inopinātō, hoc est,  
cū nihil minūs cogitas, cū omnia  
iudicas tranquilla, & paccata, subitō  
infectum vulnus, & infixam sagit-  
tam persentis. Id quod elegantissi-  
mē ex-

Pro. 16.

† Seculi.



mē explicat modum, & rationem diuinæ castigationis. Deus enim vt in conferendis beneficijs, ita etiam & inferendis pœnis, & supplicijs cogitata humana, & consilia solet deludere. En ipse stat post parietem nostrum, dicebat in Canticis sponsa. Significans videlicet, sponsum nō nunquam latere eos, quos aut beneficijs, aut supplicijs vellet efficere. Vt non antē ab ipsis perciperetur, quā quod volebat efficeret: Id quod egregiē expertus est Hebræorum populus, cū in Ægypto versaretur. Vbi cū dura seruitute premeretur, cū iam animum despondisset, omniq; fiducia, & expectatio melior sibi esset crepta, subito atque inopinatō diuinam opem, atq; præsidium sibi adesse intellexit. Sic de supplicijs inferendis dicendū: Neque enim Pharaō etiam cum vniuersa Ægypto non prius sensit Numinis præsentiam, quā multis ab eo plagis esset mulctatus. Hortatur nos Christus, & commonefacit, vigilemus semper omni fœcordia atque torpore excusso: quoniā iudex ille, & homo nobilis, qui abiit in regionem longinquam, inopinatō veniet, & nobis dormientibus, & minimē expectantibus regredietur, vt reposeat à singulis pietatis, & iustitiæ vsuras. Et exemplum adducit de postrema illa clade, qua totus orbis fuit affectus temporibus Noë. Erant (inquit) omnes nubentes, & nuptui tradentes, & non cognouerunt donec venit diluuium, & repentina superuenit calamitas. Ea igitur incommoda, quæ præsentientibus nobis eueniunt, & præcaueri possunt, non æquē molesta sunt, quia minùs mala præuisa ferire solent. Atqui diuinæ castigationes, iuxta sententiam Iobi, sagittarum instar

nobis minimē expectatibus, vulnus infligunt. Deinde inter cætera tela, quæ bellica ars excogitauit, sagitta seu telū neruo contortū potentissimi mē vulnerat, (ea tormenta excipio, quæ nostris temporibus nō sine magna mortaliū omniū pernicie fuerunt excogitata, quæ Sclopetæ siue Hispanæ arcabuzes appellatur.) Ad explicandam ergō magnitudinē aduersitatis sanctus vir diuinæ castigationes sagittas appellat, quæ poterat à Deo iustum hominem consauciare, vt vno quasi ictu quidquid charum, & dulce habebat illi eriperent. Nam cætera tela aut opes tantū feriunt, aut liberos, aut honorem, & celebritatem nominis, aut corporis salutē. Cæterū nusquā humana manus tā potēter telū contorquere possit, vt omnia simul cōficiat, & quasi vulnere inflictō eripiat. Cū ergō sancto viro diuinæ castigationis sagitta, liberos, fortunas, vno quasi ictu abstulerit, iurē sapiētēq; satis sagittas nūcupauit. Sed & illud grauissimū cōsēdū est, grauiusq; periculū adfert, cū sagittæ validē contortē ebibūt spiritū, & sanguinē vitiant, & corrumpunt. Nā videntur Hebræa significare, pro indignatione, Venenū. Chaldaeus interpres ita vertit locum, [Quarum venenum ebibit spiritus meus.] Alij vero, [Quarum venenū ebibit spiritum meum.] Sed recidit in eundē sensum. Nam tolent venatores maximi aciem sagittæ inficere veneno. Quibus sanctus vir significare voluit (vt ego iudico) amicos qui eū venerant consolaturi, nullo aut leuiori sensu tangi suæ calamitatis. Vos (inquit) sagittas videtis infixas, diuina tela in me contorta, sed internos meos cruciatu atq; dolores non videtis, nō vitiatū sanguinē propter venenum, non exhaustum

H 5 spiri-

Matth. 25.  
Luc. 19.Matth. 24.  
Luc. 17.  
Gen. 7.

spiritum, nō deniq; cruciatus illos, quos veneno infectę sagittę interiūs excitant: quos, si vt ego, ita & vos sentiretis, dubitare nō possum, quin iudicium etiam commutaretis.

Quid quōd illud etiam me vehemēter excruciat. [Quod terrores domini militant contra me?] Ac si dicat, Videris me totum sagittis confossum, ereptas fortunas videris, honores, liberos. Hęc sanē sufficerent per se fortissimum quemq; prostertere: sed est aliud, quod me vehemēter perturbat, & perterrefacit. Nam q; pertimesco non dum diuinam indignationem supplicij, & pœnis esse latiatam: atq; hęc grauis formido me animo suspensum tenet, ne post contorta tela, quę vos videris, perniciosioribus sagittis adhuc me confodere velit. Nam ea est humana imbecillitas, vt non possit interdum non angi futuris, & eas sibi accersat miseras, quas optimum esset differre, si discutere non possit. Itaq; meus animus libenter æger, libēter ægrotus captat adhuc doloris causas, nec tantum illum præterita contristant, sed & futura, & quę nondū sentit. Nam & hoc leuamenti, & cōsolationis sancto viro fuit ereptum, quōd prorsum ignoraret, an summi Dei indignatio pœnis esset satiata. [Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam? aut mugiet bos, cū ante præsepe plenum steterit?] Hęc dicuntur à Iobo in eum sensum, vt quidam arbitrantur, vt questus nimios, & longos eiulatus, quos præ animi impotentia ediderat, excuset. Nam in eam rē oratio Eliphaz spectare videbatur, vt has querelas immodicas quasi viro sapiente indignas acriter reprehendat. Est onager, asinus ferus, aut syluestris, nostris regionibus incognitus. Hebrai-

ce, <sup>N79</sup> Pere. Ieremias Hebręa voce vsus est pro onagro: Etiam iuxta sententiam Græcorum, & Latinorum, eadem lingua <sup>779</sup> Pered mulus est. Osee. Onager solitarius apud se. Mirari autem quis posset, quōd in Scriptura sacra, interdum mulorum mentio inuenitur vt in psal. Nolite fieri sicut equus, & mulus. Et legimus, Dauidem iussisse, Salomonem filium imponi mulę suę. Erat autem prohibitum, ne animalia diuersi generis commiscerentur. Verum hoc genus mulorum, quo Syria vtitur, diuersum est, (vt scribit Arist.) ab eo, quod coitu equę, & asini procreatur, quanquam simili facie, quemadmodum, & asini syluestres similitudine quadam nomen vrbanoꝝ acceperunt. Et quidem vt asini illi feri, sic muli præstant celeritate. Procreant tamen eiusmodi muli in suo genere. Hęc Aristotel. Quibus faciliè perspicitur, mulos, quibus vtebantur Iudæi, & Syri, non eius generis fuisse, cuius procreatio in lege vetita est. Et pulchrè nomen quoq; quo muli in scriptura vocantur, ijs quę Aristot. scripsit conuenit. Nam psal. trigesimo secundo mulus <sup>779</sup> Pered, & tertio regum. <sup>779</sup> Pirdah, idest mula vocatur: quod idem, & onagrorū nomen est. Quōd autem interpretes penè omnes mulos reddidere, causa sine dubio fuit, quam Aristot. adducit, nempe similitudo. Quōd autē onagros atque boues nominat sanctus Iob, ea fortasse causa fuit, quę animantes inter cæteras inedię sint impatientissimę. Et quāta cura sint alendi boues, Columella de re rustica multa scribit. Sed ad rē accedam. [Nūquid rugiet onager, &c.] Viderur hoc loco sanctus Iob, à minori argumēto sūpro, ijs quę ab Eliphaz

Ierc. 14.

Osee. 3.

Psal. 31.  
Reg. 1. 3.  
Leuit. 19.Arist. de  
natura animalium  
lib. 6. cap.  
36.Psal. 31.  
3. reg. 1. c.Columel.  
lib. 6. c. 3.

phaz

phaz dicta sunt voluisse satisfacere. Cum ergo totus homo duabus partibus constet, quarum altera bruta est, altera rationis cōpos: ea ex parte homines belluis sumus similes, quæ appetitu tantum, & affectibus ducimur. Ob eamque rem ea, quæ brutam hanc in homine naturam sequuntur, sunt omnibus modis similia cæteris animantibus. Id autem quod cum natura coniunctum est, ab ea vlla ratione diuelli non potest. Cæteras autem animantes videmus, dolores, cruciatus, & anxietudines quibusdam vocibus exprimere, vt mugitu, rugitu, hinnitu. Rugit quidem onager, aut rudit potius deficiente cibo: mugit bos cum necessarium pabulum deest: cum vero præsepe est plenum, nullam doloris dant significationem. Illud ergo omnibus animantibus natura tribuit, vt internam afflictionem vtrūque exponant. Cum ergo homo hac parte cum cæteris animantibus conueniat, quid mirum est (inquit Iob) si ego mei animi dolores, & anxietudines suspirijs, & querula voce expressero? Fortasse argumētum hoc colligendum est in hunc modū. Cæteris animantibus ignoscitur, quāuis in minoribus querulæ sint: ignoscitur onagro, & boui, si pabulo carentes rudant, & mugiant: multo ergo magis mihi ignoscendum est eiulanti inter tot calamitates, aut si malis: cæteræ animantes, quæ sensu tantum, & appetitu ducuntur, nunquam sine causa aliquam dant significationem doloris, sed tunc maxime cum deest necessarium pabulum, aut aliquo alio afficiuntur cruciatu. Si ergo animantia bruta nunquam sine causa conqueruntur, existimatis vos, me suspiria, & eiulatus emitte, aut arrogantia sola, aut leuita-

te ductum: hoc est, sine causa aliqua, & magna, & graui? Sed ego non tantum propter adductas causas existimo, sanctum Iob horum animantium meminisse, verum etiam vt amicorum animos vellicet, & stimulet, maxime Eliphaz, qui acriter eum reprehenderat superiori oratione. Scio ego, (inquit Iob) quibus ex fontibus doloris, & mæroris nascantur mei questus, quibus etiam ex fontibus vestræ orationes compositæ, & magnifica verba. Natura ita comparatum esse videmus, vt brutæ animantes, onager videlicet, atque bos nullā dent doloris significationem, cum omnia suppetunt, quæ ad tuendam vitam sunt necessaria, cum videlicet præsepe plenum est cicercula, aut prætenso fœno, milio, hordeo, aut tritico, & palea: contra vero, si deficiat necessarium pabulum: Vos (inquit vir sanctus) qui ad plenum præsepe statis, cum vobis sint integræ fortune, dignitas, salus, nullos editis rugitus, aut mugitus: Atqui certo scio, si hic essetis, vbi ego sum, aliter iudicaretis. Sunt autem multi eius farinae, quibus eduenit illud ex psal. 48. *Psal. 48.* *mographo; Confitebitur tibi cum benefeceris ei. [Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditū? aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?]* Respondet Iob his verbis tacitæ obiectioni. Ita est (dicere potuisset Eliphaz) eodem omnes instigante natura ducimur, & impellimur, vt internos animi cruciatus voce exteriore exprimamus. Sed sapientis hominis non est, eam mœstitiā propter incidentes aduersitates animo concepere, quæ eum cogat in eiulatus, & questus immodicos erumpere. Nam quid sapienti homini damus, si imbecillimis fortior est, mœstissimis

stissimis letior, & effrenatissimis moderatior, & humillimis maior? Sic per oditum est ab Stoicis, non esse sanum appellandum eum, qui leuiter febricitat: non est appellanda bona valetudo mediocritas morbi. Exigebant enim à viro sapienti non tantum diminutionem malorum, sed vacationem. Nam si aliquos affectus vir sapiens semel admittat, impar illis erit ratio, velut torrente quodam auferretur: præsertim si vniuersum affectuum cœtum relinquamus, cum quo colluctetur. Plus enim poterit mediocrium turba omnis, quam magni vnius robur & violentia. Contra verò Peripatetici, imperturbatum, & inconstantem, & sine tristitia eum hominem dicunt, qui raro perturbatur, & modicè, non qui nunquam. Item sine tristitia eum dici aiunt, qui non est obnoxius tristitiæ, nec frequens, nimisue in hoc vitio. Illud enim humanam naturam negare est, cuiuspiam animum immunem esse tristitiæ. Non vincitur mœore sapiens, cæterum tangitur. Itaque non sunt affectus tollendi, sed moderandi. Huc spectare videtur oratio Iobi, ut quidam arbitrantur, ut ostendat hos affectus non funditus esse extirpandos: & omnem ex animo sapientis velle diuellere mœorem, aut mœstitiam, perinde esse, ac si velis totam conuellere naturam. Sunt quædam (inquit Iob) quæ vehementer delectent, oblectent sensus ipsos exteriores, ut oculos, auditum, gustum, tactum: Sunt alia, quibus vehementer oblectetur ea nostri animi pars, quæ ratione vacat: Sunt verò alia, quibus ut exteriores sensus, ita etiã, & bruta nostri animi pars vehementer offendatur, & irritetur: quæ iudicat, non tantum non esse expe-

similiter

tenda, verum etiam refugienda. Non oblectatur gustus eis cibis, qui non sunt sale conditi, eam ob rem, quod quæ sunt insipida, gustui minime conueniant. Ad eundem modum, neque inferior illa animi pars, quæ ratione vacat, admittere potest, quæ sibi minus conuenire videntur, & quæ nullum adferunt oblectamentum. Multò minus gustus ipse admittere potest, quæ sunt amara & noxia, ut absinthium & venenum. Nemo enim gustare potest, qui mente sit sana; quod gustatum adferat mortem. Ut ergo de exterioribus sensibus iudicamus, ita & de animo sentiendum est. Et quæcunque circa sensuum naturam contingere videmus, sunt ad animum reuocanda, & transferenda. Fieri enim non potest, ut quæ noxia sensibus videntur, sine mœstitia aliqua, & dolore admittantur. Neque fieri potest pari opera, ut ea sine tristitia animus admittat, quæ sibi iudicat aduersa; ac prorsum contraria. ¶ Fortasse sanctus Iob his verbis increpare voluit amicorum insolentem arrogantiam, in hunc modum: Sunt quidam delicati homines, qui si quidpiam condimenti desit cibus, si parum habeat grati saporis, vehementer conquerantur, seruos obiurgent, & in ministros grauiter debacchètur, vapulet cocus, & omnia denique in domo sursum, deorsumque iacentur. Quid existimas facturum hoc hominum genus, si omnino illis desisset cibus? Si ferre non possunt ea, quæ gustui delectamenta non adferunt, quali animo sustinebunt, multorum dierum inedia? Vos itaque, qui neque leues scelus aduersæ fortunæ sustinere potestis, hanc malorum intolerabilem procellam ferre potestis? aut aliter. Si libet

ff

cæteros

ceteros grauitè increpari homines, atque hoc est vestrum ingenium, habetis in quos dentes exacuatis. Videris enim quosdam non solum queri, si sibi delint cibi, sed etiam si quid condimenti cibi defuerit: & in illos nemo inuehitur. Sunt qui hæc verba referant ad stultam Eliphaz orationem, quasi Iob dicat, Quis poterit tolerare stultam vestram orationem, & insipidam? Hebraea videntur sonare, [ Num sapit quicquam salua albuminis? (aut) Num est sapor in albo vitelli? ] Interpretatio Chaldaica huic etiam fauet versioni. ¶ Et perstans in metaphora subiecit, [ Quæ prius volebat tangere anima mea, nunc præ angustia animi cibi mei sunt: ] Quæ ad mentem sunt reuocanda, & transferenda. Sed vt semel ceptam metaphoram prosequeretur, videte (inquit) quam amplas doloris habeam causas, & nunquid præter rationem gustus ipse hæc edulia refugiat vehementer. Nam quæ antea tangere renuebam, præ animi afflictione, & mærore, cibi mei sunt, non tantum insipida, sed & amara, & noxia, quod maxime sit de mirandum. Dicuntur hæc per metaphoram. Sed sunt hæc accommodanda inopiæ postremæ, squallori, vlcerebus, sanici, cæterisque huiusmodi. Hæc (inquit Iob) quæ antea meus animus vel alongè prospicere, vel tangere renuebat, cum florētī fortuna vterer, iam sunt cibi mei, quibus semper vescor. Dicta sunt hæc à Iob, vt intelligas, illam eis rebus fuisse exlatiatum: doloribus videlicet, vlcerebus, inopia, quas antea vix vel animo conciperet, aut tractaret. [ Quis det, vt veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus? & qui cæpit, ipse me conterat: soluat manum suam,

& succidat me? Et hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore, non parcat: nec contradicam sermonibus sancti? ] Ac si dicat, Vtinam eueniat quod peto, nempe mors: ac Deus concedat, quod spero: hoc est, postremum interitum: & ita Deus de me statuat, vt me comminuat: excussa que manu velut neruo findat me. Adhuc enim mihi solatium erit, si id præstitit leuamenti, si mihi non parcat, hoc est, si in me extinguendo omnem exerceat misericordiam. Tanta grassanti vis morbo est. Sunt qui arbitrentur, quæ in superioribus sanctus Iob dixerat de cibis, quos ante casum miserabile contingere renuebat, de morte fore accipiendæ: cuius memoria, & recordatione perpetua pro cibis utebatur, vt sit sensus. Mors, quæ antea mihi terribilis, & horrenda videbatur, iam dulcis facta est. Nam sola illius recordatio mihi consolacionem adfert incredibilem. Videtur hoc loco sanctus Iob mortem vehementer optare, atque eam obnixè postulare à Deo, & causam subiecit, [ Ne contradicam sermonibus sancti, ] Apertè significans, non tantum ad vitandos cruciatus, & dolores se mortem præstolari, verum etiam multò magis ne dolore, & cruciatu ad aliquod impatientiæ scelus adduceretur. Vehementer enim reformidabat, ne fortasse aliquo peccato propter cruciatuum acerbitatem, & dolorum vehementiam inficeretur. Non licebat viro sancto se ipsum interimere, vt peccatum, & facinus omne declinaret: quod Augustinus ad Marcellinum eleganter docet. Nam qui sibi manus adfert vt scelus declinet, perinde est, ac si dicat, iam nunc peccare decreui, ne fortasse postea peccem: nunc

D. Aug. li  
br. i. ad  
Marcellinum de  
peccatorum  
meritis, &  
remissione.

nunc in homicidium incidam, ne in posterum incidam in adulterium. Nam si tatum posset in quempiam nostrum iniquitas, vt non innocentiam, sed peccatum eligere decreuisset: satius esset interdum de futuro adulterium, quam certum de presenti homicidium. Deinde satius est flagitium committere, quod committendo sanari possit, quam tale facinus, vbi locus salubri penitentiae non relinquitur. Vnde voluntaria mors nunquam ad magnitudinem animi pertinere potest. Sæper excipio eos, quos, & Scriptura sacra, & publicus ecclesiae consensus ab hac lege communi exemptos iudicat: vt Samsone, cui latenter spiritus iubebat, vt alophyllorum turbam etiam propriae vitae dispendio domus ruina opprimeret, & enecaret: vt Abrahamum, cum accepto diuino oraculo, filium vnicum, & charissimum interrimere voluit. Ijs enim alijsq; similibus exemplis tantum caelestis lucis atq; supernae Deus tribuebat, vt aperte, etiam renuente, & reluctante lumine rationis viderent, non posse se vlllo pacto naturae leges violare, tamen si sibi aut alijs manus inferrent. Quauis de Samsone dicerem nullum admisisse flagitium, quod iudex esset, & publico fungeretur magistratu, & pro salute suæ gæris tuenda liceret tradere se ipsum morti. Sed vt iam eò nostra se conuertat oratio, vnde digressa est: pusilli animi est, non magni, vel propter incidentes aduersitates, vel vt peccatum quodpiam declinet, sibi manus afferre. Humilis profecto animi est, atq; deiecti, non posse aduersa tolerare, vt duram seruitutem & postremam inopiam, aut parum adeò de se ipso sperantis, vt peccatum fugiat, sibi mortem consciscere.

Iurè Cato Uticensis reprehenditur à viris sanctis: & iniuria laudatur à Cato Uticensis. Seneca eo libro, qui de prouidentia diuina est, quod se ipsum interemerit, ne in manus hostis Cæsaris deueniret. Quod si hoc mortis genus, quidpiam haberet laudis, aut hoc à magnitudine animi profectum arbitrareretur, maiorem profecto laudem Cleombrotus fuit consecutus, qui lecto Platonis Phædone de immortalitate animæ, vt ex hac vita, quæ est veluti mors quædam, ad immortalitatem migraret, e muro se in mare dedit precipitem, cum nihil ei mali contigisset: autor est Cicero. Itaq; cum nulla vrgeret calamitas, quam ferre non posset, ad capeffendam mortem, atq; huius vitæ suauia vincula rumpenda, sola animi magnitudine ductus, præcipitio sibi vitam auferre, curauit. Qui tamè si attentius legisset Platonein, eò stultitiæ atq; dementiæ nõ peruenisset. Nam idem Plato, eodem etiam libro in principio, nefas iudicat, hominem sibi manus afferre: neq; aliter irasci deum, si id fiat, quam dominus irasceret si aliquod mancipiorum se occiderit. Alijsq; in locis etiam ait, nulli hominum licere, ex hac vita migrare, nisi Dei iussu. Sumus (inquit) hic omnes veluti in acie, loco vnicuiq; suo ab imperatore Deo assignato: ob eamq; rem, maiori afficiendum supplicio desertorem vitæ, quam desertorem militiæ. Itaq; sanctus Iob, cum non haberet potestatem sibi inferendi manus, tamen si intolerabili vulnere putresceret, & dolorib; excrucieretur immanibus, temperauit se tamen ab hoc facinore. Dubitare tamè quispiam posset, an homini iusto liceat tã opere mortem optare, atque sanctus Iob significare videtur propositis verbis.

Diuus

Iud. 26. 5.

Gen. 22.

si quis  
de i. ad  
- illorum  
de omni  
etiam  
etiam  
etiam

D. Auguf.  
lib. 2. con-  
tra fecūd.  
Gauden.  
epifto. ca.  
22. 10. 7.

Diuus Auguftinus docet, id licere hominibus pijs citra aliquā diuinitatis contumeliā, cū vita amara est, dulcem optare mortē: imò quod amplius demirere, optare poffe, vt cum iuftitia, aut citra trāfgreffionem diuini iuris, & æquitatis naturalis liceret fibi mortem afferre. Potest ergò iuftus homo defiderare, fi fieri poffet, hæc efferet iuftitia, vt fe ipfum interimeret. Sed quia id per iuftitiam facere non potest, iufte cohibet manus à scelere. Potest ergò iuftus fine scelere mortem optare, quando amara est vita: quā fi Deus non dederit, postulat iuftitia ipfa atque æquitas, vt amaram vitā fuflineat. Nā quis iuftum hominem aut sceleris aut peccati damnaret, quòd periculo mortis ingruente vitā optaret? Ira & citra flagitium aliquod, cū vita peracerba est, licet (autore Auguft.) optare mortē: quā fi impetrare non potest, dicat quod Chriftus, nō quod ego volo, fed quod tu vis. Accedit ad hoc q̄ eā optabat, vir fāctus, nō tā vt cruciatus fugeret, (q̄ exigui animi efferre videret,) quā vt peccatum declinaret. Vehementer enim pertimescebat, ne propter infiram noftræ naturæ imbecillitatem, in aliquod flagitium prolaberetur. Vnde ab ipfa fragilitate humanæ noftræ naturæ ducto argumento, [Quæ est (inquit) fortitudo mea vt fuflineam? aut quis finis meus, vt patienter agam?] Iufte enim hæc formido nascitur piorū animis gemino ex fonte: primò, eo quòd delectus arbitrij non est in hominibus gratia circumfcriptus, & firmatus: (semper excipio paucos quosdam, quos diuina gratia eo munere dignata est), fāctus ergò Iob hoc robur, has vires, quæ ab amplitudine diuinæ gratiæ nascuntur, in fe non sentiebat. Secū-

dò nascitur hæc formido à prolixitate, aut protractione dolorum. Nā cū ad breue tempus quispiam exercetur calamitate aliqua, facile potest fibi perfuadere animi constantiam. [Sed quis est finis meus, (inquit Iob) vt patienter agam?] Ac fi dicat, mei dolores atque cruciatus nullum vnquam accipient finem, aut modum: in tanta ergò malorum diuturnitate vehemēter pertimesco ruinam: [Neque enim fortitudo mea lapidum est,] qui nullo tanguntur sensu doloris, [nec caro mea ænea,] vt omni sensu acerbitatis vacet. Sūt ergò exiguæ, & impares doloribus vires mee. Ob eā q̄, rē nihil iā mihi sperandū est, etiā fi vita fuerit productior. Quæ dicuntur de duritie saxorū, & æris, aduersantur Stoicorum sententiæ: qui dicebant, sapientem virum omni perturbatione affectuum debere vacare. Ego certē iudico, insanos eos esse, qui hominem, mite ac sociale animal orbant suo fine: qui euulsis affectibus, quibus omnis constat humanitas, ad immobilem stuporem mentis, saxorum videlicet, atque lapidum cum perducere volunt, dum student animum à perturbationibus liberare, & quietum tranquillūque reddere. Quod fieri non tantum non potest, sed neque oportet quidem. Primū, quia vis & ratio eius in motu est. Deinde, quia sicut aqua semper iacens, & quæta insalubris est, & magis turbida, sic animus immotus ac torpens saxorum instar, inutilis est sibi: quia neq; faciet quidquā, nec cogitabit, cū ipsa mētis agitatio frequenter excitatio nem affectuū cōsequatur. Denique qui hanc ignobilitatem animi afferunt, priuare animum vita volunt, quia vita actiuosa est mors quæta.

Ecce

**E**cce non est auxilium mihi in me,  
 & necessarij quoq; mei recesserunt  
 à me. Qui tollit ab amico suo miseri-  
 cordiam, timorem Domini derelin-  
 quit. Fratres mei præterierunt me,  
 sicut torrens qui raptim transit in cõ-  
 uallibus. Qui timent pruinam, irruet  
 super eos nix. Tempore quo fuerint  
 dissipati, peribunt: & ut incalue-  
 rint, soluentur de loco suo. Inuolutæ  
 sunt semitæ gressuum eorum,ambu-  
 labunt in vacuum, & peribunt. Con-  
 siderate semitas Thema, itinera Sa-  
 ba, & expectate paulisper. Confusi  
 sunt, quia speravi, uenerunt quoq;  
 usq; ad me, & pudore cooperiti sunt.  
 Nunc uenistis: & modo uidentes  
 plagam meam timetis. Nunquid di-  
 xisti, Afferte mihi, & de substantia ue-  
 stra donate mihi? Vel, Liberate me de  
 manu hostis, & de manu robustorum  
 eruite me? Docete me, & ego tacebo:  
 & si quid foris ignoravi, instruite me.  
 Quare detraxistis sermonibus veri-  
 tatis, cum ex uobis nullus sit, qui  
 possit arguere me? Ad increpandum  
 tantum eloquia concinnatis, & in-  
 ventum uerba profertis. Super pupil-  
 lum irruitis, & subuertere nitimini  
 amicum uestrum. Veruntamen quod  
 cepistis explete: præbete aurem, &  
 uidete, an mentiar. Respondete obse-  
 cro absq; contentione: & loquentes id  
 quod iustum est, iudicate, & non in-  
 uenietis in lingua mea iniquitatem,  
 nec in faucibus meis stultitia perso-  
 nabit.

**P**rimum, ac maximum huius uite  
 solacium est, ut habeas necessa-

rios, & amicos, quibus pectus tuum  
 aperias, quibus arcana commendes,  
 quibus secreta animi committas: &  
 maxima felicitas est fideles habere  
 viros, qui in prosperis gratulentur  
 tibi, in tristibus compatiatur, in per-  
 secutionibus adhortentur. Facilis  
 vox, & cõmunis, Tuus sum amicus,  
 tuus sum necessarius: difficilimum  
 tamen quempiam inuenire, qui ve-  
 re, & ex animo amicitie iura custo-  
 diat. Iurè igitur sanctus Iob, hoc in  
 loco conqueritur, in rebus tristibus,  
 & aduersis, nullum habere necessa-  
 rium, nullum amicũ. Quæ ultima,  
 inter tot incommoda, pars leuamen-  
 ti erat. Incerta profectò amicitia est,  
 dum prosperè agimus: nescimus e-  
 nim, an persona, an potius prospe-  
 ritas ipsa diligatur. Iactura autem  
 felicitatis vim amicitie, & dilectio-  
 nis probat. Neq; enim prospera for-  
 tuna amicum probat, neq; aduersa  
 amicitiam celat, quia & falsus ami-  
 cus sepe prosperæ fortunæ reue-  
 rentia tegitur, & reslante fortu-  
 na aperitur. Conqueritur itaque  
 de falsa amicitia, & simulata neces-  
 situdine, quas rei familiaris utilitas,  
 subdola, & palpans adulatio conciliauerat. Ecce (inquit) quæ postre-  
 ma videbatur esse ancora meæ sa-  
 lutis, erepta est: [Namq; amici, &  
 necessarij recesserunt à me.] Fue-  
 rant omnia bona, atque fortunæ di-  
 repta, interempti filij, sublatus ho-  
 nor, integra corporis salus absum-  
 pta, & ad humum usq; prostratus,  
 totus scatens vermibus. Poterant  
 hæc magno animo sustineri, si ullus  
 fuisset amicus, si necessarius, qui eũ  
 in tanta calamitate subleuare, & eri-  
 gere, aut blandioribus uerbis conso-  
 lari potuisset, aut uellet. Primò ita-  
 q; de domesticis ac necessarijs con-  
 queritur, de consanguineis, & affini-  
 rate



tate coniunctis: & secundo loco de amicis. Primò ergò dicendam de necessarijs, & clientibus. Hinc licet conijcere, qualis sit seruorum, atq; necessariorum turba. Nam qui cian destinas domi agebant inimicitias, vbi fuerit commutata domini fortuna, a pertis linguis agunt, armis si potuissent acturi. Bene dictum accepimus à quopiam, seruilem animum vas esse pertusum, nihil continere beneficiorum, quidquid infuderis, mox effluet. Cùm in domo versantur, domesticæ pacis virus abditum solet esse: veneratur dominum, quò profundos, & capaces ventres impleant, ac lubrica guttura demulceant. At si tantisper senserint dominum cum aduersa luctantem fortuna, quæcunq; beneficia, etiam maxima abeunt in obliuionem. Non est omnino vana neque prorsus in utilis fabula illa, neq; ab optima philosophiæ ratione aliena, quæ à poetis refertur de Actæone, qui ab alūnis suis canibus discerptus est. Nam sic solent serui, necessarij, & clientes cùm herus diuitis, & opulenti speciem præ se fert, illū sequi, venerari, & ei diligētē præstare cultū, nempe vt diuitias exhauriant, & marsupium. Si verò cōmutatam fortunam viderint, & speciem pauperis, ij primi omnium solent dentes exacuere in eū, à quo innumera accepere beneficia. Iurè meherclè hoc necessariorū, seruorum, atque clientum genus simile quispiam dixit sepulchro perimagnifice structo, in quo scriptio quædam est, ac titulus, eius qui fuit sepulchro conditus. Hic iacet, &c. cū referato sepulchro facile deprehendatur mendacium, cùm sit ibi nihil aliud, quam puluis, & inertia ossa exuta carnibus. Non secūs de necessarijs, & clientibus iudicandum.

Qui, cùm florētī fortuna vtitur dominus, nihil aliud in ore habent frequētius, quàm meus dominus, meus herus, & seiplos seruos appellat, atque hoc seruitutis genus libentissimè fatentur: quasi ea sit eorum vita contenta, quasi nihil sit dulcius, nihil gratius, quàm tali seruire domino. Referatur verò sepulchrum, & aperitur, cùm hærus in aduersam aliquam incidit fortunam: tunc verò non tantum non necessarium, non clientem, non optimum seruum, sed cineres, ac puluerem, & apertum fortasse inimicum inuenies, qui titulo tenus se seruum, & necessarium fatebatur. Rectè Plato, vt cætera, magnas & immensas opes tum priuatorum, tum principum, quò abundantiores fuerunt, eò plures, maioresq; calamitates, & subditos aluisse. Quo fit, vt credendum sit, sanctum hominem, qui vsq; ad miraculum opibus abundauit, huius generis homines plures aluisse, qui felici atq; optimo rerum statu nunquam ab illo oculos dimouerent defixi semper, atque stupentes illum spectarent: quibus tamen nihil magis curæ esset, quam vt optima domini fortuna fruerentur, quoad liceret. Satis hoc declarat, quòd (vt inquit sanctus vir) postquam optima illa, atque felici fortuna fuit deturbatus, omnes dominum, atque hærum deseruere. Huc referendum est, quòd Aristotel. de triplici amicitia dixit: propter bonum utile, delectabile, & honestum: atque illud amicitiae genus, quod in delectabilia, & oblectamenta spectat, dicit esse iuuenum. Ea verò amicitia, quæ in honestum spectat, bonorum virorum est, atque hæc permanens est, & stabilis.

I Quæ

Quæ verò spectat in bonum vtile, senibus tribuitur à summo philoso-  
pho. Quod tamen si ita res habeat, &  
vlla posset esse amicitiae coniunctio  
inter dominum, & seruum: necessa-  
rijs profectò, atq; seruis, & cliētibus  
hoc amicitiae genus tribuendū esset:  
qui nihil aliud spectat, quā proprias  
vtilitates, & opportunitates. ¶ Secū-  
do loco de amicis conqueritur in  
hunc modum. [Qui tollit ab amico  
misericordiā, timorem Dñi derelin-  
quit.] Nam amicum deserere, cum  
tua ope maximè eget, iniquū sane  
fuerit: neq; id fieri possit sine graui  
Numinis cōtumelia. Neq; enim ab  
officio discedere possis, quin etiā de-  
clines à religione: quam sanctus Iob  
timorem domini appellat. Nā vt re-  
bus prosperis, & optimo rerum suc-  
cessu proximū, & amicum diligere  
debeas: sed tum multò magis amici-  
tiae iura, & dilectionis officia prestā-  
da sunt, cum id necessitas postulat,  
& miserandus aliquis amici casus.  
Vbi si amicum deseras, & naturæ le-  
ges violasti, & cōtempnisti præterea  
diuina iura. Aristonymus quidam,  
de falsis, & simulatis amicis, & qui  
sub illustri amicitiae prætextu adu-  
latores sunt, & assentatores, sapiēter  
aiebat. Similes esse ignibus: opes ve-  
rò atque diuitias similes lignis, quæ  
dum ignem augent, ab ipso consu-  
muntur. Non secūs opes, dum adula-  
tores (qui se falsos amicos dicunt)  
alunt, & nutriunt, ab ipsis nullum  
aliud beneficium consequuntur præ-  
ter interitum, & finem. Ij sunt, qui,  
vt Pythagoras sapienter aiebat, vt  
meretrices solent, omnia fausta, &  
felicia precantur præter bonā men-  
tem suis amatoribus. Sciunt enim,  
ita natura comparatum esse, vt si iu-  
dicio, atq; sapientia sceleris turpitu-  
dinem expenderent, ad meliorem vi-

tæ frugem se reciperent illico. Ad  
eundem modum de his, qui se falsò  
amicos dicunt, iudicandum, & fla-  
tuendum. Omnia præter bonam  
mentem amicis exoptant: ne fortas-  
se illorum deprehensò mendacio, in-  
fidijs, & machinamentiis cognitis, ali-  
quid eorum commodis, & vtilitati-  
bus detrahatur. Rectè à viro quodā  
sapiente dictum accepimus, nullam  
mercem difficiliorem cōemptu, quā  
homo: ita vt difficillimum sit amicū  
tibi comparare. Omnis fortuna a-  
micitijs eget: illi tamen amicorum  
copia maior est, cui cæterarum rerū  
est indigentia minor. Sic inopiā rei  
familiaris semper inopia amicorum  
sequitur, atque copia copiam comi-  
tatur. Crescat egestas (vt inquit Iob)  
decreſcent profectò, seu abibūt ami-  
ci: tum profectò intelliges, qui fue-  
runt tui amici, qui fuerunt amici  
tuæ fortunæ: te tui sequentur, illam  
sui. Neq; est quòd mirari debeas, vā  
se exhausto illos abscedere, qui so-  
lam vini dulcedinem tequebantur:  
fex potorem abigit, aduersitas verò  
simulatorem. Vt enim absumpto  
vino, cum ad feces peruentum est,  
potator discedit: ita etiam cum ad  
infelicem fortunam absumptis opi-  
bus amicus deuenerit, recedit simu-  
lator. Itaq; facile sit contubernales  
inuenire multos, conuiuas, adula-  
tores, qui nisi opes, atq; epulæ defue-  
rint, non deerunt. Amici autem sem-  
per pauci, sæpe nulli: & frequenter  
amici nomen domesticus hostis te-  
net, & sub velo fictæ benevolentiae  
familiares insidiæ deliteſcunt. Ca-  
ducas hoc loco S. Iob esse amicitias  
significat, quarum delectatio vel v-  
tilitas fundamentum est: nam stan-  
tibus illis tremunt, & recedentibus  
ruunt. Id non possibile tantum, sed  
perfacile, imò vero propè necessa-  
rium

Aristony-  
mus.

Pythagor.

Crates.

rium est, quod hæc plerumque vel fortunam sequantur, vel ætatem, honorem, dignitatem, quibus nihil incertius. At verò quæ in virtute fundatur immortales sunt: eò quòd virtus ipsa stabile quoddam, atque firmum sit, & quod mori nequit. Ob eamque rem quos propter honestum diligimus, diligimus non tantum viuos, verum etiam, & aduersa fortuna pressos, & extinctos. Crates philosophus ad opulentum quendam adolescentem, quem sub prætextu amicitie adulatorum caterua comitabatur, Adolescens, (dixit) miseret me tuæ solitudinis. Nam diuites, cum se magis circumseptos, atque stipatos amicis arbitrantur, tum maxime deseruntur. Vnde & frequenter decipiuntur homines, cum ad inopiam redacti arbitrantur se tunc primum amicis esse desertos: nam tunc maxime cum optima fortuna floreret, eo morbo laborabant. Lupi canibus sunt persimiles, studia tamen diuersa: & adulator speciem amicitie præ se fert, cæterum proprijs tantum commodis studet. Delphini, quousque vnda subest, comitantur natantes, in littus verò nunquam egrediuntur: Sic falsi amici, in sereno tantum rerum statu virum sanctum complexi sunt. Quemadmodum qui amicos ad peregrinationem cures, dum via plana est deducunt, dum asperior incipit, recedunt, sic & sancto Iobo accidit. Sed de fratribus, & consanguineis, & illorum ingenio mirum est profecto quam sapienter atque eleganter vir iustus statuat. [ Fratres mei (inquit) præterierunt me, sicut torrens, qui raptim transit in conuallibus. ] Et quod sequitur. ] Qui timent

pruinam, irruet super eos nix, tempore quo fuerint dissipati peribunt. ] Iuxta versionem nostram difficillimum sit explicare hos versus, atque sequentes. Ita tamen litteræ series cohæret. Fratres, & cognati nullo tacti doloris sensu, oculis conuiuentes, ne me conspecto misericordia flecterentur, celerimè pertransierunt, neque verbo, neque facto vllam mihi afferentes consolationem. Pertransierunt vt rapidus torrens, qui magno impetu, & incredibili celeritate è montibus se præcipitat, & per conualles transit: neque mihi opportuna obsequia subministrarunt. Qui autem eiusmodi sunt erga amicos, diuinum iudicium non effugient: nam dum minora incommoda reformidant, incident in pericula longè grauiora: veluti si quispiam leuem pruinam fugiens, grauissimam cogatur niuem in se ruentem ferre. Ergò quicumque misericordie opera proximis negant, ne iacturam faciant rerum temporalium, diuino utique iudicio maiora damna patientur. Et quanuis fortasse ad tempus felices videatur, qui nullo tanguntur affectu misericordie quòd Deus differat ultionem, nec grauius in illos animaduertat: veruntamen, [ tempore quo fuerint dissipati, peribunt. ] Hoc est, cum anima seiuncta fuerit à corpore, in ultionem sceleris æternas dabant poenas, ac deinde, [ cum incaluerint, soluentur de loco suo. ] hoc est, cum feruor diuinæ indignationis experit exardescere, tunc subito soluentur, liquescent, & peribunt de loco suo omni gloria, atque felicitate amissa. Hæc iuxta versionem nostram sint à nobis dicta. Cæterum Hebræa videntur sonare.

[Fratres mei sefellunt fidem, vt torrens, vt qui vallem transeunt torrentes, qui turbidi sunt atq; glacie, & niue quæ in eos resoluitur.]  
 Hebræa: [ Super eos absconditur nix, vel in quibus absconditur nix, in quos torrentes nix liquefacta, in aquam immiscetur, & immittitur.]  
 Elegantissima metaphora consanguineos, & cognatos, & inconstantes amicos torrentibus comparat, qui tempore veris aucti niualibus aquis, magno imperu feruntur, ætate verò exarescunt: ad quos cum accedunt mercatores sitibundi, accurretes spe potus falluntur. Huc spectat, quod dicitur. [ Qui turbidi sunt ac glacie, & niue, quæ in eos resoluitur, tempore autem coarescunt, abolentur, vel defluendo imminuuntur, & delentur, ] Et quod dicitur, [ incalescit ] subintelligendum est tempus æstiuum, quando videlicet extenuatur. Sequitur iuxta versionem nostram, de eisdem consanguineis, & amicis. [ Inuolutæ sunt semitæ gressu eorum, ambulabunt in vacuum, & peribunt. ] Semitas inuolutas appellat, vitam flexuosam, & sinuosam, cuius non possis facile deprehendere rationem. Sic enim tota diuina philosophia appellatione viarum, & semitarum, consilia, cogitata, viuendi quæ rationem significare consuevit: vt multis scripturarum locis deprehenditur. Vt ergò in consanguineis, & amicis, & ijs, quibuscum agimus, & versamur, simplex animus sincerusq; & apertus maximè commendatur: ita calliditas, & astutia, flexuositasq; omnis vitio vertenda est. Eorum igitur semitæ flexuosæ sunt, plenaq; est tota vita conuulsibus: qui vt marsupium exhauriant, corradant diuitias, amicis, & consanguineis cum florenti fortuna potiuntur, assentantur,

adulantur, & denique nihil non efficiunt, vt aliorum succo pinguescant: verum id ea ratione, vt vix intelligere possis, nunquid assentator sit an amicus. Quemadmodum difficile est inter fucum, & apem inuenire discrimen: cum altera nempe apis mella, fauosq; conficiat, alter verò alarum strepitu, & murmure simulans apem, & mella, & fauos absumat alieno semper labore fruens. Sed qui eiusmodi sunt æquissima Dei prouidentia atq; iustitia ita ferete sui sceleris solent luere poenas. Nā hoc supplicium potissimum, atq; illud poenatum genus solet ab eis Deus exigere, quod illi omnium censent longè grauissimum, nempe quod in vacuum ambulat, & tandem pereunt, vt inquit Iob, Nā in vacuum ambulare, idem est, ac si dicas, operam, & oleum perdere. Frustrantur optatis, & nunquam sunt vori copotes. Ita enim frequenter contingit, vt qui sua vafricie, & calliditate proximum circunuenire nititur, a sua expectatione depulsus, quæ vehementius optabat, haud consequatur, & tandem postremo mortis afficiatur supplicio. Iure enim immatura morte rapiuntur, qui omnes vitæ partes male collocabant, aded vt alienis semper incommodis sua commoda pararent. Verum iuxta veritatem Hebræam, nusquam discedit Iob a metaphora semel proposita, sic videtur sonare Hebræa. [ Recedunt per semitas itineris sui, effluunt in nihilum, & disperunt. ] Ac si dicat: torrentium, & amnium quæ ad tempus tantum decurrunt itinera per quæ feruntur concutiuntur facile, vt vulgare sonat verbum, Ciegan se, euanescent, ac penitus incereunt. Venustissima sanè metaphora ad exprimenda quorundam hominum ingenia, qui cum amicicie specie

speciem præ se ferunt, cum is, quem decipere nituntur, felici fortuna vititur, & alueo pleno videtur decurrere, nihil non pollicentur, & omnia se facturos in rem nostram, & nihil magis optare, quàm vt vtrò sese offerat occasio, aut fors, quàm amicitiam, & dilectionis eorum periculum facere possimus. Cæterum vrgente grauissimo æstu, hoc est, iagruente tempestatis procella, & fortuna reflante, & res ipsas felices commutate in aduersam partem, nō tantum aquæ exhauriuntur, hoc est, aboletur funditus omnis amicitiam ratio, sed & itinera, & aluei, per quos ferebantur, euanescent omnino, ac prorsum intereunt: ita vt diligentius perquirens, nullum prorsus amicitiam vestigium deprehendere possis. [Considerate semitas Thema, itinera Saba, & expectate paulisper. Confusi sunt quia speravi. Venerunt quoque vsque ad me, & pudore cooperti sunt.] Videtur iuxta versionem vulgatam sanctus vir conqueri de eis amicis, quos multos habebat his regionibus Saba, & Thema, diuites & opulentos, à quibus fortasse expectauerat amicitiam officia in tanta rerum calamitate: nam & Eliphaz ad sanctum virum venerat de Themá. Vos ergo (inquit Iob) si intelligere vultis, & animo percipere vestro, quàm sit vana spes omnis, quæ in humanis collocatur præsidij, quàm sit fucata omnis amicitiam ratio, quæ inter homines magna habetur æstimatione, quàm nihil est invita dulcius, considerate semitas Thema, & Saba, vnde ego oculis veluti defixis, & pendenti animo expectabam necessariam opem, & amicitiam veteris officia. Putabam fore, vt semel audita mearum rerum miserabili conuersione, veteres amici ad me venirent plenis iti-

neribus, vt alius verbo me consolaretur, alius ope nonnihil adferret leuamenti. Videbitis profecto, non tantum amicorum officia in me nō contulisse, sed & confusos esse, & pudefactos, quia omnem in illis spem collocaueram. Nam ij qui amicis afflictis, & calamitate aliqua diuexatis necessariam opem ferre debent, si propter auaritiam, & diuitiarum tenacitatem non ferunt necessarium auxilium, afficiuntur incredibili rubore, & verecundia, nec ferre possunt eorum amicorum conspectus, qui cum aduersa, & inimica luctantur fortuna. Ob eam rem subiecit, [Venerunt vsque ad me, & pudore cooperti sunt.] Hebræa nunquam videtur discedere à metaphora semel ecepta: sic sonare videntur. [Vertunt se ad semitas Theman, ad itinera Saba est spes eorum.] Hoc est, videre sit eos, qui proficiscuntur in regionem Theman, & qui Sabæos adeunt, quique spem habent de eis, nempe torrentibus: sed hi pudefunt, & erubescunt, postquam ad loca torrentium peruenere. Ciuilitate profecto hoc loco sanctus vir perstringit amicos, in quibus omnem collocauerat spem, vt ab illis aquam leuamenti, & consolationis acciperet. Sunt autem regiones illæ Saba, & Theman aridæ nimium, & squallentes, perpetuòque laborant aquæ penuria, potanturque difficilimè. Est autem gens illa nimium mercaturæ addicta. Nam quoniam eæ regiones abundant gemmis, auro, odoramentis, homines regionis illius ad rem intenti in itineribus sunt frequentes. Ij ergo qui itinera Saba, & Themá frequenter percurrunt, nempe mercatores, cum torrentes aliquot videant niuibus solutis pleno decurrere alueo, æstatis tempore ad ea loca perueniunt sitibundi, existimantes

posse se sitim restinguere: sed ad aquarum loca accedentes pudefiunt, & afficiuntur rubore. Docet ergo sanctus vir habuisse se amicos perfimiles his torrentibus. Sunt ergo amici quidam, ex quibus hauriendum est citro, tãquã ex torrète rapido, nec semper casuro: à quibus accipièda sunt semper præsèntia, neq; illis adhibèda fides, cum vltiora promittunt. Vtere horum promissionibus eũ in tua potestate est, vide ne perdas hodiernum: nam futurũ, in illorũ manu, atq; fortunæ positum est. Quæ ventura sunt, crede mihi, in incerto iacent. Caue expectes, caue in futurum te extendas. Sunt enim vt torrètes Saba, & Themam. [ Nunc venistis, & modò videntes plagam meã timetis. ] Iuxta versionem nostram videtur sanctus vir significare, Vos (inquit) à quibus expectabam necessariam opem, quid ad me venistis amicitia lege veluti compulsi, extimulistis illico, & abhorre re, cœpistis, stupore sic opplati, vt consolationis nihil mihi attuleritis, quin potius cõtrã duris verbis, & asperis me increpatis, timentes videlicet, ne si amico blandè, & amicè loqueremini, quæ necessaria viderentur ad subleuandam meam miseriam, à vobis exigere. Nam eò versutic, & calliditatis genere tenaces homines, & parcissimi vtuntur frequenter, ne pauperes aut egeni ab eis petere quicquã audeant. Iuxta veritatem Hebræam, [ Et nunc vos similes estis his torrentibus, de quibus dixi, qui vidètes plagam meam, ita extimulistis. ] Ne videlicet necessariam opem à vobis postulare, & veteris amicitia officia: cum tamen nullũ apud vos consolationis genus, aut leuamèti inuenirim. Sed nihil est, quod timeatis. Namq; hæctenus à vobis non postu-

laui, vt mihi videlicet è facultatibus vestris aliquid doneris, ad leuãdam meam indigentiam: nec præterea vt me aut à cruento bello, aut à tyrannide cuiuspiam intolerabili eriperetis. Neq; mihi necessaria sunt adiumenta vestrae doctrinae ad subleuandam meam ignorantiam: non in his, quæ ad rerum contèplationem pertinent, non in his, quæ ad practicẽ. Duplex est enim animi facultas, quã rũ altera versatur circa rerũ cõtèplationẽ, altera verò circa actiones ipsas. Non egeo (inquit) adiuueto, aut præsidio vestrae doctrinae, vt vos probè nostis: alioquin si vlla in re ignorantem me, aut inscium reputatis, instruite me, & docete: nam ego libèter reticebo discipulorum more, qui magistro loquente non audent neq; verbũ, hiscere. [ Quare (inquit) detra xistis sermonibus veritatis, cũ ex vobis nullus sit qui possit arguere me? ] Sermones veritatis appellat fortasse (iuxta quorundam sententiam) eam orationẽ, quã in superioribus habuit, cũ grauiter de diuina castigatione, & flagello cõquereret. Qui aut id oneris sibi assumit, vt aliorũ exagitet errata, & reprehèdat vitia, omni debeat vacare scelere. Nequit enim oculus, in quẽ vel puluis irruit, vel grauis pituita morbo, aliorũ mèbrorũ maculas probè intueri, neque sordibus plena manus contractas etiã sordes ab alijs corporis partibus depellere. Quãobrem Regi Dauidi dictũ accepimus. 2. Reg. 7. Non ædificabis mihi templũ, quia vir sanguinũ es. Temerè profectò, & citra rationẽ, omnis qui sordib; & inquinamètis plenus est, ad explèda diuina opera manus applicat. Amici ergò Iob magna profectò temeritate, eũ hominẽ reprehèdunt, cuius esset sũma vitæ innocentia, & integritas, qui

qui omni careret nexu peccati: cū interim ipsi fortasse multis essent implicati sceleribus. Itaque locus referendus est iuxta versionem nostram, (vt arbitratur quidam) ad innocentiam sancti Iob, & contaminatam amicorum vitam: aut fortasse ad ignorantiam amicorum, qui eū non satis intelligerent percussione causas, sanctum virum increpantes acriter in varios incidebāt errores. Iuxta veritatem tamen Hebræam, sensus huius loci erit, [ Quam solida sunt verba veritatis: & ex vobis quis ea poterit reprehendere? ] Ac si dicat: quam plana, firma que sunt omnia recte pronunciata? Fortis est veritas ipsa, ac potentissimo septo, atq; vallo munita est: nullo aduersariorum imperu potest labefactari, neque potest vllis argumentis cōuelli: Nihil vnquam aduersus veritatē cōficiet disputatio vestra: altissimis est radicibus subnixa, supra saxum viuum fundata. Itaque que à vobis adducuntur, nullam habent vim argumenti. Vt enim ex veris facile cōcludimus quæ vera sunt: ita ex falsis vera concludere nemo possit. Quin potius [ Ad increpandum duntaxat verba componitis, & subuertere nitimini amicū vestrum. ] Eorum verborum, aut earum rationū quæ ab humana mente excogitatur sunt quædam, quæ in vtilitatem audientium spectent, & ad illorum pertinent vtilitates: quædam verò quæ tantum iniquo animo ad carpendos aliorum mores non sincere dicuntur, sed ex composito concinnantur, & altiori tractantur mente. Atq; hoc genus locutionis, quod in perniciem proximi cedit, & malignè ab impijs excogitatur, reprehenditur à sancto Iob proposito loco. Et quia istiusmodi locutiones, præter hoc, quod

inutiles omnino sunt, nullis possunt validissimis argumentis muniri, iure dicitur: [ & in vctum verba profertis. ] Alioqui eiusmodi homines, qui his rationibus vtuntur, sunt, de quibus inquit nobilis historicus, qui satis loquentiæ habent, parum sapientiæ: quod de homine scelestissimo Crispus aliquando dixit. Hi ergo qui ex verbis tantum, & composita oratione gloriam querunt, in ventū verba profundunt. Nam hic verborum impetus, & linguæ volubilitas sepe procacibus, atque inuerecūdis vberior est: quin & verborum copia, & ars etiam dicendi sceleratis pijsque communia esse possunt. Notat igitur amicos, tanquam qui multa dixissent, sed inutiliter. Hebræa videntur sonare. [ Nunquid deliberatis, vt redarguatis verba, & inaniter dicta putetis verba abiecti hominis? ] Ac si dicat, Nunquid excogitatis sermones, & verba, idq; inaniter, quibus me, tanquam hominē abiecto animo, & contracto conuincatis? Ac si dicat: Vt conuincatis desperationis. Non sunt floccipendenda verba hominis afflictī, atq; eius qui animi mœrore, & perturbatione verba multa pfudit. Potest enim multa ex ratione dicere, multa ex consilio. Nam vt ipsa mentis perturbatio rationem suis sedibus dimouere solet, & rectū loquēdi vsum impedire: ita etiā internus dolor, & mœror animi multa repete docet, & excogitat, quæ vir sapiens vix lōgo tēpore magno studio, atq; diligentia adhibita posset inuenire. Oportet autē eū, qui alterū reprehendere nititur: illud primū apud se expēdere, Quis sit statim eius ad quē orationē dirigit: & in eū sepe finē oportet illius oratio spectet, vt audiētē meliorē semper efficiat, & ad virtutē excitet, & acuat.

Crispus  
Sallust. de  
Catil.

Ut enim peritus medicus non eadē ratione contractat vulnera, aut illis eadem semper adhibet medicamenta, sed perspecto prius vulneris statu necessaria admouet pharmaca: ita etiam qui reprehensione vitur, sermonem attēperet necessum est.

Timoth. Docet Paul. ad Timoth. alia ratione tractandos esse iuuenes, alia senes, alia viduas, & pupillos, & eos denique, qui omni sunt leuamento destituti. Est enim imprudentis animi, atque omnia humanitatis iura contemnentis, in hominem pupillū irruere. Se enim pupillum appellat, quod omnia solatia tum diuina, tum humana illum deseruissent. Nonne igitur nefarium sit in eum hominem impetum facere, qui omnibus est armis destitutus, atque in eum intentare ferrum, qui neque repugnare potest nec aduersari? Totam hanc rem eleganter explicat prouerbium Hispanum. [A Moro muerto gran lançada.] In eos itaque conuertendum est ferrum, qui possunt, & volunt gladium distringere. Cæterum in eum torquere argumenta, & rationes, qui pupillus est, ut iniuste opprimatur, nefarium utique sit: Tum verò multò magis iniquius est iudicandum, cum non tantum leges ipsæ diuinæ, & naturales, sed & amicitiae iura violantur. Ob eam enim rem dictum est. [Et subuertere nitimini amicum vestrum.] Poterant fortasse amici Iob existimare hæc ab eò dicta, quod vehementer reformidaret cum amicis de re proposita disceptare. Ad excludendum itaque hunc errorem, subiicit statim. [Veruntamen quæ cogitatis, explete.] Id est, agite vltius progrediamur, quousque propositæ disputationi imponamus fastigium. Nam neque ego terga vertam, non referam pe-

dem, pactis tamen quibusdam conditionibus ad inuestigandam veritatem, inter disputandum necessarijs. Primò, [ut præbeatis aurem, & videatis, an mentiar.] Hoc est, intentis oculis, & auribus percipiat, quæ à me dicuntur. Stultum enim est, aduersus eum disceptare, cuius verba, & rationes neque auribus excipere velis, neque mentis oculis intrueri: hoc est, expendere, & pertractare. Secunda conditio est, [ut absque contentione respondeatis.] Nam sunt qui inter disputandum ita vocibus atque clamoribus ablonis omnia replent, ut neque aduersariū audiant, neque seipsum probè teneant. Itaque videas eos cum ratione insanire, & cum sit totius disputationis scopus veritatem ipsam inuenire, quod ratione atque iudicio fieri debeat, nihil magis illi videntur curare, quam ut & ratio ipsa conticescat, & omnis delectus absit, & denique ut veritas ipsa tenebris veluti obruta maneat: quod vitium est dialecticorum nostri temporis. Tertia conditio est, [ut loquētes, quod iustum est, iudicetis.] Nam si hæc feceritis, [Non inuenietis in lingua mea iniquitatem.] In disceptationibus literarijs quod iustum est loquuntur, & iudicant, qui negant quæ neganda sunt, & quæ sunt concedenda vltro concedunt. Contrarium accidit sanè in disputationibus sophisticis ac litigiosis, in quibus omnia ad victoriam referuntur, & ad leuem illam gloriam, quam exuperato hoste se consequi posse arbitratur. Si ergo quod iustum est iudicaueritis, [Nullam profectò iniquitatem in sermonibus meis deprehendetis, neque in faucibus meis personabit stultitia.] hoc est, nulla in re aut naturæ decretis, aut diuinis institutis, & legibus



legibus me aduersari deprehenditis. Hebræa habent, [ non est in lingua mea iniquitas, & nunquid palatum meum non sentiet malos saporis? ] Quod ego ad rectum iudiciū circa rationes, & argumenta referendum arbitror.

## CAPVT SEPTIMVM.

**M**ILITIA est vita hominis super terram: & sicut dies mercenarij dies eius.

Sicut seruus desiderat umbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui: sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumerari mihi. Si dormiero dicam, Quando consurgam? & rursus expectabo vesperam, & replebor doloribus usque ad tenebras. Induta est caro mea putredine, & sordibus pulueris: cutis mea aruit, & contracta est. Dies mei velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur, & consumpti sunt absque ulla spe. Memento quia ventus est vita mea, & non reuertetur oculus meus ut videat bona.

Nec aspiciet me visus hominis: oculi tui in me, & non subsistam. Sicut consumitur nubes, & pertransit: Sic qui descenderit ad inferos, non ascendet. Nec reuertetur ultra in domum suam, neq; cognoscet eum amplius locus eius.



Romisserat Eliphaz sancto Iob in superioribus, terrenam quandam ac perituram felicitatem, si increpationes Do-

mini non reprobareret. Vir itaq; sanctus explicatis rationibus suæ moestitiæ, & causis mœroris expositis, vanam omnino esse felicitatem illam, quam Eliphaz fuerat pollicitus, ostendit aperte: neque veram felicitatem in hac vita quempiam adsequi posse. Id verò ut ostendat, argumenta petit, primò ab ipsa humanæ vitæ ratione: deinde verò à sua sorte misera, & infelici conditione. Varia autem fuit de conditione præsentis vitæ philosophorum sententia. Fuerunt enim, qui totam felicitatis rationem mortalibus in hac vita propositam arbitrarentur: aduersum quos oratio dirigitur sancti Iob. Namque supremus hominis finis, in quem omnia illius studia, & consilia, actionesque incumbunt, ibi figendus, & statuendus est, vbi supremum etiam præmium, postremaq; merces est expectanda. Quo fit, ut si in hac vita calamitosa virtutis præmium hominibus esset propositum, necessitate quadam, & totus felicitatis cumulus hic esset à nobis expectandus. Sanctus itaque Iob ab ipsa vitæ conditione primum argumentum sumens, eleganter satis atq; philosophicè ostendit, postremam virtutis gloriam, & quæ illam consequuntur præmia, non esse in hac vita expectanda: cum ipsa vitæ conditiones admoneat abunde, milites esse mortales omnes, qui semper sint in procinctu, & mercenarios præterea, qui finem tantorum laborum præstolentur. Est hæc sententia Iobi omnium penè philosophorum opinioni, qui de vita beata rectè statuerunt, & superna felicitate, nimium consona. Nam quo pacto eam appelles vitam felicem, in qua si pecunias cogerere velis, alteri eripias necessarium est? Si dignitate, & honore ful-

re fulgere, apud alterum preces fundere, & supplicare? ita ut qui praeire ceteros honore cupis, potest diuinitate vilescas? Potentiam si adsequeris, subditorum insidijs eris obnoxias, & multis denique periculis subiacebis. Si gloriam appetis, per aspera quaeque distractus nunquam eris securus. Quod si voluptariam vitam degas, quis eam ob rem te putet esse felicem, quod tui vilissimo mancipio non sine summo dedecore per omnia inseruias? Quaecumque igitur ad beatitudinem in hac vita mortalibus vitae necessariae videntur, deuiam profecto sunt, neque eorum perducere quemquam nostrum possunt, ad quod se perducturas pollicentur. Itaque si singula hominum studia in hac vita contempleris, eorum animus, & si caligante memoria, summum bonum semper repetit: quauis omnes, velut ebrii, quorum tramite ad pristinas sedes, & domos nostras reuertamur, exclusa fide prorsum ignoremus. Quod si ea, quae nobis videntur necessariae ad beatitudinem vitae, ut diuitiae, honores, dignitates, adeo nostrorum animorum sitim sedare non possunt, ut curis potius, & multis laboribus exerceant, neque aliud ex his rebus consequamur lauamentum, quam quod solent milites, qui stant pro acie, & semper agunt excubias, aut quam solent mercenarij, qui alieno in opere desudant, facile perspiciunt verum esse quod inquit sanctus Iob, [Militiam esse vitam hominis super terram,] & mortales omnes similes esse mercenarijs, qui labores sepe, & anxietudines praesentes semper habeant, praemium autem laboris, & afflictionum spe tantum siue expectatione possideant. Nam quae summis philosophis videbatur

suprema hominis felicitas, diuinorum videlicet contemplatio, neminem in hac vita posse reddere felicem, dubitandum non est, eum istiusmodi cognitio postulet supremum cognitionis gradum humanae mentis, ad quem nemo unquam peruenire in hac vita possit, tum propter corporis molestias, & necessitates, quae ipsam mentem deprimunt, & illius aciem vehementer retundunt, tum propter summam vitae breuitatem. Postulat haec diuinarum rerum cognitio longissimum tempus, non tantum totum ipsum hominem. Plerique autem ex hac vita infantes iuuenesque decedunt, atque inter ipsum aetatis florem decerpuntur. Quid quod nos etiam militum ac mercenariorum more intellectus, & mentis imbecillitas vehementer excruciat, cuius cognitio atque sapientia per angustissimos, & fallaces sensus percipitur, intra quorum limites possunt esse paucissima: adeo ut quemadmodum docet rerum usus, multis in rebus decipiatur frequenter, & falsa pro veris amplectatur: Quo fit, ut ratio ipsa atque mens magna cum laboribus neque sine salutis ac vitae dispendio, vel exigua partem huius diuinae sapientiae assequi possint. Accedit ad haec, quod affectus ipsi, quibus ratio tanquam tyranno, & satellitibus raptatur, frequentissime nos a diuinorum contemplatione auocant, adeo ut qui aliqua diligentia, atque cura huic diuinae sapientiae incumbit, aduersus affectus hos, militis instar pugnare debeat, atque ut mercenarius solet, praeter nimio labore sudorem excutere. Quae igitur ab hominibus felicitas, & beatitudo creditur, militia profecto est, & tanquam mercenarij labor, qui alterius agro

defo-

defodiendo defatigatur. Sed & ob eam rem fortasse inuictissimus miles Iob longeq; exercitatus humanam vitam militiam appellat, & mercenariam, tum propter frequentes pugnas aduersum corporis morbos, & ægrotudines, & molestias, quas ipse tolerabat: tum verò maxime propter spiritualia bella, quæ semper imminent in hac vita, quæ magis sunt cruenta, atque periculosa. Nam supernè excubant nequissimi dæmones in nostram perniciem armati, mille dolis milleq; nocendi artibus instructi, qui mentes nostras telis quibusdam lethali tinctis veneno moliuntur à sublimi configere. Tum præterea mundus hic à dextra læuaq; à fronte, à tergo multis modis nos oppugnat: nunc quidè apertò Marte sæuiès, rationis mœnia grauissimo quatit ariete: nunc vanissimis pollicitationibus ad proditiōem sollicitat. Postremò infernè quoque lubricus ille anguis primus nostræ pacis euerfor, nunc in virenti gramine concolor abditus, nunc in cauernis suis delitescens, centenis contortus voluminibus nunquam desinit mulieris nostræ corruptæ calcaneis insidiari. Mulierem autem intelligo, carnalem hominis partem. Intus denique in ipsis animæ penetralibus hostem circūferimus plusquam familiarem, plusquam domesticum, quo, vt nihil est interius, ita nihil periculosius. Hic est vetus ille, & terrenus Adam, consuetudine plusquam ciuis, studio plusquam hostis, quæ neq; arcere vallo licet, neq; castris exigere fas est. Cū ergò dstringamur oēs externo internoq; bello, corporeo, spirituali, periculoso, difficili, ancipiti, iurè sanctus Iob calamitosam hanc vitam militiam appellat dicens, [Militia est vita hominis su-

per terram.] Sed, & illud habet venustatis gratiam, quod vt hominem militem appellat, ita etiam & mercenariū. Nam qui mercenarius est, alieno in fundo, aut agro, aut hæreditate laborat: Sic mortales omnes, qui periturarum rerum sollicitudine angimur, & pro tuenda corporea vita nunquam non laboramus, mercenarij sumus. Nam qui iustus est, & pietatis studiosus, in alieno laborat, cū improbis interdum hominibus seruire cogatur, & exercitio vitæ præsentis atteratur: fatigatur quidem alieno labore, & tamen ad propria accipienda præmia sensim accedit. Qui verò improbus est, & huiusmundi sectator, & affecta, velit, nolit mercenarius est. Nā ea quæ maxime præstolatur, & amat, quorum studio tenetur, circa quæ diebus noctibusque laborat, sua non sunt, sed aliena: Quod vel eo argumento cōvincitur, quòd quæ propria sunt cuiusque nostrū, nullo vel casu, vel fortunæ impetu nobis eripi possūt. Hoc argumento ducti veteres philosophi bona ea, quæ fortunæ dicuntur, aliena iudicauerunt. Qui ergò vel diuitijs congerendis, vel acquirēdis honoribus, & dignitatibus omnem operam dat, mercenarius utiq; est: qui alienis in rebus suos labores collocat, quas paucos post dies hæredibus relinquet. Deinde illud propriū est mercenarij, diligenter videlicet inspicere, ne dies vacuus labatur ab opere: ne fortasse cū dies inclinauerit, & ad finem accesserit, expectato fraudetur præmio. Hortatur itaque nos cœlestis spiritus, cū mercenarios appellat, vt singulis temporis partibus manus injiciamus: neq; vnquam pendeamus ex crastino: cōsiderantes nos in possessione huius vitæ à summo Deo missos, non vt ocio

2. Cor. 4.

ocio torpeamus, sed vt si res postularit gaudeamus, aduersis passionibus reficiamur, mærore refoueamur expectantes semper præmium tantorum laborum, cuius sola contemplatio leuiotes faciet huius vitæ molestias, vt Paulus aiebat: Qui huius vitæ afflictiones leues, & momentaneas appellabat, mercedem autem laborum, gloriæ pondus, quò illius exprimeret magnitudinem. Vtraque tamen appellatio, & militis, & mercenarij, vterque status & conditio multa habent inter se communia. Primò quia vterque laborat, vt ad quietem tadem perueniat. Pugnat alter vt pacem consequatur: alter verò laborat, vt aliqua quietudinis parte fruatur: ac erimè ille depugnat propter victoriam: hic verò laboribus incumbit propter mercedem. Vt ergò geminus hic hominum status in alterum finem aciem mentis intendunt, & omnes suas actiones destinare solent: ita & humana vita nec ppter se amplectenda est, nec subeundi labores huius vitæ tuendæ gratia, nec oblectamenta suscipienda propter se, sed in alium finem longè excellentissimum omnia referenda. Deinde miles laborat, miles depugnat ad depellenda ea nocumeta, quæ rempub. diuexare solent, vt hostium incursiones, & impetus: laborat mercenarius vtilitatis cuiuspiam consequendæ gratia. Quoniam igitur proprium hominis munus est, interim q̄ in hac vita versatur, & depugnare semper aduersum ea quæ studiū pietatis impedire possunt, & circa res vtilis laborare, & militi, & mercenario assimilatur. Postremò, & miles, & mercenarius sub alterius prouidentia, atq; imperio degunt. Nam & milites sub imperatoris si-

gnis degunt: & mercenarius mercedem expectat à patrono. Quibus manifestè euincitur, falsum fuisse Eliphazem, qui in superioribus allebat, mortales omnes pro qualitate scelerum, & flagitiorum diuinis castigationibus corripi. Nam imperator, & dux exercitus milites strenuos, maioribus interdum, interdum minoribus periculis exponit. cuiusq; animo, & fortitudine exploratis. Idem dixerim de patre familias, qui diligentioribus mercenarijs, & robustioribus ea solet opera iniungere, quæ plus habent laboris, atque sudoris. Vnde æquissima Dei prouidentia neminem ab hac vita laboribus, & sudoribus eximit, neminem (inquam) iustorum: omnes vult esse milites, omnesq; mercenarios. Sed ea in re potissimum illius erga electos beneuolentia perspicitur, quòd restincto bello, & absoluto huius vitæ opere, ampliora illis præmia impendit. Quibus tota sententia Eliphaz facillè euertitur. Duplici autem ex causa humanæ mentis appetitio futuram vitam semper expectat: tum propter afflictiones, & molestias vitæ præsentis: tum propter boni defectum, quod in hac vita ad cumulū nunquam peruenire potest. Quocirca ad has causas, & rationes explicandas subiecit, [Sicut seruus desiderat umbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, &c.] Nam appellatione umbræ, more sanctorum scripturarum quietem ac felicitatem significare voluit. Vt enim in litteris arcanis æstus appellatio (quæ frequentissima est) labores omnes, & afflictiones vitæ huius significat: vt Sponsa in canticis: Ostende mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie. Et Ioann. in Apocalypsi. Non cadet super eos sol, neq; ullus æstus, quoniã

Cant. 1:

Apoc. 7:

quoniam priora transierunt. Non secus, & ipsa vmbrae appellatio superam quietem à laboribus iure designat. [Sicut seruus (inquit) desiderat vmbra, & sicut mercenarius praestolatur finem operis sui: sic, & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi. Aut vt Hebraea habent, Sic veluti in hereditatem accesserunt mihi menses vacui, & noctes laboriosae constitutae sunt mihi.] Pulcherrime profecto totam humanae vitae rationem depinxit, vacuitatem, & laborem commemorando, siue vacuos menses, & noctes laboriosas. In eum enim finem humanae mentis appetitio, & desiderium incumbit, vt impleri possit aliqua ratione. Nam ea in re potissimum humanae mentis felicitas posita est, quae aperta diuinitatis cognitione constat, quod omnes nostras appetitiones implet: quae quoniam in hac vita impleri non possunt villo pacto, summis etiam laboribus adhibitis: iure totam vitam, & menses vacuos, & noctes laboriosas appellat. Non implent diuitiae, & opes desideria nostra, & appetitiones. Nam si eos interrogemus, qui diuitijs affluunt, fatebuntur profecto, multa inter abundantissimas opes sentire, quae eorum animos vehementer confundant, & vacuos esse ostendant, & menses inanes sibi à summo Deo iniunctos. Abest interdum, quod abesse non vellent, vel adest, quod adesse nolissent. Ob eamque rem, cum multa desiderent, & appetant, pleni esse non possunt: necessariumque est, vt hanc insufficientiam, & inanitatem diuites, & opulenti fateantur. Quid quod ne diuiti pecuniae eripiatur inuito, exercendae sunt lites, agitandae causae forenses, commendanda patronorum praesidia, conque

renda iudicum beneuolentia? Qui ergo ad ruendas pecunias toribus egere conuincitur, nonne vt noctes laboriosas, ita etiam, & menses habet vacuos? Diuitias, & opes congerunt mortales tanto studio ad depellendas iniurias famis, sitis, & algoris. Sed quis vnquam diues propter abundantiam opum non esuriit? Itaque & sitiunt diuites, & pecuniosi hominis membra hybernum frigus sentiunt. Sed adsunt diuitibus (dices tu) ea, quibus famem & sitim, & algorem depellere possunt. Atqui hoc modo consolari quidem indigentia, & vacuitas potest, auferri penitus non potest. Nam si haec hias semper, atque aliquid poscens, opibus non expletur, maneat necessum est quod possit expleri. Quare si opes indigentiam, & vacuitatem hanc non submouent, & ipsae suam indigentiam faciunt, sufficientiam hanc, & plenitudinem praestare non possunt. Atque ita fit, vt qui pro eis congerendis noctes ducunt insomnes, & laboriosos dies, & menses inanes sibi praestitutos sentiunt. Dignitates, & honores mortales affectamus, (vt ab his etiam sumamus argumentam,) vt ab hominibus reuerentiam quandam consequamur, & cultum. Sed neque hac ex parte animus hominis expleri possit. Finge, (si velis) eum, qui multiplici consulatu fungitur, ad Barbaras casu aliquo peruenire nationes, nunquid dignitas venerandum eum Barbaris faciet? Atqui si hoc naturale munus dignitatibus foret, ab officio suo quoquo modo nullibi gentium cessaret: sicut ignis vbicunque terrarum calefacit. Sed quoniam id eis non propria natura, sed hominum fallax annectit opinio, vane scunt illico, & suam inanitatem

nitatē prodūt, cū ad eas gētes perue-  
nerint, qui eas dignitates esse nō ex-  
istimāt. Inter eos verò apud quos or-  
tae sūt dignitates, nō ppetuo durāt.  
Nā pfectura, magna olim potestas,  
nūc inane nomē est, & Senatorij cē-  
sus grauis sarcina. Si quis quōdā po-  
puli curasset annonā, magnus habe-  
batur, nūc verò ea praefectura nihil  
abiecius. Quid, q̄ interdū dignitas  
ipsa improborū cōtagione sordescit?  
Indignamur enim vehemēter, cū  
improbū videmus pari nobiscum di-  
gnitate fungi. Si ergo dignitates mu-  
tatione tēporū splēdere desinunt, si  
gentium mutatione vilescunt, nihil  
habent sua natura, quo implere pos-  
sunt hominis animum. Adhuc,  
quantis egeat rebus, qui acceptam  
semel dignitatem tueri cupit, ne-  
mo non nouit. Quoniam igitur  
quaecunq; ab hominibus expeten-  
da magnoperē videntur, implere  
non possunt, neque exsatiare homi-  
nis animum, totaq; humanae mentis  
appetitio in hanc plenitudinem, &  
satiētatē incumbit, sequitur neces-  
sario anxietudo illa, perplexitas, &  
iactatio, quam quisq; nostrum expe-  
ritur post adepta ea omnia, quae ab  
stultis iudicātur summa bona. Hāc  
iactationem elegāter expressit san-  
ctus Iob dicēs, [Si dormiero, dicam,  
quando confurgam? Et rursus ex-  
pectabo vesperam, & replebor dolo-  
ribus vsq; ad tenebras.] Cū enim  
sint falsa, atque mendacia quaecun-  
que hic mundus pollicetur, nihilq;  
in eis satiētatis humanus animus in-  
ueniat, semperque pendenti animo  
hoc satiētatis genus expectemus, ne-  
cessario fit, vt inter vanas spes consti-  
tuti semper ex futuris temporibus  
momentis singulis pēdeamus. Cum  
itaque noctu quiescimus, neque in  
lectulo ipsis voluptatibus corporis,

quae per noctem maiori ex parte  
percipiuntur, animus impleatur,  
praestolamur diem. Cūque inter-  
diu animus rerum omnium oblecta-  
mentis exsatiari non possit, iterum  
expectamus vesperum: & cū om-  
nes denique spes nostrae decerpan-  
tur frequenter, fallanturq; expecta-  
tiones, semper tamen ex futuro pen-  
demus, & aliquid mente cōcipimus,  
quod sedare possit omnino nostrae  
mentis appetitiones. Huius iacta-  
tionis causa est, quod summa atque  
caput, & causa omnium expetendo-  
rum, bonum sit. Eam enim ob rem  
expetuntur opes atque diuitiae, ex-  
petuntur dignitates, & corporis o-  
blectamenta, quia aut bona sunt,  
aut bona esse videntur: quod enim  
neque re neque similitudine boni  
speciem in se retinet, id expeti nul-  
lo modo potest. Contrā verò quae  
natura bona non sunt, si bona iudi-  
cantur, expetuntur à nobis, ac si  
verè bona essent. Cuius verò causa  
quidpiam expetitur, id maxime vi-  
detur optari: veluti si quispiam sa-  
lutis causa sumit medicamentum,  
non tam medicamentum, quàm sa-  
lutem ipsam appetit. Et quia bo-  
nitatis causa expetuntur omnia,  
facile cernitur, omnes natura insti-  
gante bonitatem ipsam expetere.  
Hinc ergo propositae quaestionis  
veritas eruenda est. Nam quae à  
nobis expetuntur bona, quia varia  
sunt atque diuersa, & alterum  
absit ab altero, & inter se discre-  
pent, plenum atque integrum bo-  
num afferre nūquam possunt: tunc  
enim verum summumque bonum  
erit, cū in vnam veluti formam,  
atque effigiem omnia bona colli-  
gentur, ita vt idem sit dignitas,  
potentia, honor, diuitiae, volu-  
ptatesque summa. Nisi enim vnam  
atque

atque idem omnia sint, humanum exatiare animum nunquā possunt, semperque inanitas illa, & vacuitas nos ex cruciabit. Oportet igitur, ut bonum aliquod summum sit, & humanam mentem implere possit, sit etiam vnum. Nam interim quod bona ipsa fuerint diuersa, animi pendentes semper ab vno in aliud inquieti rapiuntur. Sic etiam fieri videmus (vt ex intima etiam philosophia facile deduci potest) subsistere singula, interim quod vnū efficiūt, aut vnitatem retinent: ea verò dissoluta, dissolui etiam subsistentia: vt in homine corpore animoq; compacto, ceterisq; animantibus facile percipitur: quorum vnitatem soluta, solvuntur eorum subsistentiæ. Quæ de his rebus diximus, dicenda etiam sunt de summi boni natura. Hinc facile liceat coniectare, quid sit, quod sacræ litteræ frequenter insinuant, cum de summo Deo loquuntur, cui hanc humanæ mentis satietatem, & impletionem frequenter tribuunt. *Psal. 102.* Psalm. Qui replet in bonis desiderium tuum *Isai. 49.* & Apoc. Non esurient, neque sitient amplius, neque *Apoc. 7.* cadet super eos sol neq; vllus æstus. Vt intelligas, suprema illa felicitate nihil fore vacuum, aut inane, nihil laboriosum. Nam per famem depulsam, & restinctam sitim, & amorum æstum, illud profectò exprimitur, quod Regius vates dixit, Qui replet in bonis desiderium tuum. Nulla erit itaq; ibi iactatio humani animi, vbi omnia in vno Deo reposita inueniet. Nam appetitio illa nostris animis natura inserta agnoscendæ veritatis, implebitur profectò ipsa supremæ veritatis apprehensione, quæ veritates omnes eminenter continet. Tam præterea ea hominis appetitio, quæ circa virtutis atq; offi-

cij consecutionem versatur, ne vquam videlicet à recto, & honesto declinet, implebitur profectò, mente ipsa diuino lumine illustrata, quæ non patietur hominem ab ipsa rectitudinis ratione declinare. Sed hæc nostri animi appetitio, qua à nobis expetuntur honores, & magistratus, implebitur etiam, cum in eam sublimitatem fuerimus euecti, vt Deo per omnia copulemur. Vt enim ille imperator est, ita & nos in res oēs conditas imperium obtinebimus.

Huc spectant diuina oracula, quæ felices homines, atque beatos, reges appellant. Regnabunt (inquit Ioannes Euang. cum Christo. *Apoc. 20.* Idem dixerim de famæ celebritate, cuius appetitio nos efficit in terris inanis gloriæ cupidos: eam enim in Deo possidebimus. Nam celebres erunt sancti omnes, non iuxta hominum opinionem, qui decipi possunt, sed iuxta iudicium diuinum. Eam enim ob rem felicitas illa gloria appellatur. Æqua lance statuendum est de opibus, & voluptatibus corporis. Eò enim voluptates illæ longè erunt excellentiores his, quibus mortale corpus implicatur, quò magis nobis erunt intimæ, magis diuturnæ, & à permixtione omnis tristitiæ, atque sollicitudinis magis remotæ. Deniq; de saturitate felicitatis illius, vbi nihil erit inane, nihil vacuū egregius vates dixit. Inebriabuntur ab vberitate domus ruę. Quo loco felices mentes non plenas tantum, sed & *Psal. 35.* ebrias appellat. Et quoniam in superioribus Eliphaz inanem quandam & perituram consolationem sancto viro fuerat pollicitus, eamque sanctus Iob fallacem hactenus declarauit: iam nunc ex sua conditione, & infelicitate producto argumento, ostēdit nullam sibi in terris reliquā fore

*Apoc. 20.*

*Psal. 35.*

fore spem, aut expectationem meliorem, ita vt ad vmbrailem illam felicitatem Eliphazis possit aspirare. Duplici autem ex loco argumenta petit. Primo à corporis ægritudine, & imbecillitate, secundo à maiori vitæ parte iam exacta, & exactis melioribus annis. Inquit ergò in hunc modum, [ Induta est caro mea putredine, & sordibus pulueris cutis mea aruit, & cōtracta est, ] aut, vt videntur Hebræa significare, [ Induit caro mea vermes, & ramenta pulueris, ] hoc est furfuribus plena est. Alludit enim ad scabiem, de qua superioribus diximus. Et pro, [ contracta est, ] quidā vertunt, [ abominabilis facta. ] Vtitur ergò hoc quasi argumento, Nulla temporaria felicitas ei homini contingere possit, qui grauissimis est morbis implicatus. Ego verò tam valido morbo discrucior, vt tota caro, totumq; corpus vermibus scateat. conuersaque sit caro ipsa in puluerem coherescentem glebarum ritu, & cutis ipsa abominabilis facta sit, & horrenda. Nulla igitur felicitas, quæ ad corpus spectet, expectanda mihi est. Huius argumenti maiorem propositionem facile sit probare. Nam cum omnis ratio terrenæ felicitatis ad corpus maximè pertineat, & ad perferendas voluptates corporeas expetatur, relinquatur eum hominem nullam corporeæ felicitatis partem posse expectare, qui graui corporis ægritudine impeditus est, ne vllum vitæ oblectamentum percipere possit. Ad eandem rem pertinet, quod dixit iuxta versionem nostram, [ Et sordibus pulueris (vel) furfurum cutis mea aruit, & abominabilis facta est. ] Expectatur enim fanitas, nec de restituenda optima valetudine peritus

medicus animum despondere solet, cum corporis vigor, & naturalis succus nondum absumptus est: vbi verò videt medicus ægrotum macie confectum, intelligitq; caloris pabulum, hoc est, humidum penitus absumptum, solet vitam & salutem ægrotantis profum desperare. Igitur quoniam sancto Iob dicere fortasse quispiam potuisset, Cum graui utique morbo luctaris, erigendus tamen animus est in spem salutis optimæque valetudinis, nam depelleretur ægritudo, atque integra salus tibi fortasse continget: nulla, (inquit Iob) huius rei elucet spes, carne in vermes, & putredinem soluta, contracta cute propter defectum humidi, & in scabiem, & furfures conuersa. Secundò, ab exacta iam maioris vitæ parte, & veloci cursu dierum ac temporis argumentum sumit, vt ostendat, nullam se iam in terris expectare posse felicitatē. [ Dies mei (inquit) velocius transferunt, quam à texente tela succiditur, & consumpti sunt absque vlla spe. ] Quibus verbis eleganter explicat humanæ vitæ conditionem, & imaginem quandam nostris oculis contemplandam obijcit. Totum ergo tempus, quod hic viuatur, textoris operi siue telæ assimilatur. Nam vita nostra quò maiora suscipit augmenta, eò magis ad interitum festinat. Nā cum exacta tempora prætereunt, futura breuiantur, & de vniuerso vitæ spatio eò pauciora fiunt quæ veniunt, quò plura sunt, quæ transiere. Eleganter diuus Grego. super hunc locum, Tela infra supraque, ligata duobus lignis innectitur, vt texatur: sed quò inferius iam texta magis inuoluitur, eò superius texeda magis duplicatur: vt vnde se ad augmentū multi-

Comēt in  
z. c. in illa  
verb. [ Per  
cussit illū  
vlcere pef  
fimo. ]

Greg.



multiplicat, inde fit minus quod restat. Sic vitæ nostræ tempora, & transacta quasi inferius inuoluimus, & ventura à superiori duplicamus: quia quò plura sunt præterita, eò minus esse incipiunt futura. Et quoniam ad explicandam vitæ humanæ fugacitatem proposita metaphora vix sufficit, non dixit sanctus Iob, Dies mei pari velocitate transiére, quæ à texente tela succiditur, sed velocius (inquit) transiére, ac si dicat, Multò maiori festinatione vita decurrit, & labuntur anni, quàm à texente tela succiditur. Namque tela nonnihil patitur moræ, cum tamen vita ipsa sine vlla tarditate semper festinet. Textor enim dum bibit, dum dormit, dum confabulatur, ab opere textorio discedit: humana verò vita nunquam non consumitur. Neque enim vnquam ita quiescimus, vt ab ipsa viuendi ratione tanquam ab opere discedamus. Nam bibentes, dormientes, ludentes, semper viuimus, & vitam ipsam insumimus, & ad finem vitæ semper festinamus, & celeri cursu ad mortem etiam dormientes imus. Hebræa sonare videntur, [Dies mei leuiore sunt radio textoris, & consumpti sunt absque vlla spe.] Quod etiam gratiam venustatis videtur habere ad exprimendam humanæ vitæ fugacitatem. Vt enim radius textoris incredibili velocitate decurrit citro vltroque, per quem subtegmen stamini miscetur: ita etiam, & humana vita incredibili velocitate fugit. Et vt textoris radio subito ac celerrimè staminis fila singula subtegmine miscentur, ita & temporis momentis, horis, diebus, & mensibus celerrimè labentibus, & acce-

dentibus præterea, tota vita humana, & conficitur, & celerrimè finitur. Habes itaque in radio vitæ celeritatem, in filis verò imaginem quandam dierum ac mensium: vt hinc videatur desumptum, quod ab antiquis poëtis decantatum legimus de tribus sororibus, quas Parcas appellauere, quòd nemini parcant: Quibus à Ioue concessum est, vt humanam vitam filorum, & staminis instar deducant, & abrumpant cum libet. Inquit ergò sanctus Iob, Quænam mihi præsentis felicitatis expectatio iam esse poterit, cuius tota penè vita instar radij textoris summa velocitate aufugit, & consumpta est absque spe vlla? Nullum enim felicitatis genus in hac vita sine vita expetendum est: imò inter reliquas felicitatis corporeæ partes summi philosophi longiorem vitam reposuere. Potuisset fortasse obijcere quispiam, Esto tota vita absumatur, quemadmodum dicis: atqui reditus post hanc vitam expectandus est, & similes dies, & similes anni, similes hominum conuictus, atque consuetudines iuxta veterum quorundam philosophorum sententiam. Eusebius docet, Platonem in ea fuisse sententia, vt crederet, mūdum terrenumque genus exacto longo tempore defecturum: mundumque insolitis motibus agitatam concussam iri cum iugenti animantium omnium pernicie atque clade: Post aliquantum deinde temporis conquieturum, opera & voluntate principis Dei: Qui, ne in nihilum recidat mundus, eius accipiet gubernacula, addetque illi sempiternam iuuentam, & immortalitatem. Quæ omnia ex sacris litteris, vt Eusebius

K docet,

Nota?

Eusebius  
lib. i. r. præ  
parationis  
euangeli.  
ca.

doct, fuerunt desumpta. In  
dubium tamen vertitur, an Pla-  
to summus philosophus his ver-  
bis significare voluerit, exactis mul-  
torum annorum curriculis iterum  
redituros homines ad eandem vitam  
feriem. Sed in hac sententia fuisse  
Chrysiptum Stoicum docet La-  
ctantius libro septimo diuinarum  
institutionum adducto testimonio  
ex libris De prouidentia, quibus il-  
le reditum post mortem astruxit.  
Defuncti iam vita ( inquit ) certis  
temporum reuolutionibus exactis,  
rursum in eam, quam nunc habemus  
faciem restituentur. Cuius sen-  
tentiam elegantissimis carminibus  
imitatus est Maro,  
† Has omnes, vbi mille rotam vo-  
luere per annos,  
† Lethæum ad fluuium Deus euo-  
cat agmine magno.  
† Scilicet immemores, supera vt cõ-  
uexa reuisant,  
† Rursus, & incipiant in corpora  
velle reuerti.

¶ Quæ ex diuina philosophia fuisse  
desumpta, & credit Lactantius,  
& Eusebius docet, & August. vide-  
tur insinuare. Sed hæc hos philo-  
sophos ratio fecellit, quod resur-  
gent mortui, non quidem in eam  
vitam, quæ similem habeat faciem  
cum hac peritura, sed in vitam fe-  
licem potius qui rectè vixerint ex-  
citabantur. Deus enim veniet, vt  
orbe hoc ab omni tæbe purgato, re-  
diuuis hominibus, & corporibus  
innouatis iustos ad sempiternam  
suscitet beatitudinem. Hanc ergo  
philosophorum sententiam hic di-  
uinus philosophus labefactare con-  
tendit. Primò cum dixit, consump-  
ptos esse propriæ vitæ dies absque  
vlla spe: ac si dicat, nunquam am-

plius redibunt, nunquam amplius  
restituentur. Et quasi totam ora-  
tionem ad Deum conuertens, in  
hunc modum precatur. [ Memen-  
to quia ventus est vita mea, & non  
reuertetur oculus meus, vt videat  
bona: nec aspiciet me visus homi-  
nis. ] Ac si dicat, Si ita est, vt habet  
sententia Eliphaz, totam rationem  
humanæ felicitatis in hac vita fore  
expectandam, memineris obsecro  
Domine, quia ventus est vita mea.  
Vt enim ventus cum magno impe-  
tu pertransierit, nunquam reuertitur:  
ita etiam & de humana vita  
statuendum est, quæ semel dela-  
pta nunquam ad eandem faciem  
redibit. Sic & egregius vates de  
imbecillitate hominis: recordatus  
est ( inquit ) quia caro sunt, spiri-  
tus vadens, & non rediens, hoc  
est, ventorum flatus, qui in par-  
tem aliquam incitatus, nunquam  
amplius reuertitur. Et alibi hu-  
manam vitam similem facit flan-  
ti vento ac celeriter discurrenti:  
Recordatus est ( inquit ) quoniam  
pulis sumus, homo sicut scenum,  
dies eius tanquam flos agri, sic  
efflorescit: quoniam spiritus per-  
transibit in illo, & non subsistet,  
& non cognosceat amplius locum  
suum. Assimilat ergo humanam  
vitam rebus leuissimis, & fugacis-  
simis, pulueri videlicet, sceno, ac  
floribus, ac deinde discurrenti spi-  
ritui, siue flatui, siue vento, cuius  
cum pertransierit, nullum possis  
deprehendere vestigium. Arque  
hæc adducit propheta tanquam  
certissima argumenta diuinæ bene-  
uolentiæ erga mortales: ac si dicat,  
Probè nouit artifex rerum, quale  
sit opus suum: Non ignorat ille no-  
stram imbecillitatem: ob eaq; rem  
pronus sepe est ad præstādā indul-  
gentiam,

Lactantius  
lib. 7. diui-  
na.

Maro, l. 6.

Psal. 77.

psal. 102.

Lactant.  
Eusebius  
Augusti-  
nus de ci-  
ui. lib. 24.  
cap. 38.





quid iuxta naturæ vires, & facultates fieri possit: nullos tamen limites præscribit voluntati diuinæ, & potentie. Sunt qui arbitrentur loci appellationem vel ad patriam, vel ad propriam etiam domum referendam. Habebitq; locus propositam venustissimam, quemadmodum Hispanè dicimus, Conoce me mi casa, o conoce me mi cama.

**Q**Uapropter & ego non parcam ori meo: loquar in tribulatione spiritus mei: confabulabor, cum amaritudine animæ meæ. Nunquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere? Si dixerò consolabitur me lectulus meus, & releuabor loquens mecum in stratu meo: terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties. Quamobrem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea. Desperavi: nequaquam Ultra iam vitam: parce mihi: nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo, & subito probas illum: utquequò non parcis mihi, nec dimittis me ut glutiam saluam meam? Peccaui: quid faciam tibi ò custos hominum? quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihi metipsi grauis? Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in puluere dormiam: & si manè me quaesieris, non subsistam.

**S**I I T A res habet (inquit Iob) vt dixi, neque vltima est in terra expectanda felicitas, contra quam assereret Eliphaz: illud vnum reliquum est, vt longo ciuilatu meas prosequar calamitates: [non itaque parcam ori meo,] Ac si dicat, Non cessabo diebus noctibusque questibus implere omnia: animi mœstitiã multis declarabo verbis, & spiritus afflictionem longiori explicabo oratione: quidquid spiritus amaritudo, & molestia suggesserit, declarabo. Aggreditur autem mœstissimam lamentationem in hunc modum, [Nunquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?] Eleganter exprimit afflicti hominis habitum animi, atque ingenium: qui cum grauiori aliqua aduersitate premitur, causas & rationes aduersæ atque inimicæ fortunæ inuestigare solet, & cum animo reputare suo, quòd ampliùs æquo aduersa fortuna prematur. Inquit ergò, [Nunquid mare ego sum aut cetus, &c?] Ergò diuina prouidentia tamen rebus omnibus sufficienter prouideat, longè tamen diuersa ratione rebus prospicit, quæ solo impetu sensus dantur, atque eis, quæ sunt rationis compotes. Namque cæ res, quæ ratione potiuntur, & ex delectu arbitrij efficiunt omnia, & pœnis, & supplicijs interdum, & amplissimis premijs nonnunquam dignè à diuina prouidentia iudicantur. Ceterum eis rebus, quæ solo impetu nature feruntur, rationeque vacant, nulla aut præmia, aut supplicia proposuit: tantùm eas in proprias actiones, & operationes adducit;

K 3 vt

vt aut intereant, aut reficiatur, coër-  
ceantur, dilatentur: atque id, totius  
vniuersitatis rerum bonum tantum  
spectans. Atque hinc ortum habuit  
imperium illud diuinum, quod Mo-  
ses explicuit dicens, Dixit Deus cō-  
gregentur aquæ, quæ sub cœlo sūt,  
in locum vnum, & appareat arida.  
Potuit autem diuinum illud impe-  
rium de congregandis aquis in locū  
vnum, non vna tantum ratione in-  
telligi, sed multiplici, atque varia.  
Primò, vt quidam opinantur, vt aquæ  
in maiorem altitudinem fuerint ele-  
uatae, & surrectæ in locum vbi sunt  
congregatae. Nam, vt quidam iudi-  
cauere, mare vniuersa terra altius  
est. Secundò, vt Iunilius voluit vetu-  
stissimus autor, vt aqua multò fue-  
rit tenuior ante diuinum imperiū,  
deinde verò, & compacta, & reddita  
crassior minorem occupauerit locū.  
Tertiò, vt terra partes aliquas con-  
cauas præberet, ita vt destinatis qui-  
busdam locis caperentur aquæ ari-  
da reliquis in locis emergente. Quæ  
uis enim in locum vnum dicatur cō-  
gregatae, quanuis sint maria diuer-  
sa: cuncta tamen magno Oceano iug-  
gi vnda, atque continua iunguntur.  
Dubitare tamen quispiam iure pos-  
sit, quibus ex causis aut Iob præsen-  
ti loco, aut Moses loco iam à nobis  
adducto videatur insinuare, aquas,  
& maria iuxta diuinum imperium  
intra limites quosdam detineri. Vi-  
demus enim aquas iuxta propriam  
naturam semper decliua petere lo-  
ca. Nam cum in cauo sita est, tantis-  
per quiescit: neque enim habet, quò  
fluendo proficiscatur. Cum autem  
primò loca decliua fuerit nacta, cū  
antecedens præcesserit, ea quæ post  
ipsam continuò est sedem illico oc-  
cupat. Atque ita dilabitur quæ an-  
tecedit. Quæ ergò fieri potest, vt

aquas, quæ suapte natura si decliua  
ra loca nascercerentur, totam terram  
implerent (& ob eam rem depressio-  
ra loca occupant) rerum artifex di-  
catur coërcuisse, & veluti detrusisse  
in carcerem. Sed hæc ita sunt à no-  
bis accipienda, Illud tantum à Iob  
& Mose proponi, quoniam diuina  
vox fuerit effectrix ipsius naturæ.  
Itaque anteaquam diuino præcepto  
depressiora loca teneret aqua, antea  
quam hunc locum, & cursum, impe-  
tumque præceptum Dei aquis in-  
genuisset, quo pacto se haberent a-  
quæ, nec nouimus ipsi, nec alium  
quempiam, qui nouerit, audiui-  
mus. Itaque simul naturæ auctor,  
& opifex, & aquas depulit in lo-  
cum vnum, certasque facultates  
conditis rebus præstitit. Atque  
eò spectare videntur verba Iob, &  
nonnulla etiam scripturarum ora-  
cula, vt insinuent aquas surrectio-  
res esse terra, & diuino præce-  
pto fuisse constipatas. Sunt qui  
velint, secunda die, à sole seu lu-  
ce condita concoctas fuisse vastis-  
simas aquas: quibus ardore solis  
sublatis super terras, & ex illis  
aëre confecto, terram aparuisse.  
Cum enim lampas toto Oceano  
superuecta omnem exureret aqua-  
rum orbem, ab altioribus locis in-  
depressiora aquæ confidentes, re-  
nuioribus partibus euaporatis, cel-  
siores terras nudas ubique reli-  
quere. Explicat hoc miraculum  
egregius propheta Dauid, elegan-  
tique celebrat carmine, cum in-  
quit, Abyssus sicut vestimentum  
amictus eius, (nempe terræ) super  
montes stabunt aquæ: ab incre-  
patione tua fugient, à voce toni-  
trui tui formidabunt. Ascendunt  
montes, & descendunt campi,  
in locum quem fundasti eis, &c.

Nam

Psal. 105

Nam cum aquis obruerentur montes, & demergerentur terræ, diuino iassu vastissimo sonitu se præcipitauerunt, & reliquere magno fragore montium vertices, subitoq; à terra incitatæ, & impulsæ diffugerunt. Nam quantus, obsecro, fuerit aquarum è montibus ruentium ad destinata loca fragor, atque tumultus, quandoquidem tantus est Cataractarum Nili strepitus fragor? Et quæ de Cete, & magnis piscibus dixit, ad ea pertinere videntur, quæ Moses de creatis magnis piscibus dixit, cum de creatione totius orbis differeret. Nam cum Moses de creatione omnium, quæ degunt in aquis disputaret, tanquam ingens diuinæ potentie miraculum illud subiecit potissimum, Creauit Deus cete grandia &c. Ac si dixerit Moses, eiusq; interpretes Iob, Si semel intellexeris Deum magnarum bestiarum esse creatorem, multò faciliùs agnoscas, cætera omnia in magnum illius opificis ingenium esse referenda. Nusquam enim id factum cernimus, aut in descriptione volucrum, aut cæterarum animantium, aut arborum, vt Deus ingentem aliquam volucrem, aut animantem, aut arborem creauisse dicatur. Inter pisces tamen cete commemorauit, quasi rem memoratu dignam. Neque enim minus cæteris terræ animantes magnitudine excedit quam sedes ipsa, id est mare terras omnes. Eam autem bestiam marinam magno Oceano conclusit, ne si in alia maria deduceretur, nauigantibus posset esse nocumento. His ergò ita explicatis, inquit sanctus vir. [Nunquid ego mare sum aut cetus, quia me carcere circundedisti?] Carcer è appellat aduersam fortunam, cum qua luctabatur. Nam solet Deus, &

improbos homines, & probos interdum in graues tentationes, quasi in carcerem detrudere, sed longè diuersa ratione. Iustos homines, vt verè tentationibus colligant robur, neq; per inertiam languescant, vt solent saginata corpora: ne cælestium donorum amplitudo eos in superbiam erigat: tum vt si qua in eis est animi supinitas, aut socordia, tentionibus excutiat: si quod peccatum aut scelus, quasi igne absumatur: tum postremo, & quod magis pertinet ad rem, vt tentationibus, mœrore, atque cruciatu, quasi carcere, & vinculis coërceantur, ne fortasse lasciuant, & fluant voluptatibus. Itaque quasi tristiori quadam disciplina dura atq; afflicta fortuna eos retinet in officio. Sed ea quæ diximus de iustis, ad nefarios homines, diuites, opulètosque transferamus: Quos Deus frequenter calamitate aliqua, aut grauiori morbo compefcere solet, ne maris instar in homines inferiores, & tenuiores impetum faciant: ne instar ceti, quæ alias solet marinas bestias deuorare, inferiores quosque deglutiant, & absorbeant, & in suam denique perniciem, & aliorum grassentur. Nam abutuntur frequenter, & viribus, & diuitijs, & opulentijs. Ob eamque rem cum sanctus Iob proprios animi recessus, & conscientiam contemplaretur, nulloque se scelere videret infectum quo cæteri diuites, & opulenti homines implicari solent: ( Non enim expilabat pauperes, nec subditos sibi deglubebat, non deuorabat aliorum fortunas, ) inquit ex testimonio propriæ conscientie in hæc verba erumpens. [ Nunquid mare ego sum, aut cetus, quia me circundedisti carcere? ]

Deinde quia potentissimi quique inter mortales, & qui opibus, diuitijs, viribusque videntur preualere, debiles profecto sunt, & exigue sunt omnium mortalium vires, si cum diuina conferantur potentia. ( Nam potest eos Deus leuiori quacunque poena ab studio nocendi coercere, vel solo nutu.) Inquit sanctus vir, [ Nunquid mare ego sum aut cetus, quia me circumdedisti carcere? ] Nunquid tantum est meum robur, aut sunt vires adeo ingentes, ut grauiores hac tentatione, indigentia videlicet, filiorum amissione, graui morbo, caeterisque urgentibus malis, quasi carcere detinear? Nunquid tam late nocere potest miser, & infelix homo, ut tanquam vastissimum mare, & ingens Cetus intra hos limites sit, & carcerem concludendus? [ Si dixerero, Consolabitur me lectulus meus, & releuabor loquens mecum in stratu meo; terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties. ]

Tanta erat sancti Iob afflictio, ut nulla posset ex parte genus aliquod consolationis expectare. Inter caetera vero quae mortalis hominibus, & afflictis nonnihil afferre solent leuamenti, lectulus ipse est, siue somnus: tum praeterea tacita illa atque silens in lectulo multarum rerum cogitatio, quae per quietem contingit. Vtroque igitur leuamenti genere destitutum se dicit S. Iob. Nam neque cum ad quietem se componebat, neque cum in lectulo decumberet, consolationis genus aliquod inuenire poterat. Nam cum cubitum eunt viri sapientes, solent secum cogitantes aduersae fortunae vulnera medicamentis rationis curare, & quaedam excogitare remedia, tanquam praesentissima pharmaca, ad leuandum moerorem, & animi moeroritiam necessaria. Mihi

verò (inquit Iob) omnes sunt praecclusi aditus consolationis, & leuamenti. [ Terrebis (inquit) me per somnia, & per visiones horrore concuties. ] Eleganter mehercule, & philosophice describit sanctus Iob habitum hominis postremo afflictum, quem neque somnus ipse iuuare potest, qui omnibus est animantibus datus, quasi certissima requies diurni laboris. Nam ut Aristot. est autor, singulae functiones, aut facultates, quae sunt animantibus à natura tributae, si semper in opera versarentur, neque unquam à labore desisterent, necessario conciderent ob earum imbecillitatem. Nam conuident oculi post multum visum: manus aut pedes post longiorem defatigationem deficiunt. Ob eamque rem, omnibus penè animantibus somnus datus est à natura, ut iugis animantium labor finem aliquando acciperet. Sanctus Iobus conqueritur, sibi non profuisse commune hoc omnium animantium remedium, neque illud praeterea, quod sapientibus viris peculiare est, cum videlicet publicis ac priuatis negotijs relictis, se tradunt quieti: ut ipsa rationis deliberatione ipsi efficiant, quod temporis longinquitas efficere solet. [ Terrebis (inquit) me per somnia, & per visionem, &c. ] Rationem in somniorum attingit diuinus philosophus: de qua magna fuit inter veteres sapientes concertatio. Democritus enim dormientium animos putabat pulsari externa, & aduentitia imaginum visione, quae tanquam membranae tenues à corporibus direptae semper funderentur, & fluerent: atque ex ijs alias quidem esse beneficas, alias vero peioris ingenij, maleficasque, & magnitudine ac perniciè portentosas, quae homines in somnijs infestare solent. Nos vero,

Arist. librò  
de somno  
& vigil.

Democri  
tus.

et si



etsi negemus simulachra esse per  
 aëra vltro citroque volitantia, mo-  
 tiones tamen esse aliquas concedi-  
 mus: quæ nos Simulachrorum vice  
 exerceant: illas verò ex initijs qui-  
 busdam earum rerum prodire, quæ  
 dicenda nobis, agenda ve sunt: Mox  
 aëre primùm mutato, ac deinde per  
 aurium foramina, & oculorū me-  
 tus transmissas in cor aut animum,  
 facere noctu insomnia. Strato (vt in  
 quit Galenus) insomnia fieri arbitra-  
 batur, quòd alia esset cogitatio men-  
 tis inter dormiendum longè præstā-  
 tior, & excellentior, quàm cum sen-  
 suum adminiculo vtitur. Herophi-  
 lus verò multò meliùs, partim à  
 Deo submitti somnia dicebat, quæ  
 necessariò contingere iudicabat: par-  
 tim à natura confingi, cum animus  
 diuersarum rerum aut sibi vtilium,  
 aut inutiliū affingeret simulachra:  
 partim verò fieri casu. Atque hæc  
 postrema dicebat esse confusa, & i-  
 maginum occurso procreata. Tunc  
 enim ea spectantur, quæ maximè de-  
 sideramus. Nascuntur verò insom-  
 nia nonnunquam ab ipsa ventris  
 plenitudine, & inanitate: nonnūquā  
 verò illusione dæmonis: aliquando  
 cogitatione simul, & illusione: inter-  
 dum verò reuelatione: & tandē po-  
 stremò cogitatione, & reuelatione  
 simul. Atque ea somniorum gene-  
 ra, quæ vel ventris plenitudine vel  
 inanitate constant, sunt ipso rerum  
 vsu, & experimento cognita: reliqua  
 verò sacrarum litterarum testimo-  
 nio firmantur. Namq; sapiens ille  
 vir diuinarū rerum cognitione ple-  
 nus, de hoc insomniorum genere ai-  
 bat, Multos errare fecerunt somnia,  
 & exciderunt sperantes in illis. Rur-  
 sūm, cogitatione simul, & illusione  
 insomnia interdum constare, Salo-  
 mon aperte confirmat dicens. Mul-

tas curas sequuntur somnia. Et reue-  
 latione interdum mentem pulsare  
 insomnia, multis Scripturarū locis  
 declaratur, vt in Genesi, de sancto  
 Ioseph. Et apud Matthæum de alte-  
 ro Ioseph viro sanctissimo sacre vir-  
 ginis sponso. Sunt verò quædam in  
 somnia, quæ à reuelatione simul, &  
 humana cogitatione nascuntur. De  
 qua re apud Danielem, Tu rex cogi-  
 tare cœpisti in stratu tuo, quid esset  
 futurum post hæc: & qui reuelat  
 mysteria (Deus,) ostendit tibi quæ  
 ventura sunt. Quibus aperte con-  
 stat, & cogitatione simul, & inflatu  
 diuino oriri insomnium. Nabucho-  
 donosor contigisse. Quoniam igitur  
 tot modis atque ex tā diuersis prin-  
 cipijs nascuntur somnia, atq; tam  
 varijs qualitibus alternat, nō adeò  
 facile illis adhibenda fides est: quòd  
 ignoremus mortales quo im-  
 pulsū potissimū contingant. Frequen-  
 ter enim veterator ille, quos vite hu-  
 ius oblectamentis, & vitæ præsentis  
 amore intercipit, atque deludit vigi-  
 lantes, dormientibus etiam dulcia,  
 & suauia obijcit, vt alliciat ad pec-  
 catum: & quos formidare aduersa  
 cōsiderat, durius per insomnia ima-  
 ginibus tentat, quò indiscretas men-  
 tes diuersis rationibus afficiat, atq;  
 in scelus omne præcipitet. Frequen-  
 ter etiam sanctorum animos insom-  
 nijs tentat, vt ab ipsa cogitationis so-  
 lidæ intentione vel ad tempus saltē  
 atque momentum deiiciat: & quò  
 vigilantes minus decipere valet, eo  
 diligentius per insomnia grauius  
 impugnat. Auror est D. Grego, hæc  
 diuinam prouidentiam ita dispensa-  
 re, vt dormiētes iusti etiam somnijs  
 infestentur, vt nullum sit temporis  
 momentum, etiam exiguum, in  
 quo iusti homines omni meriti ra-  
 tione vacent. Cupit enim vehemen-

Gen. 47.  
Matth. 27

Dan. 2. 65

Strato.  
Galen li.  
de histor.  
Philoso-  
phica.Herophi-  
lus.

Eccl. 34. a

Eccl. 5. a

D. Grego

ter, vt vel per insomnia ipsa mirum in modum sanctorum merita auget. Quod ergo inquit sanctus Iob, [Si dixerō cōsolabitur me, &c. terrebis me per somnia,] de suprēma tentatione, aut postremo tentandi artificio, quo impius ille iustos impugnat, accipiendum est. Nam tamen si id iniuste veterator ille aggreddiarur, iuste tamen summus Deus sua prouidentia id permittit, quod hęc omnia in utilitates sanctorū hominum cedant, & augeteant, (vt diximus) illorum merita. Fortasse hęc insomniorum genera, de quibus loquitur sanctus Iob, eius generis sunt, vt dæmonis illusionē, & cogitatione proprię mentis constarent. Nā vt diximus, solent insomnia consona esse diurnis cogitationibus. Interdiu autē S. Iob mœrores semper atque tristitia cogitabat, atque ipsa corporis ægrotudo in hoc genus cogitationum eum impellebat, vnde necessitate quadam fiebat, vt perturbata phantasmata, & confusa, tū præterea dæmonis ope concinnata, eum in lectulo vehementer infestarent. Cū ergo nullus euadendi patefere aditus, nullum tantorum malorum effugium, præter mortem ipsam, quę solet omnibus incommodis mederi, ad eō S. Iob fluxam & perituram felicitatem nō apperit, quā promiserat Eliphaz, vt mortem potius tanquam rem commodiorem eligat dicens. [Quam ob rem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.] Aut (vt Hebræa habent.) [Et mortem magis, quā vt ossa mea consistant.] Nam quoniam duplex est mortis genus, quorum alterum violentum est, alterum verō naturę legibus constat, vtrunq; commemorat sanctus Iob: & præ nimio vitę tædio, altero illorum vitam si-

nire cupiebat. [Elegit (inquit) suspendium anima mea.] Ac si dicas, Quod cunq; genus exitij, & mortem ossa mea, aut præ ossibus meis. Hoc est, suauior multo, atque commodior mihi videretur mors, quam vt ossa mea consistant, quibus tanquam columnis quibusdā tota corporis moles incumbit. Ob eamque rem eleganter per consistentia ossa vitam ipsam significauit, & subiecit illico. [Desperauit nequaquam iam vltra viuam.] Est autem hoc desperationis genus referendum non ad perniciosam illam animi confractionem, per quam scelerati quidam a diuina bonitate, & clementia deficiunt, vt de Caino legimus, sed ad vitā potius corpoream. Neque vlla enim prorogandę vitę spes elucebat, nullaque expectatio assequendę felicitatis ab Eliphaz promissę. [Desperauit: (inquit) iam non vltra viuam.] Et quid mihi sit in hac mortali vita sperandum, cuius est vita prope interitum ipsum? Iam enim circa extremum halitum sum constitutus. ¶ [Parce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei, &c.] Non poterat S. Iob promissā ab Eliphaz felicitatē vllō modo in hac vita expectare propter rationes adductas: vnum illud reliquū erat, vt vel per violentam mortem aut naturalem ex hac vita calamitosa pelleretur, aut vt magnus ille Deus manū suā cohiberet a tam graui castigatione, & a duriori flagello. Hoc igitur est quod inquit, Desperauit, decidi iam ab spe felicitatis terrenę, neque meliorem vnquam fortunam mihi ad futuram arbitrari: satis benē mecum actum erit, si mihi parcas, atq; hoc atrocissimum genus supplicij pro tua bonitate temperes, & desistas a flagello. Nihil aliud est quod magis iudicē

Gen. 4:

Gen. 4:

Gen. 4:

iudicem ad clementiam flectat, quã ipsa hominis miseria, atque calamitas illius oculis obiecta. Ob eamq; rem S. Iob argumentum petendo ab ipsa breuitate vitæ, vt iudicis animum in suam causam flectat, humanæ vitæ dies exiguos atque breues illius conspectibus presentat. [Parce mihi Dñe: nihil enim sunt dies mei:] vel vt habent Hebræa, [Dies mei vanitas sunt, seu inanitas.] Sufficiat proinde ipsa dierum angustia: sufficiat abundè ipsa inanitas, quæ sit instar grauioris cuiuspiam supplicij: satis enim ipsa vitæ breuitate in miserum hominem, & infelicem vindicatum videtur, ni etiam exigua vita, atque breuissima tot sit implicata malis, & referta incommodis. Et quanuis sanctus Iob de se ipso dicat, [Nihil sunt dies mei:] vt potè qui iam ad extremum vitæ peruenisset: sed sunt illius verba à quocunq; nostrum altiori tractanda mente. Finge igitur quèpiam nostrum ad vltimum ætatis humanæ peruenisse: centesimus, si velis, aut supra illi prematur annus: iam ergò totam huius hominis ætatem ad computationem reuoca, videbis profectò, longissimam ætatem ad nihilum recidere. Dic mihi, quantum ex tua ista ætate abstulit creditor, quantum amicus, quantum eliens, quantum respublica, quantum lites vxorix, quantum seruorù cœrtio, quantum officiosa per urbem discursatio? Abijce morbos, & graues ægrotudines, somnum & noctes quas dormiisti, & tempora in oblectamenta carnis & voluptatis insumpta, videbis profectò pauciores annos te habere, quam numerasti. Repete memoria tecum, quam multi vitam tuam diriperunt te non sentiente, quantum va-

nus dolor, stulta læticia, auida cupiditas, blanda conuersatio: inuenies profectò, exiguum tibi de tua vita relictum: intelliges verù esse, quod ait Iob, [nihil enim sunt dies mei.] Nihil sunt humanæ vitæ dies: breuiiores tamen, quia impendio vitam instruimus, & cogitationes in longum ordinamus, quod maximum scelus est. Maxima vitæ iactura dilatio est, illa angustat dies, & presentia nobis eripit, dum vltiora promittit: maximum vitæ impedimentum est illa expectatio, quæ pendet ex crastino. Semper presentia perdimus: disponimus futura, quæ in aliena manu posita sunt: amittimus quæ in nostra. Nam quæ ventura sunt, in incerto iacent. Illud ergò in causa est (preter limites à Deo præfixos) huius tantæ breuitatis humanæ vitæ, quòd mortales tanquam semper victuri viuunt: nunquam illis fragilitas propria succurrit: non obseruant, quantum temporis transierit, sed veluti ex pleno, & abundanti perdunt: cum interim fortasse ille ipse alicui nostrum donatus vltimus dies sit. Omnia tanquam mortales timemus, & omnia tanquam immortales concupiscimus. Audies pleròque dicentes, A sexagesimo in otio secedam, septuagesimus ab officijs me dimittet. Et quam tandem lógioris vitæ prædam accipis? Quis ista, si cut disponis, ire patietur? Non pudet, te ad reliquias vitæ reseruare, atque id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? Quam seruum est, tunc viuere incipere, cum desinendum est. Nostra itaque stulticia, & dementia præter ipsam vitæ breuitatem naturæ præfixam angustiores multo efficit dies, breuioremque vitam: ad eò vt rectè tota vitæ ratio dicatur inanitas,

nitas, vt inquit S. Iob. ¶ [ Quid est homo quia magnificas eū? aut quid apponis erga eum cor tuum? ] Duo sanctus vir proponit ad exprimendam huius diuini animantis excellentiam: quorum alterum ad ipsam hominis creationem pertinere videtur, alterum autem ad ipsam rationem diuinæ prouidentiae, qua homini per omnia abundè prospicit. Vt igitur priori loco de magnificentia illa dicamus, quæ sibi per creationis opus contigit, illud primò ad hanc magnificentiam pertinere videtur, quòd homo à Deo conditus sit ad imaginem, atque similitudinem diuinæ mentis, ita vt ipsa intelligentia atque substantia animi diuinam naturam referat. Nam homo ipsa mente atque intelligentia homo est.

Plutarch. Huius opinionis refert Plutarchus  
Homerus. etiam Homerum fuisse. Idem sen-  
Socrates. sit & Socrates, quam Marcus se-  
Marcus. quurus pronuntiauit, corpus esse huius imaginis receptaculum. Epi-

Epicurus. etus Stoicus, atque eum sequutus  
Simplici. Simplicius, & Syrianus quoque di-  
Syrianus. xere, mentem in nobis hominem esse. Et vehementer à summis philo-

Epicurus. sopheris carpitur Epicurus, quòd hanc nostræ mentis cum Deo similitudinem lineamentis corporeis constare diceret. Præclarum est testimonium Mercurij Trismegisti, de hac hominis magnificentia. Pa-ter (inquit) cum vita esset, & lumen, hominem peperit sibi similem, quem amauit vt propriam prolem: erat enim pulcherrimus cum paternam teneret imaginem.

Psellus. Psellus præterea in Chaldaicis o-  
Proclus. & Proclus inter Platonicos celeberrimus. Sed (vt propriè aliquantulum accedamus ad rem explicandam:) Nonne illud ad magnificen-

tiam hominis maximè pertineat; quòd quemadmodum Deus vnus, totus, & vbique semper est, omnia viuificans, mouens, & gubernans: ita etiam, & anima in corpore vbique tota vigeat, viuificet, gubernet, moueat, neque in maiori corpore sit maior, neque in minore minor, sed æqualis in maximo, & æqualis in minimo. Atque hæc quidem est imago vnitatis Dei. Sed & trinitatem etiam ipsam ratione quadam exprimit.

Vt enim Deus est, viuut, & sapit: ita etiam, & anima est, viuut, & sapit: Et vt in diuinitate Pater est, & Filius, & Spiritus etiam vtriusque nexus: ita etiam, & in anima memoriam consideres, intellectum, & voluntatem. Omnia sunt in Deo (dixit Mercurius in

Mercurius  
in Pimand  
dra. ca. 11  
suntq; ver-  
ba Mentis  
ad Merc.

Pimandra) non vt in loco posita. Locus enim, & corpus est, & immobile, atq; ea quæ ibi posita sūt, motu carent. Aliter enim locantur res ipsæ in corpore, aliter in Phantasia. Cogita singula continentem, nihil esse capacius Deo, nihil aut velocius, aut validius, ipsumque omnium velocissimum, potentissimum, & capacissimum. Sic iterum à te incipiens meditare, atque animæ tuæ præcipito, iubeto transeat in Oceanum, priusquam iusseris, ibi erit, inde, vbi nunc est, nequaquam discedens. Iubeto iterum vt in cælum euolet, nullis egebit pennis, nihil erit quod illius possit impedire cursum, non Solis incendium, nō ætheris amplitudo, nō vertigo cœlorum, non reliquorum Siderum corpora, quin per omnia penetrans, ad supremum corpus vsq; transcendat. Hactenus Mercurius. Nonne ad excellentiam, aut magnificentiam hominis pertineat hæc tanta agilitas,

agilitas, quæ diuinæ mentis celeritatem refert ( vt ibidem Mercur. inquit)? Secundò contemplare Deum intelligentias omnes in se habentē, habentēque se ipsum ceu mūdum penitus vniuersum: extēde te ipsum in magnitudinem aliquam sine termino, emerge ex corpore, totum supergredere tēpus, æternitas deesto: sic Deum denique noueris in imagine, & mente tua, & æternum, & implentem omnia: Te ipsum existima immortalem, & comprehendere cū cæta potentem, scientiam omnem, atque omnem pariter artem: omni sublimitate sublimior esto; profundior omni profundo: sensuque colligito singulas mundi partes: adesto simul mundi partibus omnibus, cælo, terræ, mari, per omnem ætatem extra corpusculi tui limites habitato: cuncta hæc simul comprehendito, loca, tempora, moles, qualitates, & quantitates: sic Deum intelligere poteris. Hæc Trismegist. Hoc igitur ad hominis magnificentiam, & præstantiam maximè pertinet, quod ex propria mente diuinam mentem intelligere potest. Sed, & vt arbitror, hæc hominis magnificentia atque excellentia, & Dei similitudo, in hoc etiā posita est, quòd illum reliquis omnibus animantibus dominum præfecerit Deus. Nam & post illa verba, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: subiecit Moses, *Et præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersęque terrę, omnięque reptili quod mouetur in terra.* Hūc fortasse multò magis spectabat S. Iob: atque hac in re magna huius excellentiæ humanæ naturæ pars posita est, quòd quemadmodū cæteris in rebus mortalis homo diuinam referebat imaginem, ita etiam hac in re, quod in

cæteras creaturas diuinum poterat exercere imperium: & in seruitutem ac ministerium hominis vt cælum, & astra, ita etiam & reliquas creaturas condidit omnipotens.

Nos bobus, & equis, & canibus dominamur, atque eos nobis parere cogimus: profunt quædam ad subuehenda corpora, & ad ferenda onera, quæ si defuissent, nostris oporteret ceruicibus deferre: quædam ad vescendum: quædam ad velanda corpora: plurima etiam ad voluptates, atque delicias. [Quid igitur est homo (inquit S. Iob) quòd cum tanto opere magnificas,] vt & illius menti tuam inpresseris imaginem, & cæteris animantibus imperare patiaris? [Aut quid (inquit) apponis erga eū cor tuum?] Sanè hac cordis appositione ingenrem quandam curam, ac prospectionē rerum humanarum significare voluit. Quid est (inquit) homo, quòd eum tractas tam magnificè, & animum applicas ad eum? Diuina prouidentia, quanuis rebus omnibus abundè prospiciat, & illius gubernationi sint omnia subiecta, varia tamen ratione, longeq; diuersa à summo Deo disponuntur iuxta cuiusque rei ordinem, & gradū. Cū enim res singulæ, quæ tota rerum vniuersitate consistunt, in commune bonum totius orbis referantur, ea ratione quædam à Deo disponuntur, & in suos proprios ducuntur fines, vt bonum totius vniuersi semper spectent. Sic enim cæteris animantibus prospicit magnus ille Deus (hominem semper excipio) vt erga eas non apponat cor suum, neque animum adijciat: neque enim singularem ouem, ( vt exemplum proferam) aut bouem tuetur, & seruat, huius tantūm indiuidui gratia, sed eā ob rem potiùs ne species in vniuersum

Gen. 2.

sūm intereant. Neque enim hisce in rebus Deus rationem aliquam meriti, aut demeriti prospicit. Secus autem est in hominibus. Ita enim ad curandas, fouendasq; res humanas animum applicat, vt propter se illas curet, & non totius vniuersi gratia, neq; vt humana species non intereat: sed cuiusque hominis etiam postremæ notæ rebus prospicit, & quidem propter se (vt diximus.) Hanc igitur rationem diuinæ prouidentia in sequentibus suffus explicat dicens, [ Visitas eum diluculo, & subito probas illum. ] Vtramque enim rationem diuinæ prouidentia duobus tantum verbis complexus est Iob. Nam partem illam, quæ blanda est, dulcis, & suavis, visitandi verbo exprimere voluit more sanctarum scripturarum, quæ verbo visitandi genus omne beneficiorum in homines collatum à Deo significare solent. Hinc fit, vt redemptionis beneficium appelletur visitatio. Vt apud Lucam dixit Zacharias pater Ioannis, Visitauit, & fecit redemptionem &c. Et iterum, Visitauit nos oriens ex alto. Quid igitur homo est, (inquit Iob) quod illum inuisere non dedigneris, & quidem diluculo? Nam cum primò intra viscera materna coaginetur, & prima accipit vitæ initia, [ visitas eum. ] Nonne magnum fit beneficium in homines collatum, quod ibi formantur pueri, auferantur, & ad prodeundum in lucem parantur, tandemque è materni vteri latibulo producantur? An non & illud planè stupendum, quod tenello puero papillarum modus tam egregiè sit attemperatus, lactisque copiam vbera affatim suppeditent? An non & illud planè stupendum, tantam ineffe ma-

lis etiam hominibus erga infantes suos charitatem, vt illos, cum nihil nisi vagitu obstrepere, terribus nauisem ciere, infinitoque labore & cura, diu noctuque molesti esse possint, parentes tamen minimè fastidiant, nullis vel fordibus, vel laboribus, offensi? adeò vt voluptas sit, etiam illis inservire? Hoc sanè argumento colligebat Christus, quid quisque nostrum à patre coelesti sperare debuisset. Si vos (inquit) cum sitis mali, & mente deprauati, nostis vestris filijs bona dare, hoc est, illis per omnia prospicere, quid verò sit iudicandum de Deo, qui ipsum bonum natura existit? Quantis verò periculis deinde paruuli ministerio sanctorum Angelorum eripiantur singulis momentis, & fides ipsa docet, & docet religio, & nemo sit tam cæcus, qui non videat. Summo igitur diluculo, hoc est, ab ipso cõceptu, & exortu Deus hominem visitat, & innumeris afficit beneficijs. Habetq; illud gratiæ venustatis, quod Deo affingit personam hominis summo diluculo surgentis, vt operis quidpiam efficiat. Hebræa [ Singulo mane ] sonant: vt intelligas, sequenti etiam ætate Deum humanis rebus prouidere. Sed & alteram diuinæ prouidentia rationem subiungit statim, quæ probatione, & tentatione constat, dicens, [ Et subito probas illum. ] Vt enim vasa figuli probat fornax, ita & Deus hominis iusti solet probare virtutem, (vt dixit Sapiens ille,) & igne tentionis multis modis explorare. Dicitur autem Deus hominem probare, non quod ipse rei cuiuspiam teneatur ignorance, sed quod in eam rem diuinæ tentationes dirigatur, quod vehementer cupiat, sanctorum virtutem, & animi constantiam alijs declarare.

Lucæ. 13.

Lucæ. 1.

Eccl. 27. 2.

clarare: Sunt autem verba Iob non improbantis diuinam prouidentiam (quam ipse multis modis suspiciebat, atque admirabatur) sed admirantis potius, atque suspicientis tantam prospectiōem erga infelicem hominem atque calamitosum. Nam humana quæcūque, quæ exterius videntur, & apparent, exigua quidē sunt, humilia prorsum, atque deiecta: ob eamque rem non possit non videri mirum, quod his Deus summa cura atque prospectiōe prouideat. Nisi enim aliquid in homine esset æternitatis capax, nunquam profectū tanta cura, & prouidentia illius rebus Deus ipse prospiceret. Qua admiratione sancti viri labefactatur etiam sententia Eliphaz. Nam nisi alia esset vita præter temporariam istam, indignum profectō videretur, tanta sollicitudine illius curare res, qui simul cū corpore debuisset interire: Satis ergo declarat ipsa diuinæ prouidentiae sollicitudo erga hominem, in excellētiorem aliquē, & præstantiorem finem destinatum esse. Sunt qui velint argumentum Iob nullius esse ponderis, aut momenti, & à sapientia humana fuisse profectum: quod magnus ille Deus non propter illius præstantiam aut merita eum tractat tam magnificè, sed propter suam benignitatem. Sed superior sententia mihi magis videtur verò similis. Et quia dixerat vitam hominis breuem esse, & angustam, ad amplificandam eam rationem dixit, [ Vtquequò non parcis mihi, nec dimittis me vt glutiam saliuam meam? ] Tempus (inquit) breue est, moriendum mihi est quàm citissime: vsquequò igitur me vexabis? Quando tandem manus cohibebis à tam dura castigatiōe? Nunquid reliqua vitæ pars, quæ perex-

igua est, plena erit poenarum atque dolorum? Quod ergo tempus expectas, vt mihi parcas? Totamque rem exaggerat miro modo verbis sequētib; [ Cur (inquit) nō dimittis me vt glutiam saliuam meam? ] Ac si dicat, Cur mihi non concedis respirandi spatium? Hæc verba eò sanè spectant, vt graues eiulatus, & questus, quos semper habebat in ore exprimat. Homines enim dum loquuntur, saliuam deglutire non possunt, nisi verba interrumpantur, & breui saltem silentio quietem loquendi faciant. Cur ergo non desinis tātisper percutere, vt saliuam meam deglutiam? non dabis vel hoc spatiū temporis? Eò spectant hæc verba, vt & sententia Eliphaz elidatur. Nam si aliam mortalis homo vitam non expectaret, non est quando Deus parcat, si in hac vita non parcat. Obijciat fortasse quispiam, Indignū est, o Iob, vt Deus tibi indulgeat: namq; hæc supplicia, & multò maiora tua peccata exigunt. Sic enim existimabat Eliphaz, qui eum propter admissa flagitia credebat cum tam graui, & aduersa fortuna luctari. [ Peccauit ] (inquit) huic argumento respondens, Faterur malum quod fecit, <sup>Psal. 67.</sup> sed nihil quod in recompensationē debeat offerre inuenit. Iusti enim hominis vita, quamlibet videatur innocens, neminem tamen apud districtum iudicem liberabit: Atque eam ob rem sapienter satis dixit regius vates, Melior est misericordia tua super vitas. Ideo etiam & S. Iob inquit, Peccauit: multa tamē sunt, propter quæ Deus mihi indulgere debeat, & manus à tam dura castigatiōe cohibere. Prima ratio (vt arbitrantur quidam) sumitur ab hominis indigentia, & tenuitate, qui pro admissis sceleribus satisfacere non potest.

potest. [Quid faciam tibi (inquit) dō  
custos hominum?] Si tam exacta ab  
hominibus est reposcenda ratio sce-  
lerum, si de singulis actionibus ratio  
sit requirenda, quemadmodum so-  
lent custodes, quid ego tibi faciam?  
Non suppetunt vires, non merita, vt  
pro commissis peccatis iuxta corū  
magnitudinem quidpiam reddere  
possim. Itaque si exacta peccatorū  
ratio exigenda est, & satisfactio ple-  
na, profectō nunquam parces, neque  
vnquam mihi dabitur respirandi lo-  
cus. Vel id significare voluit his ver-  
bis, neminem nostrum, tametsi pro  
peccato plenē satisfacere possit: (quod  
tamen falsum est) nulla tamen in re  
Deo commodare posse. Neq; enim  
ille nostra satisfactione utilitatis ali-  
quid capere possit. Sunt qui arbitre-  
tur in eam rem spectare verba Iobi,  
vt declararet videlicet, quæ sit peccati  
natura, & cuiusque aduersus diuinā  
maiestatem offensa. Vt enim nostris  
bonis operibus, aut egregijs actioni-  
bus nihil possumus Deo commodare  
(vt inquit Psaltes, Bonorum meo-  
rum non eges:) ita neque scelere aut  
peccato Deum aliquo afficere incō-  
modo. Inquit ergo, Esto: peccauerim  
quid obsecro nocementi tibi intuli,  
vt ob eam rem tam grauitur in me  
animaduertas? Sed mihi magis pro-  
batur superior illa sententia, quæ  
inopiam, & indigentiam humanæ  
mentis prætexit, quæ nunquā pro  
peccato suapte natura plenē satisfacere  
potest. Secunda ratio sumitur,  
vt quidam iudicant, ab imbecillitate  
naturæ humanæ, quæ nunquam  
perseueranter innocentiam, & inte-  
gritatem seruare potest. Solet scri-  
ptura sacra hoc loquutionum gene-  
re frequenter vti, vt dicat, Deum in-  
durare quempiam, quia gratiam nō  
largitur, qua possit emolliri cor: &

Psal. 15.

in reprobū tradere sensum dicitur;  
quia lumen non infundit, cuius ad-  
miniculo sic possit mortalis homo  
discernere inter ea quæ sunt fugien-  
da, aut expetenda: quanuis nunquā  
lumen necessarium subtrahat. In  
hunc ergo modum inquit, [Quare  
me posuisti contrarium tibi?] Ac si  
dicat, Quare mihi ea præsidia non  
contulisti, quibus vitæ innocentia,  
& integritatem pertinaciter tueri  
possim? Nam quisquis peccatum ali-  
quod admittit, Deo profectō contra-  
rius, & aduersarius est, dum diuinis  
mandatis repugnat, quæ sunt diui-  
nis legibus excepta, vel natura indi-  
ta humanæ menti. Aduertendum  
autem, quod inter cæteras animi fa-  
cultates ea principem tenet locum,  
quæ mens appellatur, siue ratio.  
Hæc enim est imperatrix, atque re-  
gina totius hominis: quæ tamen, vt  
frequenter contingit, affectibus ra-  
ptatur, tanquam satellitibus atque  
tyranno. Affectus enim frequenter  
rationem ipsam auocant à recto &  
honesto, atque ipsam tanquam vin-  
culis innexam tenent, reclamante  
tamen semper ratione ipsa, quæ ar-  
cano quodam propriæ naturæ sem-  
per ad cœlestia, & spiritalia aspi-  
rat. Contingit præterea, vt ipsa pec-  
candi cōsuetudine inferiores omnes  
facultates magis sint pronæ atque  
propensæ in omne genus flagitij, ita  
vt magno cum labore ratio ipsa vix  
earum impetus possit cohibere, at-  
que eas à scelere, & flagitio reuoca-  
re, & à voluptatibus, & oblectamen-  
tis vitæ abducere. Quo fit, vt neces-  
sitate quadam, dum homo per pec-  
catum Deo aduersatur, sibi etiā gra-  
uis fiat, & onerosus. Ob eam rem  
(inquit) [Et factus sū mihi met ipsi  
grauis.] Si ergo peccatum omne sta-  
tim habet pœnam atque supplicij,  
debeat



debeat Deus ipse (vt videtur) rigorem temperare iustitiæ, & acerbiterem pœnarum mitigare. Possis etiã hunc locum [ Quare posuisti me, &c. Et factus sũ mihi metiphi, &c. ] exponere considerando inferiorem hominis partem: quæ dolores tolerat, & febribus anhelat, multisque ægritudinibus constringitur. Et ipsa corporis quæ salus vocatur, ægritudo quodãmodo est. Nam tabescit otio, opere deficit: deficiens inedia, cibo reficitur vt subsistat: refectioe ægrotans, abstinentia releuatur vt vigeat: fatigatur vigilijs, somno reparatur: oppressa somno, vigilijs excutitur. Sic ergo & salus ipsa, & totus homo grauis est sibi ipsi. Sumitur tertium argumentum ab hominis imbecillitate, propter quam peccatum, & contractas iceleris sordes purgare non potest. Homo quidem suapte natura valet peccatum admittere, illud tamen sua natura non potest expurgare. Est enim solius Dei, eluere contractas flagitiorum sordes. Ob eamque rem (inquit sanctus Iob) si pœna cessare non debet quãdiu fuerit peccatum, [ Cur non tollis peccatum meum, & quare nõ aufers iniquitatem meam? ] Nam ego ad tantum opus, & tam præclarum efficiendum prorsum sum impos. Huiusmodi autem questiones Iob, nec stultæ sunt, neque temerariè diuina iudicia scrutantur: In eam rem potiùs spectant omnes, vt fluxam illam, atque perituram aduersariorum felicitatem possint euertere. Nam si in hac vita tantum à Deo expectanda esset felicitas, ex-

pectanda essent præmia iuxta qualitatem factorum: perturbatur profectò tota ratio diuinorum iudiciorum, quibus aut in homines propter peccata grauitè animaduertit, aut certis quibusdam ex causis peccata remittit. Nam hæ varix rationes diuinæ prouidentix in eam profectò rem spectare videntur, quod inter homines alij ad æternam vitã sunt destinati, alij verò propter scelera æternis deputati supplicijs. Sed finge intereat simul animus cum corpore, nulla sit spes futuræ vitæ: quibus ex causis (obsecro) Deus differret parcere ijs, quibus tandem parcendũ est, & remittenda sunt peccata? Aut quibus ex causis hominem iustificat, & contractas eluit peccatorum sordes? [ Ecce (inquit) nunc in puluere dormiam, & si mane me quæsieris, non subsistam. ] Argumentum est item sumptum à breuitate humanæ vitæ. Oportet (inquit) magna celeritate mihi subuenias, & graua supplitia à meo capite amoueas: non sunt in hac re necessendæ moræ, non sunt longa vitæ spatia, vt expectare possim, in futurum mihi parcas. Nam si paulisper differas tua beneuolentia subuenire, ecce nunc dormiam in puluere: hoc est, moriar: [ Et si mane me quæsieris, ] vt id beneficij in me conferas, [ non subsistam. ] Ac si dicat: non me inuenies: Aut iuxta quorundam sententiam, iam nunc in puluere dormitarem, si tu me non retineres in his afflictionibus: & eum eras redires vt me flagellares, iam non essem, in quem mala illa inferri possent.

## CAPUT OCTAVVM.

**R**ESPONDENS  
autem Baldad Subites di-  
xit, *U*squequò loqueris  
talia, & spiritus multiplex ser-  
monis oris tui? Nunquid Deus  
supplantat iudicium? aut Omnipoten-  
s subuertit quod iustum est?  
Etiam si filij tui peccauerunt ei, &  
dimisit eos in manu iniquitatis sue:  
tu tamen si diluculo consurrexeris  
ad Deum, & Omnipotentem fueris  
deprecatus: si mundus & rectus in-  
cesseris, statim euigilabit ad te, &  
peccatum reddet habitaculum iusti-  
tiae tuae. In tantum ut priora tua  
fuerint parua, & nouissima tua  
multiplicentur nimis. Interroga  
enim generationem pristinam, &  
diligenter inuestiga patrum memo-  
riam: (hesterni quippe sumus, &  
ignoramus quoniam sicut umbra  
dies nostri sunt super terram) & ipsi  
docebunt te, loquentur tibi, & de  
corde suo proferent eloquia.



**B**ALDAD IO-  
bum ad veram  
peccatorum con-  
fessionem, & sce-  
lerum poenitudi-  
nem conatur ad-  
ducere, sumpto  
primo argumento à respicientium  
benedictione, & optimis rerum suc-  
cessibus. Secundò, ab hypocrita-  
rum repentino interitu, & inopi-

nata perditione. Principiò igitur  
inquit, [ *U*squequò loqueris ta-  
lia, & spiritus multiplex, &c? ]  
Ac si sanctus vir importunus hy-  
pocrita esset, loquax ac verbo-  
rum prodigus. Solet vsu venire, ut  
homines contra sententias minime  
intellectas accerrime disputent, at-  
que duabus in rebus suam imperi-  
tiam, & ruditatem, cæteris manife-  
stent. Primò cum nesciunt in quem  
finem aliorum oratio decurrat:  
deinde cum proflus ignorent quo  
pacto aduersariorum oratio dispo-  
natur, & in partes distribuatur  
suas. Hac gemina rerum ignoran-  
tia Baldad laborabat, quemad-  
modum tota illius oratione prodit-  
tur. [ *Q*uouſque (inquit) loqueris  
talia? ] Quibus verbis conqueritur,  
sanctum virum longius protraxisse  
sermonem, quam opus esset. [ *E*t  
spiritus multiplex sermonis oris  
tui? ] Ac si dicat, Quouſque pro-  
trahes desultoriam orationem sine  
certo aliquo ordine? quouſque  
sine ratione loqueris, & in ventum  
verba profundes, & sonitus sine  
ratione dabis varios atque multi-  
plices? Aded enim sapientum iu-  
dicio, dispositio & ordo earum re-  
rum, quæ ingenio excogitauimus,  
necessaria est, ut quemadmodum  
habet Fabius, Omnis, quamlibet a-  
bundans rerum copia, cumulum  
tantum habeat, atque congestum,  
nisi certa quædam dispositio & or-  
do res inuentas, digestas in ordi-  
nem, atque inter se commissas deui-  
nerit. Ut enim extruentibus satis  
non est, laxa atque materiam, &  
cætera ædificantibus vtilia conge-  
rere, nisi disponendis his atque ordi-  
nandis manus artificum adhibean-  
tur, sic etiam & de dicendi ratione  
iudican-

Fabius  
lib. 7.

iudicandum est. Neque enim quidquam fuis omnibus membris statua esset, nisi ordine collocentur. Et siquam in corporibus nostris aliorumve animalium partem transferas, atque permutes, licet habeat eadem omnia, prodigium sit tamen. Nam & artus humani corporis suo loco leuiter moti, suum usum perdere solent; & perturbati exercitus sibi sunt impedimento. Namque ipsam rerum naturam ipso ordine stare putandum est: quo deficiente omnia sunt peritura. Sic omnis oratio hac virtute carens, tumultuetur necesse est, & sine rectore fluitet, nec cohaereat sibi, ac velut in nocte in ignotis locis errans casum potius quam consilium sequatur nullo sibi fine aut principio proposito. Aggreditur ergo quasi vindex diuinæ iustitiæ Deum ipsum aduersus orationem sancti viri defendere. [ Nunquid Deus supplantat iudicium, aut Omnipotens subuertit quod iustum est? ] Eleganter profecto verborum aut nominum contrapositione iudicis Dei æquiritatem declarat. Duo enim nomina Hebræa in textu deprehenduntur, quorum alterum summam atque rectissimam potestatem iudicandi Deo tribuat, alterum verò summam omnium rerum sufficientiam, & abundantiam incredibilem, *El*, & *Saddai*. *El* vox est, quæ Deo tribuitur tanquam summo dictatori, & iudici rerum humanarum æquissimo: *Saddai* verò, tanquam qui nulla re indigeat. Duplici ergo ex fonte omnis corruptio iudiciorum nascitur: si aut iudex natura reclusus non sit, & in aliquam partem flecti possit ductus privato aliquo affectu: deinde si re aliqua egeat, aut

penuria labore opum, aut pecuniarum. Nam solet egestas frequenter iudices impellere ut nefaria iudicia exerceant. Vtrumque Baldad à summo Deo eleganter, & artificiosè remouet. Nunquid qui *El* est, hoc est, natura ipsa ad iudicandum appositus, corrumpere possit iudicium; & aduersum rationem ipsam de rebus humanis ferre sententiam? Aut qui est *Saddai*, & rebus omnibus sufficienter abundat, subuertet quod iustum est rei cuiuspiam cupiditate ductus? Aut si maus: Omnis ratio iudiciorum corrumpitur interdum astutia sapientis cuiuspiam iurisperiti, aut violentia alicuius potentis. Dei autem iudicia non possint non esse rectissima, si vtrumque aduertat. Nam qui Deus est, & exactissimè nouit omnia, qua ratione cuiuspiam hominis astutia decipi possit? Qui verò est omnipotens, nunquid cuiuspiam hominis violentia adduci possit, ut iniquam de rebus humanis ferat sententiam? Gemina ergo voce vtramque suspicionem à Deo remouet. Vnde & in Genesi cum Deus sancto Patriarchæ Abraham multa pollicebatur, quæ vix poterat humanæ mentis complexus capere, se *Saddai* appellabat. Ego (inquit) Deus *rw* *Saddai*, ambula coram me, & esto perfectus. Nihil est (inquit) quod timeas. Potens ego sum implere promissa. Deinde cum sententia aliqua in mortales erat ferenda, se appellabat *El*, quemadmodum multis scripturarum testimonijs comprobari potest. ¶ [ Etiam si filij tui peccauerunt ei, & dimisit eos in manu iniquitatis suæ, &c. ] Pergit iterum eximijs laudibus diuinam

iustitiam extollere. Hoc enim proprium est impiorum hominum, & hypocritarum, diuinam iustitiam, cum omnia illis ex voto succedunt, collaudare mirifice, præsertim si alios viderint eadem iustitia premi, atque vexari. Dum enim se iustos arbitrantur, atque omnia illis alba contingunt, fit plerumque ut iustitiam ipsam collaudent in alios grauer desceuentem, & ab illis manus temperantem, tanquam qui iustitiam ex animo colant. Si verò hæc eadem iustitia diuina duriori aliqua castigatione illos corripiat, subito damnare incipiunt, quam antea mirificis extollebant præconijs. De quibus David in Psalm. Confitebitur tibi cum bene feceris ei. Semper enim laudis illa confessio suspecta habenda est, quam felix aut prospera fortuna format, & excitat: illa verò laudis, & confessionis ratio plurimi est facienda, quæ inter ictus & plagas, & vitæ acerbitates se exerit, & declarat. [ Etiam si filij tui peccauerint, &c. ] Videtur hoc loco Baldad Suhites illorum sequi iudicium atque sententiam, qui arbitrantur, supremum iudicem Deum iure non posse à filijs pro peccatis parentum pœnas reposcere: quod ego falsum existimo, & cum auctoritate scripturarum pugnare. Quauis enim humana stultitia, ut habent oracula Ezechielis, diuinam iustitiam interdum damnet dicens, Non est æqua via Domini, patres nostri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obtupuere. Ac si dicat, Non potest diuina prouidentia & prospectio, omni culpa, & iniquitatis nota vacare, quæ parentum scelera ab vniuer-

sa posteritate tanta sæueritate re-  
petat: Satis tamen, ut arbitror in  
scripturis arcanis reuelatum est  
Deum Optim. Maxim. à filijs in-  
terdum sumere pœnas, & quidem  
innocentibus propter parentum fla-  
gitia. Nam innocentes pueri cum  
Sodomitis periere: & multa pue-  
rorum millia inter ipsos maternos  
complexus apud Ægyptios, multa  
etiam, cum Iudæorum populus  
propter scelus David graui fuit  
peste consumptus. Accedit ad  
hoc, quòd vniuersum humanum  
genus propter scelus primorum pa-  
rentum Deus in pœnas atque sup-  
plicia deposcit. Quauis hoc pec-  
cati genus non sit per omnia simile  
existimandum cæteris flagitijs,  
quibus mortales diuinas leges ex-  
pugnamus: præsertim si animis ad-  
uertamus nostris, quo rerum sta-  
tu, quibus muniti præsidijs, qua  
dignitate & honore, quàm blandis  
legibus astricti, quanto totius  
posteritatis periculo atque perni-  
cie primi parentes peccauerint.  
Sed quoniam ardua hæc quæstio  
est & laboriosa, & quæ proprium  
postulat tempus & locum, ad sen-  
tentiam Baldad explicandam, &  
exagitandam simul nostra iam se  
conuertat oratio. Deus itaque non  
vna tantum ratione, & consilio ad  
vindictam, & castigationem proce-  
dit. Corripit enim interdum ut  
pater, ad reuocandam filiorum in-  
dolem dubiam, & peiori fortasse  
loco positam: interdum verò inson-  
tes homines corripit, ut illos probet,  
ac tentet, & ut illorum patientiam,  
& animi tolerantiam multorum  
oculis collustrandam exhibeat.  
Iudicis autem officio postremo  
fungitur, cum impietates hominum  
in pœ-

Gen. 19.  
Exod. 12.  
2. reg. 24.  
1. par. 21.

Psal 48.

Eze. 18.

in pœnam atque supplicium vocat. Cùm ergo eadem sceleris vindicta fontes, & infontes corripit, parentes ac liberos: est aliquid in ipsa castigatione, quod supplicium possit appellari, aliud etiam, quod remedium potius quàm pœna.

Gen. 12.

Eandem sanctus Patriarcha Abraham cum viris Chananæis famem, & rerum inopiam lustinebat: quæ tamen impijs hominibus acerbissima pœna erat pro peccatis, sanctissimo viro medicamentum ad fulciendam animi vitam. Deinde si à iusto homine siue parente, siue filio, vitam ipsam, atque totius vitæ vsuras omni loco ac tempore, repetere potest, non possum satis mente percipere, quare iustos cum impijs perdere non possit. Quemadmodum enim perditis hominibus mors summam iudicis potestatem, & seueritatem declararet, ita etiam & homini innocenti finis vitæ postremus non esset in pœnam deputandus. Poterit enim alioquin illi vitam eripere, vel ardenti febre, vel mordaci aliqua ægritudine. Itaque cùm Ægyptiorum, & Sodomitarum infantes, & antiquiori illo seculo exundantibus aquis lactentium, & ab vberibus matrum pendentium myriadas penè infinitas sustulisset, nemini dubium sit, quin possit vitam exigere etiam ab innocentibus ipse qui dedit. Cùm verò à pueris, quibus ad huc per ætatem peccare non licet, vitam repetit, si vt baptisate apud Christianos inauguratos, ita olim per circumcisionem ad veterem religionem admissos enecabat, lenissimò utique cruciatu ad meliorem vitam transferebat omni sensu acerbioris vacantem. Deinde si in

Exo. 12.  
Gen. 19.  
Gen. 7.

supplicium, & pœnam veteris delicti, mortem inferret, non video quam iniustitiæ notam incurrere possit diuina prouidentia. Verum quidem est quod habet Ezechiel propheta, nunquam parentes filiorum pœnas, aut filios parentum supplicia ex summi iudicis sententia sustinere: (Neque enim fontibus & infontibus eadem castigatio in pœnam deputatur,) sed cum pro peccatis parentum filios enecat, erit illis mentis afflictio, & liberorum mors intempestiua, & inopinata tanquam graue supplicium: liberis verò erit castigatio ipsa tanquam remedium maioris incommodi, vitandi videlicet grauioris peccati: aut si in pœnam illis deputeretur, non tam ad propria scelera, & peccata (vt Baldad existimat) quàm ad vetus flagitium referendum est. Decipitur ergò cùm inquit, quasi apertum sit & euidentis, [ Quia filij tui peccauerunt, dimisit eos in manu iniquitatis suæ. ] Aut, vt Hebræa habent, [ Eiecit eos, nempe de mundo, & in ea loca adduxit, quæ digna essent suis sceleribus. ] Nota, vetus testamentum obscurissima semper de statu animorum post hanc vitam loqui. Ob eamque rem semper penè desunt nomina ad rem explicandam. Satis namque habuit Deus, eo rerum statu ita & supplicia, & præmia explicuisse, vt si rectam rationem amplecterentur homines, scirent se bene habituros in seculo futuro. Ergò liberos tuos (inquit Baldad) propter eorum scelera, sua tempestate, & turbine, & totius domus ruina horrendo compressit interitu: [ tu tamen, si illorum sceleribus admonitus ] diluculo con-

Ezechiel.

Nota.

surrexeris ad Deum, ] Ac si dicas, maturè, & properatè ad virtutem feceris regressum, [ & omnipotentè fueris deprecatus, ] hoc est, crebras fuderis orationes, eieris lachrymas, suspiria, atque singultus, si munditiam animi, & rectitudinem seruaeris, ille profectò euigilabit ad te. Nā solet scriptura diuina hac eleganti metaphora varias rationes, & arcanas diuinæ prouidentiae explicare.

Psal. 43.

Dormit enim Deus, cùm rebus nostris afflictis non singularem adfert opem: uigilat, cùm necessaria præsidia adfert: dormit, cùm tentationibus nos permittit: uigilat, cùm tentationibus eripit. Nascuntur hinc voces illæ querulæ, Exurge, quare obdormis Domine, &c. [ Ergo statim euigilabit ad te. ] Et ut ostendat quorsum spectent hæ diuinæ uigiliæ, inquit, [ Peccatū reddet habitaculum iustitiæ tuæ. ] hoc est, totam tuam domum his perturbationibus eripiet, modò adsit æquitas animi, atque necessaria iustitia: adeò ut si priorem illum rerum statum, qui tibi forte uidebatur felicissimus, cum hac posteriori felicitate componere uelis, & postremo rerū successu, exiguus profectò uideatur.

Quibus uerbis duo sunt magnopere animaduertenda: primum est, Balad Sulitem uel sacris litteris uel à maioribus eruditum, sapienter & eleganter aliqua ex parte diuinum ingenium, & naturam explicauisse. Alterum est, totam penè rationē diuinæ prouidentiae premiorum uidelicet atq; suppliciorum ad bona temporalia reuocauisse. Quæ sententia totum plene orbem per id tempus impleuerat. Principio ergò uideatur significare id, quod Paul. docet ad Romanos scribens, ubi abundauit delictum, superabundauit & gratia.

Roma. 5.

Tale enim est ingenium diuinum, tam blandè ac dulciter amat homines, ut post longas inimicitias, & exitialia odia potentiùs multò, & ardentius peccatores diligit, modò accedat pietatis aliquod studium, ut uerum sit quod ait Comicus, Amantium iræ redintegratio amoris est.

Hinc Christus apud Lucam consti- Luca. 8.  
tutus duobus debitoribus, quorum alter debebat quingentos denarios, alter uerò quinquaginta, cùm soluendo nō essent, utriusque donauit summa liberalitate: is uerò qui plura debebat, & impensius diligitur, & plura ei remittit scelera, ita ut ubi abundauit delictum, superabundet & gratia. Itaque hæc diuinæ magnificentiae ratio in magnis debitoribus, & qui alieno ære premuntur, maximè declaratur, ut Baldad hoc loco significare uidetur. Magni solent apud Deum esse momenti amicitiae post inimicitias conciliatae: quod multò secùs apud homines contingere solet, qui uix aut nunquam sibi persuadere possunt, ut ex animo inimicis indulgeant. Huius diuinæ munificentiae fidelissimos testes producam, Petrum, Magdalenam, Dauidem, Paulum, & multos præterea alios. Gloriosum enim, & solenne est Dei opus, quo de hominibus bene mereri studet, dum amicos ex inimicis, ex peccatoribus iustos facit & sanctos, denique Psal. 112.  
de terra sulcat inopem, & de stercore erigit pauperem. Alterum uerò in quo (ut diximus) defecit Balad, illud est, quòd quamuis diuinā munificentiam magnificè commendat, rebus tamen perituris, & fluxis orationem applicat. Existimabat enim, & iustorum præmia, & impiorum supplicia in hac uita expectanda hominibus esse: cùm tamen con-

trariū

trarium verum sit existimandum.

**Cicero.**  
**Fab. lib. 3.**  
Et quia lenta est omnis disputa-  
tio sine exemplis, vt Cicero inquit,  
ideo, vt Fabi. ait, exemplorum vsus  
deliberantibus, & suadentibus ma-  
ximè conuenit. Semper enim vi-  
dentur respondere futura præteri-  
tis, habeturque experimentum ve-  
lur quoddam rationis testimonium:  
& exemplum repetit, refricatque  
antiquitatis memoriam. Semper  
enim ex rerum gestarum monu-  
mentis petenda est in omni huma-  
na vita institutio. Nam est histo-  
ria, vt Cicero altero de Oratore  
lib. dixit, testis temporum, lux ve-  
ritatis, vitæ memoria, magistra vi-  
tæ, nuntia vetustatis: Et frequen-  
ter inter viros sapientes hæc in-  
stituendæ atque tradendæ doctri-  
næ ratio commendatur. Inter cæ-  
tera verò rerum gestarum monu-  
menta, quæ ad pietatis cultum ho-  
minem erudire possunt, historia  
sacra principem tenet locum.

**Rom. 15.** Nam, vt Paul. ad Romanos scribit,  
Quæcunq; scripta sunt, ad no-  
stram doctrinam scripta sunt.  
Hæc autem præcipuè dicta sunt de  
sacra historia: vnde semper peten-  
da sunt exempla, & ad deterren-  
dos impios, & ad consolandos pios,  
& ad instituendas singulas huma-  
næ vitæ partes. Quæ cum probè  
teneret Baldad, Iobum excitat ad  
inuestiganda patrum exempla, di-  
cens, [ Interroga generationem  
pristinam, & diligenter inuestiga  
patrum memoriam, &c. Nam vi-  
debis profectò, verum esse quod  
dixi, Deum neque vnquam iudi-  
cium supplantauisse, sed semper  
ex iusto, & æquo iudicauisse: im-  
pios grauitè ab illo fuisse corre-  
ptos, iustos autem rerum affluen-

tia, & præterea multis firmauisse  
præsidijs. Hoc eodem argumento  
ab exemplo quæsito Petrus altera  
Canonica docet summum iudi-  
cem Deum, & impijs semper di-  
gnam factorum tribuisse merce-  
dem: iustis verò in tentatione præ-  
sidio fuisse: & vt olim puniebat  
scelera, & exempla iustitiæ profe-  
rebat in homines nefarios, & pio-  
rum res ad optimos fines, & felices  
semper perducebat, ita etiam fu-  
turum sequentibus ætatibus. Si  
enim Deus (inquit ille) angelis pec-  
cantibus non peperit, sed ruden-  
tibus inferni detractos in tartarum  
tradidit cruciandos, in iudicium  
reseruari: Et originali mundo non  
peperit, sed octauum Noë iustitiæ  
præconem custodiuit, diluuium  
mundo impiorum inducens: & ci-  
uitates Sodomorum, & Gomor-  
rhæorum in cinerem redigens e-  
uersione damnauit, exemplum co-  
rum qui impiè acturi sunt ponens:  
& iustum Loth oppressum à ne-  
fandorum iniuria, ac luxuriosa  
conuersatione eripuit, &c. Ac de-  
inde: Nouit Dominus pios de ten-  
tatione eripere, iniquos verò in  
diem iudicij reseruare cruciandos.  
Nouit enim Dominus, quando  
pios consolari debeat, quando ca-  
stigare impios. Neque enim im-  
memor est iustorum, & iniusto-  
rum, quanuis impij regnare vi-  
deantur. Ad eundem ergò mo-  
dum Baldad istorum omnium re-  
fricat memoriam dicens, [ In-  
terroga generationem pristinam,  
&c. ] Ac si apertè dicat, Non-  
ne Abraham à Domino voca-  
tus vrgentissima fame cum vi-  
ris Chananæis afficitur, & rei fru-  
mentariæ gratia in Ægyptum de-  
scendit,

scendit, ubi rapitur illius vxor? Sed istiusmodi vitæ acerbitates, & anxietudines recole obsecro, quales habuerint exitus, quàm felices. Tota domus Pharaonis propter vxoris raptum graui plaga afficitur. Abraham adeò benignè ab impio rege tractatur, vt subito atque insperatò diues euadat: dat illi oues, boues, seruos, ancillas, &c. Quo vno exemplo satis ostenditur vera esse quæ Baldad, vt assereret diuinam iustitiam præfatus est. Deinde cum incola fuisset Abraham in terra Gerar, rapitur Sara in aulam regis, quæ illius soror credita erat: sed rex oraculo admonitus, redidit viro vxorem, non tamen sine muneribus. Atque illius precibus Abimelech, totaque illius domus graui pœna, & supplicio liberatur. Vides quanta cum sapientia Baldad fuerit loquutus. Sed & causas adducit, propter quas oporteat semper mortales homines memoriam vetustatis repetere ad instituendam vitam. [Hesterni sumus (inquit) & ignoramus, quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram.] Principio inquit [hesterni sumus,] hoc est, nuper nati: quæ vna causa potissima esse videatur, propter quam multarum rerum teneamur ignoratione. Omnis enim sapientiæ atque prudentiæ pars varijs rerum experimentis colligitur. Vt enim ab ipso rerum vsu fluxere artes omnes, & scientiæ, quibus excolitur mirificè humanum ingenium: ita & omnis prudentiæ sapientiæque ratio multarum rerum vsu & experimento percipitur. Contrà verò necessarium est, in magna rerum ignoracione teneantur, qui hoc tanto ad vitam ducendam adminiculo carēt. Mortales verò hoc necessario rerum experimento, & vsu, nisi vetustatis

memoria iuuemur, indigemus semper, quòd simus hesterni, vt inquit Baldad, hoc est, recenter nati. Nam qui inter nos ad octogessimum peruenit annum, benè secum actum putat. In tam exigua ergò ætate horum prudentia atque sapientia, quæ experimentis colligitur, per quàm necessaria sit. Deinde finge, quempiam nostrum eò ætatis peruenisse, vt cum Nestore de prolixitate vitæ possit certare: certè quod reliquum ætatis est, exiguæ erit durationis. Nam est vita mortalium similis umbræ, quæ celerrimè transit, & nullam habet stabilitatem. In tanta ergò vitæ breuitate, fieri non potest, vt nos proprio ingenio, & industria multa cognoscamus. Ob eamque rem opus erit semper memoriam antiquitatis repetere, & ad maiores nostros recurrere. Sed & illud à Baldad sapienter fuit animaduersum, vt eas explicaret vtilitates, quæ à diligenti inuestigatione antiquitatis nascuntur. [Loquentur tibi (inquit) & è corde suo proferent eloquia.] Sapientia atque cognitione rerum multarum plenos antiquos patres inuenies: nullus est, qui antiquissimis rerum monumentis te non possit erudire. Lenge sacram historiam: nunc quidem te sanctus Noë alloquetur, nunc vero Loth, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, cæteri que, quorum fuit non tantum spectata virtus, sed & admirabilis sapientia, & rerum cognitio. Hi oēs de corde suo proferent eloquia, ac si dicat, ex reconditis prudentiæ atque sapientiæ opibus proferent veritatis verba: nempe docebunt, æquissimum iudicem Deum vt impios corrigere, & castigare, ita tentationibus iustorum finem imponere iam inde ab initio consueuisse.

Nunquid



**N**Unquid virere potest scirpus  
absque humore? aut crescet care-  
tum sine aqua? Cum adhuc sit in  
flore, neq; carpatur manu, ante omnes  
herbas arefcit: Sic via omnium qui  
obliuiscuntur Deum, & spes hypo-  
critæ peribit: non ei placebit vecor-  
dia sua, & sicut tela araneorum fi-  
ducia eius. Innitetur super domum  
suam, & non stabit: sulciet eam, &  
non consurget.

**Q**uoniam mortalis homo gemi-  
na est natura coagmentatus,  
altera corporea, altera spiritali, ita  
Deus Opt. Max. duplici ratione tra-  
dendæ doctrinæ, & erudiendi mor-  
tales utebatur semper: quarum alte-  
ra reuelatis, altera rebus sensibilib<sup>9</sup>  
constat. Vt enim Spiritus illapsu, &  
infusione doceatur à Deo: ita etiam  
& rebus ab eo conditis instruimur.  
Inuisibilia enim Dei (vt inquit Pau-  
lus) à creatura mundi per ea quæ  
facta sunt intellecta conspiciuntur,  
sempiterna quoq; eius virtus. Per-  
spicitur enim sempiterna illa veri-  
tas, & diuinitas, prouidentia, cæteraq;  
id genus, hac rerum vniuersitate.

Quapropter postquam ad memo-  
riam antiquitatis inuestigandâ, quæ  
sacris est monumentis comprehesa,  
Baldad remisserat sanctum Iobum,  
secundo loco ab ipsa rerum natura  
lium contemplatione, & à rebus na-  
tura conditis adductis exemplis v-  
tramq; propositi negotij de iustis,  
& iniustis hominibus probat partē.  
Proponit itaque scirpi siue iunci, &  
caricis naturam, & ingeniū ad ex-  
plicandos mores, & consuetudines,  
& infelices euentus, & casus impio-  
rum, & hypocritarum, & eorum  
denique qui Deum habent infestū,

& inimicum. Deinde ad explicandos  
etiam iusti hominis successus alterū  
prope finē totius capituli proposuit  
exemplum de trāplantata arbore.  
Sunt, qui arbitrantur (vt Origenes  
super hunc locum) exemplum hoc  
à Baldad adductum, ad diuinā esse  
prouidentiam referendum, in hunc  
modum argumentum sumendo à  
minori. Si ex res, quæ exiguæ ac  
nullius penē precij esse videntur, vt  
iuncus & carex, siue aquatilis canna  
diuina prouidentia de terra crum-  
punt, & seruantur: quid de rebus hu-  
manis iudicandum est? Nam si ille  
pluuias non largiatur, aut abditissi-  
mis terræ visceribus aquas nō creet,  
nec nascūtur herbæ, nec fructus ma-  
turefcunt, (& vt ad exemplum pro-  
positum orationem conuertamus,) nec  
iūcus virorem induet, aut carex  
incrementa suscipiet. Quòd si his re-  
bus minimis congrua secundum na-  
turæ rationem alimenta ministrat,  
atque fomenta: quid de homine rer-  
um omnium principe statuendum?  
Vera quidem sunt quæ adducuntur  
ab Origene, illustrari videlicet, &  
commendari his exemplis diuinam  
prouidentiam circa pios & impios:  
sed eruendi sunt, & inuestigandi ar-  
cani sensus, & adducta iunci, & cari-  
cis similitudo magna animi conten-  
tione explicanda. Solet Scriptura  
sacra varijs herbarum, arbustorum,  
& arborum similitudinibus piorum  
atque impiorum mores, & ingenia  
exprimere. Ob eamq; rem nunc iu-  
stos palmæ, cedro, pomis, &c. impios  
verò arboribus, & herbis infrugife-  
ris, vt quercubus, ilicibus, nonnun-  
quam etiam pungentibus spinis as-  
similare consuevit, ad explicandam  
non solum eorum atrocitatem, qui  
alienis semper incommodis pascun-  
tur, sed & ignauia & inutiles mores:

L 5 sunt

Roma. 1.

sunt etenim veluti iners pondus terræ. Ad quem modum Baldad impios homines iunco, & carici assimilat. Primò, quòd solo se virore commendent hæ plantulæ, cum nulus penè earum sit vsus, aut utilitas. Sic homines impij, & hypocritæ externo tantùm cæremoniarum, & operum cultu ornati ad omnia pietatis officia inutiles sunt prorsùm, atque inualidi. Secundò istiusmodi herbæ externo tantùm virore commendari possunt, vt impij & hypocritæ externas tantùm laudes ab hominibus quærunt. Et vt iuncus, & carex omni destituuntur fructu, ita etiam & impij & hypocritæ, &c. Tertio, egent iuncus & carex magna aquarum, & humiditatis redundantiæ: nãq; sine his nec nasci possunt, nec sustentari, (vt inquit Baldad.) Sic etiam & externus hypocritarum viror bonorum operum, & exterior illa pietatis imago, quæ visceribus minimè hæret, magna diuinorum beneficiorum copia, hoc est, diuitiarum & opum, honoris ac celebritatis proprij nominis fulcienda est. Huc enim spectant impiorum, & hypocritarum consilia, studia, cogitatus, vt utilitatis aliquid eis semper accrescat. Hac verò humoris ratione deficiente, euanescit subito externus ille viror. Hæc verò humoris redundantiæ, qua impij & hypocritæ in hac vita virent, & florent, à Deo subministratur occulto quodam, & nobis penitus incognito prouidentie consilio. Docet hoc eleganter August. Deo referendum esse acceptum, quòd Romani in totum orbem obtinuisent imperium, quòd tanta rerum, & diuitiarum copia abundarent. Nam de impijs, & hypocritis, nefarijsque hominibus dictum est, qui

boni aliquid facere videntur, vt glorificentur ab hominibus, Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Math. 6. Illud præterea iuncus habet, & carex, quòd vix manu carpi possunt. Armantur enim in sumitate acutissimis vnguibus, quibus pungunt interdum, & lacerant manus. Tale est impiorum ingenium, qui alienis semper incommodis student, & alieno semper viuunt cruore, inhumani, intractabiles, &c. Suo ergò instituto adductum exemplum Baldad accommodans inquit, Iuncus ergò, atque carex cum maximè videtur virere, atque florescere, atque extra omne periculum positi, arcescunt, & pereunt. Hoc enim significare voluit, cum dixit, [Cum adhuc in flore sit, nec carpatur manu, ante omnes herbas arcescit.] Gemina enim ex causa arcescere possit iuncus, aut carex, aut necessaria hæmestationis defectu, aut externa aliqua violentia. Vtrumque ergò excludit Baldad. Neq; enim eget humore iuncus, aut carex cum virescunt, & florent, nec violentia aliqua eas attingit, cum non carpuntur humana manu: his tamè procul remotis, ante reliquas herbas arcescunt, quemadmodum experimentum docet. [Sic sunt viæ,] hoc est, rerum status, consilia, cogitatus, studiaq; hypocritarum, atq; eorum omnium qui obliuiscuntur Deum. Nam cum maxime florere videtur, diuitijsq;, & opibus valent, tunc, diuina prouidentia ita ferente, subito exarescunt, & tota illorum euanescit felicitas. Deinde verò pergit explicare hypocritarum, & impiorum naturam dicens, [Non ei placebit vecordia sua, & sicut tela araneorum fiducia eius: innitetur super domum suam, & non consurget.] Sunt qui arbitren-

Lib. 5. de  
ciui.

arbitrentur, id quod dicitur, [ Non ei placebit vecordia sua, ] Deo tribuendum esse, cui stultitia hypocritarum minimè probatur: Sunt qui velint de hypocritis dictum. Hypocritæ postremis temporibus nō placebit vecordia sua, accedente videlicet diuina castigatione, aut ex èplo aliquo diuinæ iustitiæ, accedente prætereà morte, & interitu. Iurè enim vecors, & stultus appellatur hypocrita, qui res longè preciosissimas, vt pietatis opera pro rebus vilissimis commutauit, & vendidit. Nam eis actionibus, quibus potuisset cœmere felicitatem æternam, humanos fauores, & populares auras, & veterularum plausus captare præeligit. Secundo, stultus est, & excors, qui Deum negligens natura sufficientissimum, rebus caducis, & fluxis animum applicat, quæ humanam mentem implere non possunt: in his congerendis ac cumulandis impij, & hypocritæ totam vitam infumunt, quæ tamen nolentes, siue inuiti relinquunt. Ad amplificandam verò orationem, & exaggerandam vecordiam impij hominis, ac hypocritæ, & irridendam illius spem, fiduciam, ad irridendas expectationes, alteram de telis araneorum adducit similitudinem appositissimam. [ Sicut tela (inquit) araneorum fiducia eius. ] Principio, nemo ignorat, quanta discretione araneus suam telam conficiat, quàm subtiliter tenuissima fila contexit, quæ aciem oculorum effugiunt. Quæ omnia, mirum est, quæ explicent eleganter studia hypocritarum, & consilia, & deniq; telas, siue technas, quas per totam vitam ordiuntur. Prudenter, quidem: plurimum enim habent hæc omnia humanæ sapientiæ: sic hypocritæ affectant imperium, honores ambiunt,

amplificant censum, aspirant ad dignitates. Sed vt leuis quicunq; flatus aranei telas dissipat, sic & hypocritarū studia flante fortuna runnt, & labefactantur. Secundo, textit araneus inutiles telas incredibili labore, atque proprij corporis euisceratione ad irretienda infirmiora animalcula: subitò tamen dissipantur ab eo qui domum verrit, & araneus ipse interdum cum telis inuoluitur, deijcitur, proculcatur. Quæ si hypocritis velis accommodare, & impijs hominibus, attende quid Pharaoni, quid Sauli, quid Iudæorum populo in Christum sæuienti proficere technæ, cōsilia subtiliter adeò excogitata. Lege historiam sacram: videbis impios suis telis conuolutos, & implicatos in necem, & interitū traditos. Concludit tandem, vt è èplo adducto supremam manum imponat. [ Inniterur super domum suam, & non stabit: fulciet eam, & non cōsurget. ] Suam fiduciam collocabit hypocrita in amicis, cognatis, longa diuitiarum supellectile more Aranei: sed domus ipsa (nam hæc omnia domum appellat) non stabit, citò corruet, stultumque hypocritam destruet. [ Fulciet eandem domum, & non cōsurget. ] hoc est, cogitabit dum viuit, incredibili studio, varijs artibus promouere, atque amplificare suas fortunas, congerere opes, amicos lucrari, cæteraque id genus: sed stultus erit & inanis hic labor, (vt de araneo diximus) sed nihil stabile aut firmum efficere poterit: subitò enim omni gloria, ac decore expoliabitur. Docet his omnibus Baldad, Iobum hypocritam fuisse, seipsum, carectum: ob eamq; rem illius felicitatem non fuisse diurnam. Domus non tantum est mansionis locus, sed & status simul, & familia

in pri-

in primis, liberi, & nepotes, & dignitas patrisfamilias domum inhabitantis. Sic in Exod. de obstetricibus, Dedit illis, aut ædificauit illis domos, hoc est, dedit maritos, filios, &c. Vt non cogites ibi aliam structuram. Et Rachel alibi dicit ad Iacob, vt sibi domum ædificet ex ancilla. Interdum capitur pro habitatione ipsa, & pro tota familia domus, vt in Exodo, Decima die mensis huius accipiat vnusquisque pecudem per domos & familias. Et, Singuli cum domibus suis. Interdum pro regno. Vt de rege Hebræorum dixit Deus, Ædificabo ei domum si delem. Aliquando species est ædiũ, & ornamenta structuræ. Ex quibus facile colligi potest, quid appellatione domus intelligat Baldad.

*H*umectus videtur antequam veniat sol, & in ortu suo germen eius egredietur. Super æceruum petrarum radices eius densabuntur, & inter lapides commorabitur. Si absorberit eum de loco suo, negabit eum, & dicit, Non noui te. Hæc est enim latitia via eius, vt rursum de terra alij germinentur. Deus nõ proijciat simplicem, nec porriget manum malignis, donec impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo. Qui oderunt te, induentur confusione: & tabernaculum impiorum nõ subsistet.

*V*aria est huius loci interpretatio, longèq; diuersa, & habet locus difficultatis plurimum propter varias, quæ ex Hebræo textu nascuntur obscuritates, ac proinde varias interpretandi rationes. Nos dabimus operam, vt primò iuxta vulgatam editionem genuinos sensus inuesti-

gemus: recurremus deinde ad Hebræos fontes, vt quid Hebræa veritas habeat, explicemus. Ergò vulgata æditio, quæ huius capituli sunt reliqua, ad impios & hypocritas referre videtur: ita vt Baldad nullam denuò incipiat tractare metaphorã, sed semel assumptam prosequatur. Videtur itaque accommodare quæ paulò antea de inani fiducia improbi hominis dixerat, ad iuncum siue scirpum. Duabus enim ex causis de iunco haberi fiducia potest: primò de propria illius virtute, atque genuina, quæ tamen ex oriente sole, absumpto terræ humore, citò deficit. Ob eamque rem inquit, [Humectus quidem videtur, antequam veniat sol, & in ortu suo germen eius egredietur.] Crescere enim ac proprium fructum facere videtur. Reliquæ herbæ prius e terra erumpunt, aura tanguntur, & æstibus, nutriuntur pluuijs, atque ita demum germen sui seminis proferunt: scirpus verò inter herbas cum flore & semine nascitur. Nam sancti & iusti homines, cum circa virtutis cultũ, & pietatis studium crescere incipiunt, æstu tanguntur, & supernè deiectis pluuijs diuinæ gratiæ sensim crescunt, paulatimque in virtute magnos faciunt profectus. Hypocritæ verò atque impij mox inter ipsa virtutum initia humanas laudes studiose captant: quasi dicas, germen aut præmium illud, quod postremò expectandum est in virtute. Itaque animo nondum per humiditatem confirmato, (quemadmodum nouæ plantæ solent) ad solis aspectum arcescunt facile, vt nouus murus leuiter cadit militari pulsatus ariete. Itaque præmium virtutis hic quærere, est cum gerimine nasci. Nam sancti nullam hinc expectant mercedem virtutis.

Vt

Vt ergo hypocrita deficit in internis bonis, ita & in externis. Nam frequenter sibi nihil tale expectanti eripiuntur fortunæ. [Videtur enim humectus antequam veniat sol,] hoc est, in principio ortus, & antequam ad iustam perveniat staturam, antequam tempus iniquitatis impleatur, pulchre & in suo vigore crescere, & adulescere videtur, nihil suspicans adversi, quousque tandem ad cumulum, & supra mensuram erumpente malitia cum desuper divina vindicta conficiat. Secundò, possit aliqua de iunco haberi fiducia ex adiunctis sibi, vel multitudine scirporum sibi adherentium, vel loci soliditate, in quo crescit, dum nascitur, præsertim si locus saxosus sit: Atque de ea re dicit, [Super aceruum petrarum radices eius, &c.] ut multitudinem scirporum & radicum intelligas, tum petrosa loca. Hypocrita itaque que omnis aut de se ipso fiduciam habere potest, aut omnem collocare spem in amicis, consanguineis, domesticis, regni potentia, aut civitatis optima gubernatione. Sed hæc omnis illius fiducia facile deficit, & inter oculos mirantium, atque plaudentium evanescit subito, ut de iunco diximus. Aut si inanis, [Super acerum petrarum radices eius defabuntur, & inter lapides commorabitur.] ac si dicat, Cum incipit iuncus terram petrosam attingere, sterile, & humoris expertem: iam non ultra radices profundius mittere valet: Ob eamque rem radices ita deficiunt, involuuntur, & implicantur, ut nequeat iuncus pulchre incepto augmento, & virore procedere: Vnde quasi conclusus atque constrictus inter lapides manet ipse, & omnis eius pulchritudo & incrementum. Sic hypocrita, cum sterili atque pe-

troso loco, proprio videlicet amore fiduciam omnem, & expectationem plantaerit, humore deficiente, illius fiducia diuturna esse non potest. Verè etenim quem Deus projicit à se, nullus locus capere potest. [Si absorberit eum de loco suo, negabit eum, & dices, Non novi te. Hæc est lætitia viæ eius, ut rursus alij de terra germinentur.] Perstat in metaphora semel assumpta. Scirpus non tantum ex his quæ diximus fiduciam aliquam atque sui expectationem habere potest, sed ex alio etiam: nempe ex germinatis iuncis, quasi dicas ex sobole, aut prosperitate. Quævis enim ex oriente sole exarescat iuncus iuxta individuum: integra tamen semper servatur species: namque alijs alij succedunt. Sic etiam & hypocritæ solent spe atque fiducia dilatandæ posteritatis, & sobolis sustentari, tamen si ipsi per mortem absorbeantur. Hoc igitur est quod inquit, [Hæc est lætitia viæ eius, ut rursus de terra alij germinentur,] si mors illum absorberit. Ita ut vix iam illius locus agnoscat, sed funditus intereat illius viror. Hanc tamen semper habet animi expectationem, quod liberos relinquit, qui in hereditatem possint succedere. Quod dicitur, [Negabit eum, & dices, Non novi te,] quidam ad locum referunt ubi nascuntur scirpi: ut sit sensus: Ad eum non agnoscat eum locus in quo prius steterat, ut neque vestigium aliquod retineat. Et quod sequitur, [Hæc est enim lætitia viæ eius, ut rursus de terra alij germinentur,] ita erit accipiendum, ut sensus sit: Hunc ludum gaudet ludere terra, ut quod heri natum est, hodie exarescat, & illius loco exoriantur alteriterumque ubi hoc cras exaruerit, aliud in illius locum succrescat. Sic terra gaudet

gaudet quotânis vniuersum ornatû mutare, quemadmodû homines noua sæpius induere vestimenta. Similem etiam ludû sol gaudet ludere. Nam quod heri suo calore de terra fecit surgere, hodie suo ardore absorbit. Ad hunc modum & super hypocritam res habet, super quem ita ardor diuini iudicij irruere solet, vt tam ipse, quam vniuersa illius posteritas prorsûm exterminetur, atque deficiat, ita vt nullum illius maneat vestigium. Absorberi de loco, & negari, idem est, atque vniuersam sobolem penitus conuelli. Vnde & hypocritæ eripitur etiam hoc gaudij, quod ex illo non germinabatur alij. Hæc dicta sunt à nobis iuxta interpretationem vulgatam. Hebræa veritas longè secus videtur habere. [ Quasi arbor virens est in conspectu solis, & in horto suo surculus eius progreditur, iuxta fontem radices eius sese intricant, vsq; ad domum lapideam complicata pertingent. ] Duo in superioribus Baldad proposuit explicanda. Alterum erat impios & hypocritas, instar iunci, aut vilissimæ herbæ post ingentem felicitatem à Deo corripiti. Alterum erat, Deum ex animo semper pijs hominibus fauere, omnia quæ illis contingere læta, & felicia, & inter ipsas diuinas castigationes vires colligere. Adducta ergò metaphora iunci, & carecti, priorem propositionis partem explicauit, vt vidimus. Nunc verò altera proposita metaphora arboris in se succum continentis, optime plantatæ, felicitatem piorum hominum, & diuinam erga illos curam, & prospectiõnem explicat. Inquit ergò, iustus est quasi arbor virens in conspectu solis, hoc est, habet instar arboris virentis, quæ nullo solis ar-

dore, nullo æstu tamen grauiter sæuiente, aut folia, aut fructus, aut externum virorem amittere potest: quin potius cum cæteris arboribus est infestissimus. Sol calore omnia absument, atque deuorante, hæc arbor, iustus videlicet, in horto suo, hoc est, quò loco plantata est, surculos producit, & stolones, (cercado de pimpollos por todas partes) vt Hispanè dicitur. Expandit denique suas propagineis super horto, in quo plantata est: [ & iuxta fontem radices eius sese intricant. ] Ac si dicat, nunquam necessario destituetur humore. Nam quæ arbores plantantur in locis humectis, vbi nulla est perennis venæ aqua, sæuiente solis calore facile arescunt: iustus verò radices mittit iuxta aquarû fontes iugiter emanâtes, vbi necessarius humor deficere nunquam poterit. Sic de homine iusto Regius propheta <sup>psal. 17.</sup> aiebat, Erit sicut arbor plantata secus <sup>Jerem. 17.</sup> decursus aquarû. Et Sapiens dixit, Ad humorem mittit radices suas, & non timebit cû venerit æstus. Quod autè sequitur, [ Et ad domum lapideam complicandâ pertinget, ] pertinet ad explicandam sanctorum solidam felicitatem, quæ nunquam potest non feliciter habere. Est enim sensus: Primò, ad domum lapideam complicatam pertinget: vt instar arboris, quæ altioribus est radicibus subnixa, circumquaque radices mittat: ita vt vsque ad fundamenta ædium durissimis faxis structa sese diffundat. Aut alio modo si velis, Complicantur radices eius ad domos lapidum, id est, sicut domus lapidum, aut instar rupis magnæ. Sic enim Hebræi rupes magnas appellare solêt proprietate linguæ. Ergò instar rupis magnæ radices eius complicantur. Pertinent hæc omnia

omnia ad explicandam piorum hominum in hac vita felicitatem. Quæ quanuis inter opes atq; diuitias veretur, quanuis externis rebus, & perituris abundet, semper tamen illorum animi ad æternas aquas, & perennes fontes radices mittunt: Vt de Abrahâ legimus, de Isaac, Iacob, & Ioseph, &c. Sed solent agricolæ arbores ipsas de loco in locum transferre: nam hic transitus arbores syluestres mirum in modum mitigare solet. Vt enim hominum natura nouitatis ac peregrinationis, ita & natura arborum istarum rerum auida est: siue quia discedendo, noxius humor, & quasi virus relinquitur, siue quia vt feræ, mansuescunt tractatu, dum radicibus auellantur plantæ. Est ergo inter arbores ipsas magnû discrimen. Nam aliæ sunt quæ transferri gaudent, aliæ verò quæ minime. Iustos ergo viros eis arboribus assimilât Baldad, quæ hac migratione gaudent, & proficiunt. Si quispiâ (inquit) abstulerit arborem de loco tuo, negaueritq; dicens, Non noui te, hoc est, ita transferat de loco in quo nata erat, vt nullû sui relinquat vestigium, ita vt vel locus dicat, Nô noui te, Vel arbor de loco ipso, Nûquam te vidi: [hoc (inquit) est gaudium viæ eius.] Nam de puluere, aut de terra aliæ proueniunt arbores. Gaudebit itaq; iustus, cum viderit se in hunc modum tractari: & transplantatus novos producet surculos, & omnia deniq; illi cedent in bonum. Exemplis possit res aperiri, & quid velit Baldad facillimè explicari. Geminam statuamus felicitatis rationem, quarum altera, rebus externis, nempe diuitijs, atque opibus, integra salute, regno & imperio, altera verò internis bonis, & spiritualibus cõstet, vt pietatis cultu,

& studio honesti. Ergo legimus, cœlestem agricolam has electas arbores priori loco, hoc est, priori felicitate plantauisse: (Plerosque enim diuitijs, & opibus vsq; ad miraculû abundare fecit, vt sanctum Iobum, vt Tobiam, cæterosque præclaros viros.) Veruntamen ab hac felicitatis parte, quasi à naturali solo auulsi, cum illis eripuit fortunas, atque genus omne sustentationis, quibus animum recreare possent, alioq; in loco plantauit, nempe inter acerbitates, angustias, atque dolores, eaq; ratione de loco in locum transtulit, vt verè de illis dici possit quod inquit Baldad, [Non noui te.] Nam in eas inciderunt calamitates, ac si nunquam gustum aliquem humanæ felicitatis accepissent. Gaudebant verò electæ arbores in hunc modum à cœlesti agricola tractari, & æquo animo ferebant. Sciebant enim, nō posse illis non cedere in bonû istiusmodi migrationem, siue transplantationem. Probè tenebât ingenium agricolæ, qui vtilitatibus arborum, & commoditatibus semper studet. Sciebât, quoniam diligentibus Deû omnia cooperâtur in bonum. Quoties legimus non tantum de Apollolis, qui à conspectu concilij ibât gaudentes, quod pro nomine Iesu contumelia afficerentur, verum etiam de virginibus, & fœminis teneriori constitutis ætate, quæ à diuitijs, & opibus, à blandiori, & delicatiori vita, tanquam arbores auulsæ inter cruciatus, & tormeta, & innumeras vitæ acerbitates transferebâtur: quæ tamen gaudebant semper in hunc modum à Deo tractari, sciêtes quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum? Quæcunq; enim ex aduersitate, indicibilis quædam prosperitas has arbores sequitur.

Roma. 8.  
A& 5.

tur. De his arboribus Ezechiel multa vaticinatur, quæ longum esset recensere. Concludit autem Eliphaz, & breui peroratione repetit quæ dixerat. Deus ergo, ò Iob, [nunquã proijciat simplicem, siue iustum,] quannuis propter eius peccata, vel probationis gratia illum castiget, [nec porriget manum malignis.] hoc est, non perpetuò illis præbebit omnia auxilia, quannuis ad tempus in hominum sceleribus conniueat. [Quin potiùs si iustus fueris, implebit os tuum risu,] hoc est. Læta omnia atque felicia omnia succedēt: inimici tui afficientur confusione & pudore, cum te viderint ereptum tantis malis, tabernaculum verò impiorum minimè subsistet.

### CAPUT NONVM.

**R**espondens Iob ait, Vere scio quòd ita sit, & quòd non iustificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere vnum pro mille. Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei, & pacem habuit? Qui transtulit montes, & nescierunt hi quos subuertit in furore suo. Qui commouet terrā de loco suo, & columna eius concutiuntur. Qui precipit Soli, & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo. Qui extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris. Qui facit Arcturum, & Orionem, & Hyadas, & interiora Austri. Qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorū non est numerus.

*Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam. Si repente interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest, Cur ita facis? Domus cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur qui portant orbem.*



**Q**UOD EST

boni oratoris munus, ea scilicet repetere, quæ proposuit aduersarius, vt argumenta quæ suæ pro-  
prie causæ aduersantur, possit diluere, & sapiēter & artificiosè facit sanctus Iob. Dixerat Baldad Subites, Deum nō supplantare iudiciū, nec peruertere id quòd iustum est. Quibus commemoratis responderet S. Iob, [ Vere scio, & ita est, &c. ] Scio, neminem inter mortales tanta esse iustitia, vt cum Deo possit comparari, aut in iudicio cum illo contendere: aded peruertere Deus iudiciū nō potest, vt nemo mortaliū ad iudicium illum prouocare possit. [ Neque enim iustificabitur homo Deo comparatus: nec si voluerit cum eo contendere, poterit respondere vnum pro mille. ] Hebraismus est vnum pro mille, ac si dixeris, vnum ex millibus. Sunt autem millia, aut millenarius numerus in scripturis, maxima quæq; multitudo. Vnde & Numeri capite primo, vbi nostra versio habet, Hi nobilissimi principes multitudinis per tribus, & cognationes suas, & capita exercitus Israël, Hebræa habent, Hi magni nominis erant in cætu, primores tribuum patrum suorum, capita (nempe tribuum) millium in Israël: id est, duces sūt populi Israëlitici qui constat multis millibus. Vnde & mille anni

Num. 15

apud



Apocaly. apud Ioannem est omne tempus à  
20.b. reuelato Christo vsque ad seculi cō-  
summationem. Vnde & de millibus  
Israël sumitur pro tota multi-  
tudine. Inquit ergò, Nemo est qui  
cum Deo litigare possit, aut de pro-  
pria iustitia, innocentiaque con-  
tendere: neque si ad iudicium pro-  
uocauerit, vnum ex mille responde-  
re poterit: hoc est, vnū ex omnibus,  
aut ex multis. Nihil habebit quod  
respondeat, sed sua potius causa ca-  
det omnino. Multa D. Gregor. est  
Greg. li. 9. peculiari ratione super hunc locum  
mora. c. 1. cōplexus, ad deprimenda humana  
merita, & retundendos conatus eo-  
rum, qui de propria iustitia confi-  
duat, quæ Germanis videantur fa-  
uere mirum in modum. Inquit e-  
nim, Quia omne virtutis nostræ me-  
ritum esse vitium conspicitur, si ab  
interno arbitro districtè iudicetur,  
rectè subiungit, [Si voluerit contē-  
dere cum eo, non poterit ei respon-  
dere vnum pro mille.] Hinc Lu-  
therus perniciosam illam ac pesti-  
lentem firmabat sententiam, iustum  
videlicet singulis in actionibus pec-  
care. Decipitur tamen, non satis in-  
telligens quorsum spectet D. Gre-  
gorij oratio. Nam quæ magnus  
Gregorius per comparisonem dixit,  
Lutherus existimat absolute di-  
cta. Et primò eam diuus Gregorius  
dicit, [omne meritum vel omnis iu-  
sticia,] non pro singulis meritis aut  
operibus iustitiæ, sed pro vniuerso  
vitæ tenore accipiendum est. Nul-  
lus enim aded iustus est, vt si totam  
illius vitæ rationem animo com-  
plectaris, non aliqua parte à diui-  
nis legibus discordet, & à virtute  
aliquando & officio declinet. Gre-  
gorius itaque cum diuinam iusti-  
tiam, & humanam inter se confert,  
vtramque ad comparisonem ad-

ducit iuxta propriam naturam.  
Hominis enim iustitia Deo compa-  
rata, iustitia humana est, quæ sine  
dubio sine peccato esse non potest.  
Nec tamen hoc argumentum ali-  
quid habet consequentiæ: Socrates  
cōparatione Sempronij malus est,  
Est igitur malus Socrates: Vt non  
sequitur, Sodoma cōparatione  
Solymorum iustificata est: igitur  
iustificata est. Vnde Hieronymus  
aduersus Pelagianos: Quid mirum  
si in collatione sanctorum alij sint  
maiores, alij inferiores, cum è con-  
trario in collatione sceleratorū hoc  
etiam intelligi possit? Iustificatur  
ergò Sodoma Solymorum ciuitati  
collata, quæ multis erat confossa  
peccatorum vulneribus: non quòd  
Sodoma per se iusta sit, quæ in æter-  
nos fuit collapsa cineres, sed quòd  
ad ciuitatem sceleratiorem com-  
parata iusta videbatur. Vt ergò  
humana sapientia (quemadmodum  
habet Gregorius) stulta est, si ad di-  
uinam sapientiam referatur, sic &  
de iustitia existimandum est. San-  
ctus Patriarcha Abraham pulue-  
rem & cinerem se existimabat.  
Sapientissimus Moses mutum se,  
& eloquentiæ rudem aiebat. Ie-  
remias se puerum, ac nescientem  
loqui fatebatur. Et Isai, se virum  
labijs pollutum esse confessus est.  
¶ Idem sanctus Gregorius satis de-  
clarat commentarijs in hunc lo-  
cum, quo pacto sint accipienda  
illius verba, cum omne meritum  
virtutis humanæ vitium esse dixit,  
si ab interno arbitro iudicetur.  
Subiecit enim referens verba Iob,  
[Si voluerit, contendere cum eo,  
non poterit respondere vnum  
pro mille.] Cum Deo contē-  
dere, est non Deo tribuere, sed  
sibi gloriam suæ virtutis arrogare.

Matth. 11.

Hierony.  
lib. 1. con-  
tra Pela-  
gianos.D. Grego.  
super ca.  
20. huius  
lib.Gen. 18.  
Exod. 4.  
Ierem. 1.

Isa. 6.

Greg. li. 9.  
cap. 1.

M Quibus

Quibus aperte docet Gregor. tunc merita virtutis humanæ vitia esse, cum Deus nos superbientes videt, & quasi proprijs operibus, & iustitia tumentes. Vnū nanq; pro mille (iugit) respondere nō possumus: quia cum de bonæ vitæ perfectione extollimur, hanc nos nec iachoasse mostramus. Aduertendum igitur semper est, ne fortasse ea quæ sacri doctores comparatiue dixerunt de humana iustitia atq; diuina, nos assertiue, & sine comparatione intelligamus: nam incidemus alioqui in errores intolerabiles. Vt si, quia Greg. dixit hanc vitam æternæ felicitati comparatam, mortem esse dicendam potius quàm vitam, velis inferre, hanc vitam mortem quidem esse, insipienter & stultè colligas. Aut si ex his quæ Antonius dixit teste Hieronymo virtute Pauli heremitæ prospecta, Væ mihi quia falsum monachi nomen circumfero, inferre velis, Antonium falsò monachum fuisse. Sic ergò de diuina & humana iustitia inter se collatis, sancti Iob verba accipienda sunt. Vt ergò omnem mortalibus eripiat confidentiam sese extollendi, & iactandi propriam iustitiam, & contendendi cum Deo, sapienter subiecit, [Sapiens corde est, & fortis robore.] Duplex est enim pugnandi ratio, quarum altera ratione, & sapientia, altera verò viribus perficitur: & vtroque pugnandi genere magnam de nobis expectationem concipimus, cum aut aduersarium sapientia inferiorem, aut corporis viribus infirmiore iudicamus. Contra verò si quem ad certamen prouocamus, quem aut robore aut sapientia præstantiorem arbitramur, nos ipsos comprimimus, & stultis conatibus opponimus. Vtranque ergo partem præstantiæ,

atq; excellentiæ, S. Iob Deo tribuit, vt reuocet mortales ab stulta confidentia, & perniciofa contendendi cum Deo. [Sapiens (inquit) corde est, & fortis robore.] Quis, inquit, eū eo audeat contendere, cuius sapientia incomprehensibilis est? Cuius vires incredibiles? & insuperabile robur? Et vt ostendat quæ sit optima ratio, & tutissimà via obtinendi pacem, & componendi bella cum Deo, inquit, [Quis vnquam restitit ei, & pacem habuit?] Ac si dicat, nullus. Alia est enim ratio & longè diuersa consequendæ pacis ab aduersario longè potentissimo, alia verò est ratio adsequendæ pacis ab aduersario, cuius sunt exiguæ vires, exiguaque sapientia. Nam ab hoste & inimico qui & sapientia & viribus inferior est, pugnando pacem acquirimus: ab aduersario verò longe potenti, obnixè petendo, fundendo preces, atque per omnia illius nos voluntati accommodando. Ergò qui cupit pacem cum Deo habere, & amicitias cum illo componere: non resistendo, nō pugnando, sed per omnia se ipsum illius imperio committendo, externam atque internam pacem, & animi tranquillitatem consequetur. Amplificat deinde totam orationem, & eleganter docet, quanta sit Dei potentia, quantaque sapientia. Id verò (vt summi philosophi suis temporibus fecerunt, & sancti prophetæ ad erudiendum populum Israëliticum) ab ipso mundi opificio, & totius orbis gubernatione colligit: quæ partim sacris sunt litteris excepta, partim verò primis illis temporibus & priscorum seculo fuisse absoluta. Ad commendandam ergò diuinam fortitudinem inquit, [Qui transtulit montes, & nescierunt ij, quos subuertit in furore suo.]

Chaldaeus

Antonius  
apud D.  
Hierony.

Chaldæus interpres locum explicat de potentibus, & fortissimis viris, qui & robore, & opibus atque diuitijs cæteris excellere, quos frequenter Deus Opt. Max. in furore suo subuertit: vt de principibus, qui ad filias Dei ingrediebantur, de Né-  
 Gen. 6. roth, & Pharaone: Quos Deus sub-  
 Exod. 14. rō, illis minimè cogitantibus, subuertit atque prostrauit. Hoc genus interpretamenti non omnino mihi videtur improbable: Sed quoniam in sequentibus diuinam potentiam atque sapientiã exaggerat ab his quæ tota hac rerum vniuersitate frequenter accidunt naturæ legibus minimè solutis, potiùs mihi videtur referendum ad ea terræ miracula, quæ vetustissimis sunt comprehensa rerum monumentis. Legimus enim, montes aliquando inter se cõcurrif se crepitu maximo assultantes, recedentesq; atq; inter eos flamma, fumoq; in cœlum exeunte: Quorū concursu villæ omnes elisæ sunt, animalia permulta (quæ intrâ fuerant) exanimata. Et anno Neronis principis supremo legimus, quædam prædia in contrarias vias fuisse transgressa. Quas montium ac terræ mutationes nesciebant ij, quos Deus subuertebat in furore suo. Et si velis credere, aut aliquando Osfam Olympo cohæsisse, deinde terrarum motu recessisse, & Ictisam vnius montis magnitudinem in duas partes, tùm efluxisse Peneum, qui paludes, quibus laborabat Thesalia, siccauit abductis in se, quæ sine exitu stagnauerant aquis. Legimus præterea, cùm Chalcis tremuit, stetit Thebas: cum laborauit Ægæū propinquas illi Patras de motu nihil audisse. Hoc est ergò quod sanctus Iob inquit, Credendū est enim, ab orbe condito magnas terræ par-

tes suis locis diuisas in alia se contulisse loca non sine graui periculo circumiacentium regionum. Primò, sumit argumentum ad exaggerandam diuinam potentiam ab ijs, quæ maiorem videntur tota natura habere stabilitatem, vt sunt montes, & loca surrecta. Multis enim carminibus à sancto Dauide montium celebratur stabilitas. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion. Hoc miraculi genus, tanquam magis tota natura spectadū, fidei promissum legitur apud Marth. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis mōtib; transi hinc illuc, & trāsibit, &c. Et Paul. si habuero fidem, ita vt mōtes transferam, &c. Qui subuertit montes in furore suo. Frequens est in sacris litteris, ad explicandam diuinam prouidentiam, Deo tribuere furorem, non vt Stoici, quorum saxea dogmata, neq; sapientem hominem, neq; Deum irasci posse affirmabant. Irascitur ergò Deus nostris sceleribus, sed non accensione sanguinis, non commotione animi: singulas enim seueritatis actiones posuit efficere rectè sedata mēs, atq; placida, quas ab irata postulares. Cùm ergò quēpiam rapit ad supplicium, facit hoc nō iratus, nec perturbatus, sed eodē habitu, vultu, & māsuetudine, qua cœlū tēpestatesq; serenat. Sed quia ira nobis domestica est, & ad cõtumelias, & iniurias violentia quadam rapit animos, nec sine ira vindictam inferre solemus: quoties Deum pœnas inferre videmus, non sine magno furore fieri putamus. Furor ergò & indignatio in Deo, vt ex paruis magna intelligas, talis est, quales sapienti à summis philosophis tribuitur: qui magna animi tranquillitate, alacritate, & cõtãtia de scelerato homine pœnas sumit.

Seneca  
 Lucan li.  
 1. Virgi. 1.  
 Georgi.  
 Strabo li.  
 7. c. 8. Pli.  
 lib. 4. c. 8.

† Alii  
 Ægina  
 legunt, sed  
 malè.

Cum ergo furor, & indignatio Deo tribuitur in arcanis litteris, egregium intelligimus testimonium diuinæ prouidentiae: ne iuxta quorundam stultitiam mortales crederent, Deum agere oscitanter, semperque in otio esse, nec cuiquam facessere negotium. Nam quanuis lento gradu ad vindictam procedat, suo tamen tempore tarditatem grauitate compensat. Stoici & Auerroës, cæteri que; qui sinistre de diuina prouidentia iudicarunt, non audebāt Deo tribuere indignationem & furorem, imò nec aliquod commiserationis genus: ne cogerentur fortasse dicere, Deum esse mutabilem. Atque ita asserbant, omnia necessitate quadam contingere. Nā si Deus (dicebant illi) nūc irascitur, nūc verò commiseratione flectitur, animi mutationes patiatur necesse est. Atque ita fiebat, ut & veteres illi philosophi, & hæretici quidam illos imitati, vanissimū iudicarent preces ad Deum fundere. Sūt in arcanis litteris sententiæ quædā celebres, quæ illorum videbantur fauere existimationi. Quales sunt, Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, neque ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo & non faciet? loquutus est, & non implebit? Et, Triūphator in Israël non parcat, & poenitudine non flectetur: neque enim homo est, ut poenitentiam agat. Et illa Malachiae, Ego Dominus, & non muror. Decipiuntur tamen vehementer, neque loca scripturarum intelligētes, neque satis animo aduertentes, geminū esse rerum ordinem, quorū alter vniuersalis est, qui diuinæ tantū menti hæret, alter verò particularis, qui rebus singulis hæret, ut morborum causis, ægritudinibus, causis integræ salutis, &c. Prior ergo ille mutari nō potest, alter verò frequenter mutatur.

Stoici.  
Auerroës

Num. 23.

1. Reg. 15.

Mal. 3.

Cum ergo Deus nostris precibus flexus, operatur quidpiam, nō mutatur supremus ille ordo, in quo & illud statutum erat, ad preces cuiuspiam quauis inferiores causæ mutatione aliquam admittant, quæ cum illarū natura non pugnet. Quibus facile intelligitur, qua ratione Deus potuit citra sui aliquam mutationem, furorem, & iram aduersus viros Ninuitas deponere, atque regi Ezechiae integram restituere salutem post morbum natura lethalem. ¶ Explicata diuina potentia à diuisis montibus, & in peregrina loca translatis, eandem potentiam celebrat à terræ concussione. [ Qui mouet terram inquit, de loco suo, & columnæ eius concutiuntur. ] Diu ac multum vexauit magnorum virorum ingenia hæc, quæ de terræ motu quæstio est. Nam quid est, quod tanti ponderis molem impellere potest? Quid potest tantum onus vi sua labefactare? Cur modò tremit, modò luxata subsidet, nūc in partes diuisas discedat, & alias interuallum ruinæ diu seruet, alias citò comprimatur? Nunquid ut Thales Milesius aiebat, id accidere possit, quod terra subiecto humore deportetur, & veluti innatet, siue illum Oceanum voces, siue magnum mare, siue alterius naturæ aquam simplicem, & humidum elementum? Aut ut Anaxagoras, qui huius concussione causam ignem esse aiebat? Existimabat enim, simili penè causa, & aëra concuti, & terram: cum scilicet inferiore parte crassum aëra, & in nubes coactum, eadem vi qua apud nos nubila frangi solent, hic ipse ignis incurrit obuiam, exitum quærens, vnde per angusta nactus viam, in cælum emicet, qui motus causa est huius concussione. Contrā verò Anaximenes, terram

Ion. 3.

4. Reg. 10.

Thales Miles.

Anaxag.

Anaximenes.

terram ipsam causam esse suæ concussio-  
nis, nec extrinsecus esse quæ-  
dam: & partes quasdam terræ deci-  
dere, quas aut humor soluerit, aut  
ignis excederit, aut spiritus violentia  
excusserit. Longè secus Archelaus  
verustissimus philosophus, & mira-  
culorum naturæ maximus indaga-  
tor, quæ fortasse Aristoteles & Theo-  
phrastus sequuti sunt. Affirmabat  
enim, vêtos quosdâ in cœcaua terræ  
deferri, deinde (aiebat) vbi spatia om-  
nia plena fuerint, densato aëre  
quantum fieri potest, is qui superue-  
nit spiritus, priorem premit, & eli-  
dit, ac frequentibus plagis primò co-  
git, deinde perturbat, ille verò quæ-  
rens locum omnes dimouet angus-  
tias, & claustra sua conatur effrin-  
gere: sic accidit, vt spiritu terræ lu-  
ctante, & fugam quærente terra cõ-  
cutiatur. Quauis Aristoteles, &  
Theophrastus, & ex eadē schola Stra-  
to hanc concussioem euaporatio-  
nibus quibusdam aridis interdum,  
interdum humidis, frequēter etiam  
mixtis videantur tribuere: quæ ab  
infimo ædita, & in quantum potuit  
elata, cùm vltiorem locum in quæ  
exeat non habeat, retro fertur, atq;  
in se reuoluitur, dumq; rixa spiritus  
reciprocantis iactat obstantia, siue  
interclusus, siue per angusta elisus  
idem spiritus motum terræ atq; tu-  
multum ciet. Seneca significare vi-  
derur, nullam huius miraculi partē  
ad Numina pertinere: neque iram  
deorum aut cœlum concutere, aut  
terras: quin potiùs singula hæc suas  
habere causas: neq; ex imperio sed  
ex quibusdam vitijs, vt corpora no-  
stra turbâtur, & tunc cùm facere vi-  
dentur, iniuriam accipiunt: In quo  
scribendi ac philosophandi genere  
vehementer deceptus est. Quauis  
enim hæc omnia luas intra naturæ

leges causas habeant: accidere ta-  
men hæc frequenter Numinis im-  
perio, & subitas has naturæ remu-  
tationes instrumenta esse inter-  
dum diuinæ iustitiæ in sceleratos  
homines desæuientis dubitari non  
potest. Neque enim præter ratio-  
nem ea, quæ hac rerum vniuersi-  
tate iuxta vñtatissimos naturæ cur-  
sus accidunt, Deo tribuimus.  
Nam si verum est id quod à sum-  
mis philosophis magno consensu  
fuit proditum, singula amore fi-  
nis incitata operari: (id quod de  
tota natura dicendum est) ea quæ  
in fines suos concitata feruntur,  
necessarium est, aut proprio mo-  
tu, & certa cognitione, & impetu  
ferantur libero, aut suprema ali-  
qua virtute dirigantur, & guber-  
nentur. Sapienter enim à magnis  
ingenijs similitudo illa excogitata  
fuit, ad explicandos singulos naturæ  
motus, & operationes, quæ de homi-  
ne arcum intendente, & sagittas ia-  
ciente est, cui, semel excusso telo tri-  
buimus quidquid sagitta cõfecerit.  
Ad eundem per omnia modum na-  
tura semel à Deo condita, & ex  
nihilò educta, veluti telum est po-  
tenti manu excussum. Quo fit,  
vt singuli motus, operationes, sin-  
gula præterea naturæ miracula  
multò magis Deo sint tribuenda,  
quàm ipsi naturæ. Hoc ergò est  
quod sanctus Iob inquit, [ Qui mo-  
uet terram de loco suo, & columnæ  
eius concutiuntur. ] Columnas en-  
nim appellat summam terræ stabi-  
litem, & firmitatem incredibilē.  
¶ Explicata diuina potentia ab  
his quæ in terra accidunt miracu-  
lis, ad ea transijt, quæ sublimibus  
illis corporibus frequenter perspi-  
ciuntur. De qua re inter sapientes secu-  
li huius frequēter etiã dubitatũ est.

Arche-  
laus.Aristot.  
Theophras-  
tus.Aristote.  
Strato.Seneca,  
lib 6 nat.  
quest.

[Qui præcipit (inquit) Soli, & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo.] Legimus enim tum in sacris, tum in profanis autoribus, Sole, & stellas lumē occultauisse suū, & mortales per dies aliquot in tenebris dēfissimis fuisse versatos. Nam hac tenebrarum castigatione, per aliquot dies Ægyptiorum vesaniā, & impij regis dementiam in Ægypto corripiebat, vt sacris est proditū literis. Iurē etenim dixeris, Ægyptijs Solem non fuisse exortum, & stellas lumen non dedisse, aut occultauisse potius. Quæ Numinis imperio fuisse absoluta refert historia sacra. Aduerte tamē, quod quemadmodū natura terræ atque ingenium id postulat, vt fixa semper sit atque immobilis, ita etiam & cælum natura id exigat, vt perpetuis agitetur motibus, & in perpetuas vertigines torqueatur. Quemadmodū ergo diuinā potentiam latis declarat, rem sua natura stabilem atq; fixam mouere, & impellere: ita etiam, rem sua natura in motū propensam retinere, ne moueatur. Hoc ergo est quod inquit, [Qui præcipit Soli, & non oritur, &c.] Quæ miracula quāuis naturæ sint tribuenda, multo magis tamen Deo, propter rationes in superioribus adductas. [Qui extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris.] Quemadmodum potentiam diuinam, & sapiētiam ab inferioribus rebus ad sublimia corpora progressus explicabat, ita etiam & nunc de diuina sapientia dicturus, à cœlestibus corporibus exordium sumit, tāquā à re tota nobilissima. Quo philosophandi genere S. Iob tanquā circulum fecit, ab infimis ad suprema digressus, & statim à supremis corporib⁹ ad inferiores totius orbis partes delapsus. Celebrat ergo primo di-

uinam sapientiam à creatione cœlorum, quemadmodum & Regius propheta facit. Extendens (inquit) cœlū sicut pellem: qui tegis aquis superiora eius. Magna profectò diuinæ sapientie commendatio, quæ potuit rem adeò stabilem atque firmam tā late extendere. Quo in loco, si S. Iob idē miraculū celebrat, quod Moses initio libri Geneseos, dubitare quispiā possit, an hoc loco de sublimib⁹ illis corporibus, an de aère potius loquatur? Diximus enim cōmentarijs in Genesim prior videlicet libro de opificio mūdi, id quod Moses habet, Dixit Deus, Fiat firmamentū in medio aquarū, & diuidat aquas ab aquis: & vocauit Deus firmamentū cœlū, & diuisit aquas, quæ erāt sub firmamento ab his quæ erant super firmamētū, de aère esse explicandū. Quod etiā grauisissimi autores super Genes. voluerūt. Nā recte cōsideranti occurrit profectò, in scripturis arcanis sublimia illa corpora dēfissima, atq; cōpacta, cœlos cœlorū appellari. De quibus Moses vt de angelorū natalibus, vita, & morib⁹, nihil omnino aut leuiter, & perfunctorie dixit. Videtur enim inexplicabile quorūdā iudiciū de aquis super cœlestibus, vt ab illis tractatur. Vnde facile expediri potest difficultas illius loci, Qui tegis aquis superiora eius: si appellatione cœlorum extensionem aëris intelligamus. Nam a-

Psal. 103.

Gen. ca. 1.

Psal. 103.

Hebraicē

Hebraicè רַקִּיָּה RaKijah. Nam cū de creatione reptilium, & volatiliū meminit, dixit, Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cœli. Saue quod dixit, Sub firmamento, Hebraicè dicitur רַקִּיָּה חַוִּיָּה Hal pe ne reKijah, hoc est, super firmamento: quis sit tā stultus, qui existimet, alites esse, quæ supra sydera volitent, & supra cœlos, quæ Numinib⁹ sint in delitijs? Cū ergo S. Iob hoc loco aquas commemorat, & fluctus maris, & vt ordine progrediatur, cū expansos cœlos, aërem, vt mihi videtur, significat. Est enim magnopere obseruandum, nec Mosem, nec cæteros vates dixisse vnquam, cœlū esse solidum corpus, atque vastum: non quòd id credere par non sit, sed quod de re ista nullam penitus intulere mentionem, nisi fortasse cū dicitur, Qui habitat in cœlis, irridebit eos, Et, Dominus in cœlo sedes eius, &c. Græci autores existimant, cœlum à Deo extensum dici, & instar pellis extensum, vt facilitas in creādo explicaretur. Nam tanta facilitate Deus cœlum creauit, quāta contracta pellis ab homine extenditur. Hęc fuit Euthymij sententia. Id etiā sensit & Chrysofostomus. Deinde voluerunt etiam cœlum esse cameroides, quòd S. David, & Scriptura sacra dicat, cœlum esse veluti tentorium adeò diffusum, ita vt cœli figuram, simul & facilitatem creandi explicet. Arbitrantur ergo cœlum esse quadratum, siue cameratū. Ego verò modestè, & ea venia quæ necessaria est, in tribus ab illis dissentio. Primò, in eo quod docet, quoties de extensione cœlorum agitur mētio, Scripturam sacram de corporibus illis sublimibus loqui. Nam ego potius de extēso aëre ab aquis educto,

& solis calore reffecto id intelligendum puto. Extenditur enim aër ipsa rerum creatione à summo Deo ardore solis, quia flammis solaribus aqua rareſcebat. Nam vt à summis philosophis proditum est, ex aquæ pugillo fit decies tantum aëris: hoc autem est diffundi instar pellis, id est tentorij: nam apud Oriētales tentoria fiebant ex pellibus. Tentorium autem anteaquā diffundatur breue est, & clausum: diffusum autem vsq; quāq; grandescit, & rareſcit. Sic aër grandescit ex aqua, qui clausus modica aqua, & angusta fit aër ingens. Argumēto sint, ex paruis lignis magni erumpentes fumi, adeò vt tota domus fumo impleatur. Simile quidpiam Arist. de duobus exhalationū generibus loquitur, quorum alterū visibile appellat, alterum inuisibile: alterum siccum, & humidum surgens à terra, alterum humidum, & caliginosum ab humida materia euaporatū: & ab hoc fiunt caligines, rores, nubes, pluuia, niues, grandines: ab altero venti, & spirationum varietates, tonitrua, & fulgura. Vides ergo has euaporationes nunc extensas, nunc contractas. Sic ergo de cœlo existimandum est. Secundò, à Græcis dissentio, & libenter, super similitudine tentorij diffusi. Existimant enim facilitatem creandi, extendendi, aut diffundendi verbo esse explicatam. Est enim venustissima metaphora, qua Scriptura sacra modum, & rationem productionis aëris ex aqua significare voluit, vt diximus. Tertio, in eo quod asserūt, tentorij appellationē ad figuram spectare: omnes enim optimè rationes tum è philosophia, tum ab Astronomia adductæ cœlum non esse quadratum, aut cameratum probant, sed sphaericum.

Aristotel. in lib. de mundo, & in Meteorologicis.

Psal. 2.  
Psal. 10.

Euthymius.  
Chrysof.

M 4 Probant

Probant item, omnem aliam figuram multa incommoda facturam, de quibus non est nunc disputandi locus. Ad id ergo redeuntes vnde digressi sumus, dicendum esse arbitramur quemadmodum Moses eo loco explicat creationem aeris ab aqua educti nouo miraculo, & in orbem extensi, tum ad excipiendam lucem, & astrorum influxus, tum ad vitam animantium fulciendam atque sustentandam: ita & S. Iob presenti loco, cum inquit, [qui extendit caelos solus, &c.] Vterque enim celebrat diuinum opificium: quasi caelestia quaedam laquearia, & contignationes suspenderit artifex, non secus atque domos terrestres trabibus, & asseribus contegere solent mortales. Veruntamen huic sensui nonnihil reclamare videtur, quod statim subiicit Iob, [Qui fecit Arcturum & Orionam (siue Cynosuram) & Hyadas, & interiora Austri.] Videtur enim cum de his fulgentissimis astris mentionem intulit, quibus tanquam geminis distinguitur, & ornatur caelum, corpora illa sublimia voluisse significare: quanuis & huic argumento facile responderi possit. Insinuat ergo per Synecdochen, Deum non tantum caelos ipsos, verum & lumina caeli condidisse. Commemorat autem haec astra peculiari ratione inter caetera, propter eorum insignem celebritatem. Penetralia Austri vocat stellas circa polum Austrinum, quae habitantibus in opposito hemisphaerio minimè apparent. Arcturum verò, quod hoc genus astri notissimum sit: Est enim Vrsa maior circa Polum Arcticum, siue Septentrionalem nobis apparentem. Et Orion insignis constellatio est in signo Cancri, aut, vt alij volunt, in Tauro, & Geminis apparens, cui no-

men Orionam dederunt, quod tempestatibus & perturbationibus suo ortu causam praebet. Hyadas verò dixere septem stellas notissimas in capite aut fronte Tauri signatas, quas alij Succulas. Voluit ergo, (vt paucis dicamus) S. Iob illud hoc loco docere, quod a sapientibus viris, tum philosophis tum poetis antiquitus fuit celebratum. Nam primò Physici omnes autore Plutarcho creationem mundi Deo tribuere. Eam sententiam adducit ex Empedocle. Idem sensit & Euripides: eandem sententiam Sophocles celebrabat multis carminibus reprehendens multorum Deorum cultum. Qui fecit Axem (inquit) terramque late parentem. Sed, & Aratus docuit, Deum astris distinxisse caelum, & ornavisse. Quemadmodum enim Moses dixit, Fiant luminaria in firmamento caeli, & sint in signa, tempora, dies, & annos, vt luceant in firmamento caeli, & illuminent terram: eadem penè Aratus, defixisse signa supernis caelis, partitumque fuisse astra, & stellas in annos prouidisse, & caelum varijs luminibus distinxisse, diuersumque illis ortum, atque obitum tribuisse. Quae Ouidius suis temporibus, auctore Lactatio, celebrauit sic, † Tot numero, taliq̄ue Deus simulachra figura † Imposuit caelo, perque atras sparsa tenebras † Clara pruinosa iussit dare lumina nocti. ¶ Sed neq; minus perspicitur diuina sapientia, quae fluctus maris calcat, & super illos graditur, maris impetum coercens, & insanietes aquas certis quibusdam legibus, & praescriptis retinet, ne in perniciem mortalium diuagetur. Concludit tandem, [Qui facit magna, atque incomprehensibilia, &c.] Tot

Plutarch.

Empedocles.

Euripides

Sophocles.

Gen. 1.

Aratus in princip.

φαινομένην, sic.

Αυτὸς γὰρ τὰ ἀστὲρ ὅτι

ματ' ἐν οὐ

ρανὴν ἔσχηκε

ἔσπ. &amp;c.

Ouidius. 1. Metamorph.



Tot facit prodigia, atque mirabilia, vt ea neque humanum ingenium fatis admirari possit, neq; lingua humana vlla oratione consequi. [ Si venerit ad me, nō videbo eum: si abierit, non intelligam. Si repente interroget, quis respondebit ei? Vel quis dicere potest, cur ita facis? ] Pendet maximè huius loci sensus genuinus à significatione horum verborum, Venire, & Abire. Est enim venire in scripturis, idem quod cōuersari. Sic apud Matth. Qui veniūt ad vos in vestibus ouium, &c. Et apud Ioann. In propria venit: Et iterum, Qui confitetur Christum in carne venisse, idest, fuisse versatum. Et Isai. Deus noster ipse venit, & saluabit nos. Et in psalmo. Vt quid Deus recessisti longè. Contra verò, abire est ab aliquo discedere, & animum benefaciendi mutare: sed & animum etiam indignatione plenum significat. Contrariam denique significationem habet superiori verbo. Tanta est ergò diuina sapientia, inquit Iob, vt possit ad me venire, & mecum versari, & multis me afficere beneficijs: possit etiā, à me discedere, hoc est, opem & auxilium subtrahere, cum id ego minimè intelligam. Voluit ergo S. Iob, ab ipsa rerum humanarum moderatione docere, quam sit incomprehensibilis diuinæ sapientiae profunditas. Est enim vehementer necessarium ei, qui velit res humanas moderari, tribus potissimum rebus præstet. Primò vt & subiectis hominibus iustitiæ præcepta, & alia distribuatur beneficia: Secundò, vt singulas subditorum actiones sapiēter excutiat, & examinet. Tertio, vt in sceleratorum hominum impietates, cum id ratio postulat, grauius animaduertat. Deus autem mortalibus tanta cura prospicit, vt frequenter

ad eos veniat, cum illis versetur, atque in eos ingentia conferat beneficia. Sed id adeò sapienter, tam occultè, & latentè facit, vt & ipsa beneficia sint hominibus incomprehensibilia, propter sui magnitudinem, & propter sapientiam illius, qui beneficia confert subtiliter & occultè. Cōtingit autem frequenter, vt magnus ille medicus Deus vel dura aliqua castigatione, vel mentis anxietudine mortalium salutem procurer: & interdum ab officio, & religione declinare permittit, quò cautiorem mortales post lapsum euadant. Nam (vt ait Paulus) Diligētibus Deū omnia cooperantur in bonum, &c. Et tamē hæc beneficia vix vnquam ab homine percipiuntur. Nesciebat Iob quātis illū Deus cumulasset beneficijs, cum tot modis eum vexaret. Idem dices de grauissimis peccatoribus Paulo, Dauide, Petro, Magdalena. Si ergò in ipsis etiā sceleribus Deus nostris vtilitatibus prouidet, & ad nos venit, quid iam de cæteris rebus existimandum sit? Quemadmodum autem venit ad nos, ita etiam recedere solet, cum sua interdum dona, & beneficia nobis eripi permittit, & rationis & mentis lumen, & volūtatis dulces & blandas, honestasque rerū appetitiones. Vnde cōtingit frequenter (vt Sapiens inquit) vt ex vix nobis rectè videantur, quæ ad mortem ducunt: atque ea existimemus honesta, quæ sunt inhonesta: & amoris Dei, & proximi nos incumbere arbitremur, cum proprii amoris studio potius teneamur. Sunt vetustissima rerum monumenta istarum rerum exemplis refertissima. Ergò quia diuinum beneficium est, quod indignationē, & iram existimamus, & indignatio interdum diuina, quā arbitramur beneficium, iure ait S.

M 5 Iob,

Matth. 7.  
Ioan. 1.  
pri. Ioan.  
cap. 4.  
Isa. 35.

Ad Ro. 8.

Proverb. 14. b. & 16. d.

Iob. [Si venerit ad me, non videbo eum, &c. Nam ex euangelio didicimus, plærosq; decepsisse prophetiæ dona, magisterium doctrinæ, gratias curationum: qui dicent aliquando, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus? Et in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Quibus tamen respondebit Dominus, Nunquam noui vos. Ignorabat Pau. grauisissimis tentationibus carnis lacessitus quid de suis rebus, & salute prouideret magnus medicus: unde ter Dominum rogabat, vt discederet ab eo Angelus Sathanæ. Idem de Tobia, & afflictionibus illius iudicandum, Hebræa videntur aliud significare: nempe mortalem hominem tanta teneri ignorantia rerû, vt Deum per opera sua non intelligat. [Ecce (inquit) præteribit me, vt non videam, & ultro citroq; commeabit, & non intelligam:] Id est, Deus me præsentem multa faciet, quæ non assequar, neq; ipsum esse illarû rerû autorem, deprehendam. Exagitur hoc loco ignorantia humana, & supinitas: quoniam cum Deus toties de se ipso testetur per ea opera quæ in orbe efficit, ignorat tamen mortalis homo, quanta sit diuina bonitas, & sapientia. ¶ [Si repente interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest, Cur ita facis?] Diximus, oportere eum, qui res humanas moderatur, de eisdem rebus ferre posse sententiam. Interrogare autem, verbum est forense in litteris arcanis, cum videlicet productis testibus iudex aduersum sceleratû quempiam sententiam fert. Deus itaq; interrogat, cum in cuiuspiam impietates grauitè animaduertit. Hinc S. Dauid, Dominus interrogat iustum, & impium, Duo autem po-

tissimûm sunt, quæ iudicis sententiã impedire possunt ne executioni mã detur. Alterum est, si reus iudici vel technis vel cauillis quibusdam imponere possit. Alterum verò, dum iudex vehementer reformidat, ne dum aliorum impietates ipse castigat, propria ipsius scelera prodeant in publicum: id quod frequenter accidere videmus. Sed magnum illum iudicem nemo decipere possit, non iustus, non impius: nihil est, quod illius sapientiam effugiat, probe tenet nostros cogitatus. Nõ cum decipere possunt propriæ hominum consciëntiæ, quas in testes vocat. Deinde neq; illud reformidabit, ne scelus aliquod in ipso deprehendatur, quod in alijs castiget. Ob eamq; rē nemo illi dicere possit, [Cur ita facis?] Nã qui carpit mores, labe carere debet. Interrogat autem Deus subito nonnunquam, & repētè: sensim interdum, atque lento gradu ad iudicium procedit. Sapienter ergò dixit. [Si repētè interroget,] hoc est, hominibus minimè cogitantibus. Donat enim nobis frequenter tempus fundendi preces, collachrymandi, agendi denique pœnitentiam: post lachrymas verò, & singultus possit ut eunq; homo Deo respondere. Nã respondere hoc loco idem est, quod propriam tueri causam, & eã apud iudicem defendere. Possit itaque sceleratus respondere post lentas illas, & tardas interrogationes, Ego post peccata ad lamenta conuersus, vitæ antè actæ pœnitentia ductus, in Deo meas oēs expectationes, animum, & cor collocaui. Si verò repētè aut morte aut graui supplicio interroget, vt si quempiam nostrum imparatum opprimat mors, quis dicere possit, mundum est cor meum? Aut quis gloriabitur castum se habere

Matth. 7.  
2. Cor. 12

Psal. 10.

bere cor? Hebræa, [Si qd raptim auferet, quis reducet illud? aut quis dicet ad eū, cur ita facis?] Eò sanè spectare videntur hæc verba, vt proprias calamitates in memoriam reuocet: ac Deum veluti furem, & prædonè facit, qui illi & liberos, & fortunas eripuit subito, atq; repèrè: cui tamen dicere non potuit: Cur ita facis? [Deus cuius iræ resistere nemo potest, & sub quo curuatur, qui portant orbem.] Legimus frequenter sanctos homines diuinę indignationi se opposuisse, vt Moses, vt Phinees, vt Dauid: Sed diuinam illi indignationem precibus, & orationibus mitigabant. Agitur autem hoc loco de ea obfistendi ratione, quæ violentia constat & vi. Quis ergò violentè possit diuinę indignationi, & furori resistere, aut illius iræ ad castigationem procedenti se opponere? Sanctus Patriarcha Abraham diuinę indignationi sese opponebat, cum viris Sodomitæ vltix illa atq; memoratu digna tempestas immineret e cœlo, sed precibus, & magna animi submissione, rectum illius iudicium reuocans in memoriã, quod iustum hominem nūquam cum impio perdidisset. Secus verò, stultus sit planè, & prorsus insaniat, qui eius furori se velit opponere. Bene proinde ait, [Illi nemo resistere possit. Sub quo curuantur qui portant orbem.] Hunc locum interpretes quauis de principibus, & regibus explicent, frequentius tamen de angelis explicant: qui iuxta sententiã Peripateticorum sublimia corpora in circulos torquent, ad explicanda in his inferioribus naturę opera. Hoc autem alienum est à litteris arcanis, intelligentias videlicet orbis mouere. Et sunt qui arbitrentur summum philosophum Aristot. cum de

intelligètijs, & angelis fuit locutus, longè aliter sensisse, quàm vulgus iudicet. Quid de ea re sentiat Simplicius super libros de cœlo contra Alexandrum Aphrodisiensem, non est huius loci aut temporis explicare. Quod de officio, & munere angelorum hoc loco differuit vir sanctus, crediderim potiùs eum de gubernatione totius orbis sanctis angelis commissã fuisse locutum, quàm de perenni motu cœlestium corporum: de qua re multa apud veteres philosophos, & omnium gèrium sapientes prodita sunt. Refert Laërtius ex Platone, Deos siue angelos res humanas respicere, & curare. Nam vt autor est Philo, angeli sunt quos dæmones Plato vocat, & quos deos appellat in Phædone, & Eutyphrone, rebus humanis præfectos. Item quod alio in loco inquit Plato, Deos esse omnium optimos *ἐπίσκοπας* hoc est curatores, de angelis dictum iudicant interpretes. Vnde Philo insignis Platonius de angelis scribès inquit, Deus summus eos præfecit, à quibus regimur, vt rectè viuentes in cœlū ab eis deducamur. Itaque si de angelis loqueretur S. Iob (quod ego credere non passum) de cura, & moderatione potiùs rerum humanarum eis demandata esset interpretandus, quam de orbium cœlestium iugi agitatione. Hebræus textus aliū sensum longè diuersum significare videtur. Sic enim habet, [Deus non auertit iram suam, sub eo curuantur potentissimi auxiliares,] siue, vt alij interpretantur, [Auxiliares superbix.] Quibus sanctus Iob respondere videtur stultis hominum cogitationibus, qui frequenter à condito orbe auxilia, & necessaria præsidia à potentissimis hominibus quærebant, & totã suam confi-

Exod. 33.  
Num. 25.

Gen. 18.

Dioge.  
Laërtius.

Philo.

Plato.

confidentiam in eis collocabant: vt diuinæ litteræ restificentur de viris Israëliticis, quoties ab Ægyptijs salutem sperabant, contra quàm staturerat diuina prouidentia: de Ninivitis, & Assyrijs, qui Babylonios habebant foederatos, & amicos. Concludit ergo S. Iob,

**Q**uantus ergò sum ego, vt respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Qui etiã si habuero quippiã iustum, non respondebo, sed mecum iudicem deprecabor. Et cum inuocantem exaudierit me, non credo, quòd audierit vocem meam. In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea etiam sine causa. Non concedit requiescere spiritum meum, & implet me amaritudinibus. Si fortitudo queritur, robustissimus est: si æquitas iudicij, nemo audet pro me testimonium dicere. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, prauum me comprobabit. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, & tadebit me vita mea. Vnum est quod loquutus sum, & innocentem & impiũ ipse consumet. Si flagellat, occidat semel, & nõ de pœnis innocetũ rideat. Terra data est in manus impij, vultũ iudicij eius operit, quòd si nõ ille est, quis ergò est? Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt, & non viderunt bonum. Pertransferunt quasi naues poma portantes, sicut aquila volans ad escam. Cũm dixero, Nequaquam ita loquar: commuto faciem meam, & dolore torqueor.

**E**X his quæ dixerat colligit vir sapientissimus, non posse se vlla ratione de innocetia, & iustitia propria cum Deo in disceptationem venire. Nullus, inquit, ego sum, non talis est sapientia mea, neque tanta iustitia, vt vel ipse me dignetur ad disceptationem admittere, vel si admitteret, mihi possint verba suppetere ad propriam causam asserendam. Et quoniã frequenter contingit, vt publicis in iudicijs, & apud tribunalia hominũ, is qui neque potentia, neque ingenio, neque gratia valet, sola propriæ conscientie securitate magnã apud iudicem confidentiam concipiat, & propter animi innocentiam vehementer ad loquendum animetur: hoc confidentie genus excludit sanctus Iob dicens, [ Qui etsi habuero quidpiam iustum, non respondebo, ] meam scilicet iustitiam, & innocentiam defendendo. Considerandum verò, quibus verbis hæc sint proposita. Nam incertitudinem humanæ iustitiæ eleganter explicuit dicens, [ Si habuero quidpiam iustum, non respondebo. ] Vt Apostolus, 1. Cor. 10. Nihil mihi conscius sum, &c. Neque verò tantum humanam iustitiam, & innocentiam significauit, sed & eandem extenuauit, cùm dixit [ quidpiam iustum. ] Nam est humana innocentia, atque iustitia omnis prætenuis, & vtinam aliqua. Declarat deinde, quæ potissimum oratoris partes apud iudicem Deum valeant. Non possum (inquit) illi respondere, & meam tueri causam propria iustitia fretus: reliquum ergò est, vt æquissimum iudicem precibus, atque oratione ad misericordiam flectam: nam hoc mihi, & commodius erit, & utilius. Nam cùm quispiam se fatetur peccauisse, & ad misericordiam iudicis puocat, tota causa extra iudicium consti-

constituitur, nihilq; habet iudicialis generis, quemadmodū rethores prodidere, & bene dicendi perirei. Habet hic locus, & superior ille [Si repente interroget, &c.] difficiles explicatus, atque ex his duobus locis, alijsq; huius capituli oraculis Germani nitūtur humana opera etiam eorum, qui innocentia & iustitia excellere videtur, labefactare. D. Gregor. priorem illum locum explicans, ad cohibendam humani animi insolentiam, aiebat in hunc modum. Si remota pietate discutitur humana iustitia: iustorum etiā vita in eo examine succumbit. Ex quibus argumentum Germani colligunt in hūc modum. Si diuino examinae & iudicio iusti hominis vita se erigere non potest, sed pōdere peccatorum semper succūbit, quid ergō commendabile, aut quid excellens deprehenditur in humanis operibus? Deinde idem Gregor. super locum quem in praesentia explicamus, [si habuero quidpiam iustum, &c.] Omnis, inquit, humana iustitia iniusta esse conuincitur, si districte iudicetur. Quae si ita habent, omnis ergō iustorum actio peccatū est: ac proinde nihil est in humanis operibus commendabile, nihil quod precio aut aestimatione sit dignum. Veruntamen si animis aduertamus, vt prior ille locus de subita interrogatione, pernicioſa Germanorum iudicia de humanis operibus non tueretur, ita neque alter hic, de quo disputamus. Et quoniam ad executiōdam doctrinam magni Gregorij nos prouocant Germani, fuerit operæ precium eius verba subnectere. Inquit ergō Gregorius, Tunc magnus ille iudex nos repente interroget, cum ad iudicium & examen inopinatos vocat. Quibus Gregorius non obscure significabat, alios à summo

Deo repente interrogari, atque eis minime cogitantibus, quorū est fors infelicissima: alios vero non ita subito aut inopinato vocari ad iudiciū, sed vocari praemeditatos. Potest quidem iustus inopinata morte prauectus, leuioribus subiacerere peccatis; quae partim sacramentorum virtute, partim animi poenitudine extergere potuisset, si temporis copia super peteret. Ob eamq; rem semper illi necessariū erit ad iudicis misericordiam prouocare, quae peccatum remittat: quo minime remisso nūquā illi ad beatitudinem patebit aditus. Deinde alia ratione D. Gregorius ad sensus Theologicos locum adducit. Aliter, inquit, magnus ille iudex nos interrogat, cum duris videlicet castigationibus nos pulsat, quod videlicet mens nostra in perturbatione veraciter iudicet, id quod de se falso in tranquillitate exultauit. Et tandem concludit, Semetipsum homo considerans tacet, & diuina iudicia discutere metuit qui se ipsum puluerem esse agnoscit. Vt Paulus inquit, Homo tu quis es, qui respondeas Deo? Quibus D. Gregor. aperte significare videtur, hunc locum etiam posse explicari, non solum de sordibus humanae iustitiae, sed & de vilitate humanae naturae, & indignitate hominis, si cum Deo conferatur. Ad alterum locum accedendo, difficilius videtur quod Gregorius super eum locum dixit, Omnis humana iustitia iniustitia esse conuincitur, si districte iudicetur. Sed haec Gregorij sententia eundem videtur habere sensum cum praecedentibus, vt diximus. Neq; enim Greg. loquitur de singulis actionibus hominum iustorum: sed de tota vitae ratione in vniuersum, quae defectus aliquot semper habet admixtos: quod minime negandum

Gregor.

Gregor.

Rom. 9.

negandum est. Non tamen ob eam rem, vel dānada sunt humana opera, vel nullo precio aut æstimatione habenda. Vel cōparatione quadā loquitur Greg. de humana iusticia, si eum diuina componatur, quemadmodum in superioribus fuit à nobis satis explicatum. Et quoniam preceationis siue orationis S. Iob mētionem intulerat, de infirmitate humani ingenij, & imbecillitate nostræ carnis, post preceationes suas prudenti iudicio subiungit dicens. [Et cum inuocātem exaudierit me, non credo quòd audierit vocē meā. In turbine enim cōteret me, & multiplicabit vulnera etiam sine causa. Non concedit quiescere spiritum meum, & implet me amaritudinibus.] Eò sanè pertinent hæc omnia, vt humanæ carnis diffidentia his omnibus verbis explicetur. Annotandum tamen ad rem aperiendam, Deum Opt. Max. nūquam non implere suas promissiones. Multis autem scripturarum locis, tum apud Mosē, tum apud ceteros vates pollicetur, humanas se preceationes exauditurum. Sed quoniā duplex est ratio exaudiendi preceationes, quarū altera humana vota atq; desideria respicit, quæ sunt in plurimum cum stultitia coniuncta: altera verò pertinet ad profectus iustorum, vt videlicet in virtute magnos faciāt progressus: Deus semper humanas preces exaudiet: interdum pro voto, in nos conferendo beneficia quæ postulamus, cum scilicet oratio ipsa, & singulæ petitiones à ratione proficiunt: interdum verò non respicit vota nostra, quæ stulta sunt, sed potius nostræ mentis utilitates: Et tūc contra varias nostras expectationes iustos etiam homines in turbine cōterit, & multiplicat vulnera, nec si-

nit quiescere spiritum: sed cum implet amaritudinib⁹, vt inquit S. Iob: semper tamē iustorum opportunitatibus prospiciens. Quod verò dixit, [In turbine conteret me,] sapienter profectò dictum est, & magno eum iudicio, si morem loquendi sanctarum scripturarum aduertat. Legimus, turbine atque vehementiorem ventum Ægyptiorum interitū præcelsisse. Cum exercitum etiam Sisaræ prostrauit, in tempestate venit. Precibus Samuēlis Deus flexus Philistinorum acies turbine, & graui tempestate exagitabat. Apud Isaiam prophetam tempestate, & turbine, & flamma ignis deuorantis propria declarabat consilia. Igitur quoniam vetus consuetudo, vt docet Scriptura sacra, semper obtinuit vt diuinas castigationes turbo, & tēpestas frequenter præcederet, ad explicanda grauissima supplicia, S. Iob turbine cōmemorauit. Quod verò subiecit, [Multiplicabit vulnera mea sine causa,] pertinet ad exprimendam stultitiam, atque dementiam humanæ mentis, quæ vt in plurimū de diuinis castigationibus ita iudicat, quasi sine causa sanctis, & iustis hominibus inferantur supplicia. Induit enim interdum S. Iob stulti hominis personam: vt Paulus etiā aliquando assumit peccatoris hominis imaginem: & Salomon in Ecclesi. pro impijs, & stultis hominibus loquitur. Ad eum modū sanctus Iob. Nusquam tamen Deus sine causa vulnus infert. Impiū enim esset hoc de Deo credere. Sed nūc quò magis explicetur vires spiritus, qui sanctos homines in habitat: nunc vt ad se redeant, & in se descendant: nunc vt excutiat supinitas quædā, & oscitantia, quæ illorum visceribus hæret: & denique alijs ex causis, quas recē

Exod. 14.

Indicū. 5.  
Reg. 1. c. 7.

Isa. 28. 29.

lere

fere superuacaneum duximus, varijs permittit eos premi doloribus, & exerceri incommodis. Semper tamen (vt dixi,) hominum precationes exaudit. Nam vt artis medicæ peritus, & qui ægrotantis salutem omnibus desiderat votis, non exaudit ægrotantem ad votum, cum obnixè postulat amoueri à se quàm citissimè amarum pharmacum, prospicit tamen infirmi vtilitatibus, atque huc respiciunt omnia illius consilia: & exaudit ægrotantis preces ad depellendam ægrotudinem, & ad consequendam salutem: ita etiam de magno medico, & hominibus iustis censendum est. Quocirca non est quòd miretur S. Iob, qui ægrotantis hominis personam assumens ait, [Non finit quiescere spiritum meum, sed implet me amaritudinibus.] Quiescit enim spiritus inter amaritudines ipsas, & afflictiones, cum erigitur in spem consequèdi optatum finem. Si tamen desit hæc expectatio, non possunt vulnera inflicta, & castigationes, amara medicamenta, non vehementer exacerbare animum hominis afflicti. Sed quoniam huius finis ignoratione, tenetur, conqueritur nonnunquam de eis aduersitatibus, quæ feliciorum parant valetudinem, & rerum statum longè præstantiorem. His itaq; constitutis & explicatis, quæ magna ex parte ad aperiendam humanam vecordiam, & stultitiam pertinent, iterum accedit ad illustrandam, & commendandam potentiam, & sapientiam iudicis Dei dicens [Si fortitudo quaeritur, robustissimus est: si æquitas iudicij, nemo audeat pro me testimonium dicere.] Est, inquit, iudex ille ad coercendos impios potentissimus. Omne enim robur excedit. Si verò de innocentia iudici necessa-

ria agitur, tantam in iudicio æquitate seruatur, vt nemo pro me audeat, dicere testimonium. Alludit sanctus Iob ad consuetudines forenses publicis etiam omnium gentium legibus comprobatas. Nam cum quis pià se propria innocentia, atque testimonio tueri non potest, testes adducit, qui de illius iustitia, & vitæ integritate testimonium ferant. Coram tanto autem iudice nemo (inquit Iob) audebit pro me testimonium ferre. Neque humana ratio atque mens capere potest vllò pacto, maiorem esse hominis iustitiam veritate Dei redarguetis. Vnum est quòd reos, cum ad tribunalia iudicium sistuntur, vehementer consolari solet, nempe propriæ conscientie testimonium: vix enim credi potest, quantum recta conscientia hominem erigat in spem, aut expectationem meliorum. Hoc igitur propriæ conscientie præsidium, quod certissimum atque tutissimum esse solet, hominibus eripit Iob dicens, [Si iustificare me volueris, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, prauum me comprobabit: Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ.] Quibus verbis, vt mihi videtur, varias sapientissimus homo rationes explicare voluit, quibus propria conscientia sese tueri solent homines. Prima est eorum, quibus mēs ipsa, atque ratio testimonium perhibet, se iustos esse. Nam si ad iudicium raptus dixerò, me iustum esse, vt possim effugere supplicia, illico vel ab ipsis verbis, summæ impietatis possum conuinci. Nam quæ maior impietas esse possit, aut quando vnquam iniustitia magis crescit ad cumulum, quàm cum qui pià de se ipso & credit, & affirmat iustum

iustum esse, omniq̄ue culpa vacare?  
 1. Ioan. 1. Si dixerimus (inquit Ioannes) quia  
 peccatum non habemus, nos ipsos  
 seducimus, & veritas non est in no-  
 bis. Nemo mundus à sorde, inquit  
 Iob. 25. Iob, neq; infans vnius diei. Hoc est  
 iuxta in- ergò quod inquit, [ Condemnabit  
 terpretat. me os meum. ] Nam qui se iustum  
 Septuag. dicit, Deum facit mendacem: quæ  
 Eodẽ mo- summa impietas est. Altera verò ra-  
 do refer- tio, qua testimonium solet ferre cõ-  
 tur à D. scientia ad tuendam innocentia cu-  
 Leono fer- scientia ad tuendam innocentia cu-  
 mo. 1. de- iusq̄ue nostrum, mitior est aliquan-  
 Natiui. in- tulum: cum scilicet conscientia de  
 Et à D. Au- se ipsa non præsumit, & tamen ho-  
 gust. li. de- minem non reprehendit, neque sce-  
 Nat. & gr. leris cuiuspiam accusat. Hoc signi-  
 ca. 7. to. 7 ficare voluit, cum dixit S. Iob, [ Si  
 Et lib. 2. innocentem me ostendero, dicens  
 de pecca- nullius sceleris me accusat conscien-  
 orig. c. 32. tia, prauum me esse comprobabit. ]  
 tom. 7. Potens est enim iudex ille, quem ni-  
 Et à D. hil fugit, multa in publicum produ-  
 Greg. lib. cere mei animi scelera, quæ aciem  
 7. Reg. in- humanæ mentis effugiunt. Nã, quæ-  
 dist. 2. ca. admodũ dixit psaltes, Delicta quis  
 35. post intelligit? Tertia ratio purgandi cri-  
 medium minis est, cum quispiam fatetur se  
 peccasse: dicit tamen, se non peccas-  
 se consultò, non propria malitia, sed  
 ignorantia potius, atq; imbecillita-  
 te adductum ad scelus patrandum.  
 Quæm statum coniecturalem appel-  
 lant Rhetores. Atqui hæc carminis  
 purgatio, (inquit S. Iob) nullum ha-  
 bet pòdus in iudicio illo. Quis enim  
 proprii animi simplicitatem iactare  
 possit, vel apertos mores? Præser-  
 tim cum Ieremi, prophe. de humano  
 Iere. 17. corde dicat, Prauũ est cor hominis,  
 & inscrutabile. Varij sunt motus,  
 & affectiones nostri cordis, & impe-  
 tus passionum & affectionum innu-  
 meri, ita vt aciem humanæ mentis  
 effugiat: nec satis quispiam animò  
 percipere possit, se simplici corde

peccasse. Fieret præterea, (inquit S.  
 vir) vt si ad aperiendam proprii ani-  
 mi simplicitatem, aut simplices mo-  
 res omne ego, adhiberem studium,  
 atque in hoc negotio omnem ope-  
 ram, atque diligentiam nauarem, ni-  
 hil aliud efficerem, quàm tædio &  
 afflictione vitam cõsumere, & præ-  
 nimia anxierudine totam vitæ ra-  
 tionem reddere acerbiorẽ. [ Vnũ  
 est, quod locutus sum, & innocentẽ,  
 & impium ipse consumit. Si flagel-  
 lat, occidat semel, & non de pœnis  
 innocentium rideat. ] Incipit Iob  
 confutare sententiam, atque iudiciũ  
 Eliphaz & Baldad, qui constanter  
 affirmabant, neminẽ in hac vita nisi  
 sceleris causa à Deo corripì, & casti-  
 gari: innocentiam verò ipsam extra  
 omne periculum semper positam.  
 [ Vnum est (inquit S. Iob quod locu-  
 tus sum. ] hoc est, ego in ea semper  
 fui sententia, quam docui, & frequẽ-  
 ter verbis explicauim: magnum illum  
 iudicem in hac vita, iustum & impiũ  
 consumere. Hoc est, castigare, & af-  
 fligere. Locus est difficillimus, &  
 qui varios possit habere explicatus,  
 & qui aperta contumelia Deum vi-  
 deatur afficere. Genina tamen ra-  
 tionẽ huius loci difficultas explica-  
 ri possit. Primò, si dixeris cum D. Gregori;  
 Greg. propter peccatum primorum  
 parentum, & iustum & impium fu-  
 rē ad supplicia in hac vita rapi. Inde  
 enim graue pondus ærumnarum,  
 quod in hac vita sustinet & pijs & in-  
 nocentes homines dimanauit. Quo-  
 circa si primũ illud scelus attendas,  
 iure dixeris, quoniam innocentem  
 & impium iuste consumit. Secundo  
 fortasse Iob de ea consumatione,  
 & supplicio agit, quod omnium est  
 longè atrocissimum: morte scilicet,  
 quæ nullo habito delectu, iustos &  
 iniustos, pios & impios rapit, quæ  
 mors



mors ab originali peccato duxit initium. Veruntamen quoniam hoc non satis explicabat questionem positam de hominibus iustis, ait, [ Si flagellat, occidat semel, & non de poenis innocentium rideat. ] Quibus verbis iterum perguit inquirere, Nonne fatius esset, iustum hominem semel morte conficere, quæ omnibus ex equo propter originale debetur, quam innocentes tot flagris afficere, & de illorum poenis quodammodo ridere? Hoc est, quasi poenas ipsas & supplicia innocentium per se probare? Nam ridemus interdum & lætitia perfūdīmur, gaudemusq; de eis rebus, quæ nobis suapte natura probantur, & placent. Si ergo nulla est ratio, quare Deus iustos in hac vita vexet, & poenis afficiat: quid est, quod gaudet de illis, & ridet, dū diuexantur, quasi quæ eos torquent mala, sint suapte natura bona? Quod ego maximum incōueniens iudico. Tertio, & quod mihi magis probatur, Hebræa videntur sonare, [ Si flagellum occidat subito (subintellige impium) tentationem innocentium ridebit. ] Confutat hoc loco sententiam Baldad. Dixerat enim superius, poenam piorum in hac vita prorogari, impios autem subito periri. Quod si ita res haberet, multo esset grauior piorum poena, atque fors infelicio. Atque ita fieret, ut impius iure rideret, & fannis prosequeretur piorum vitam. Quod à diuina prouidentia nimium debeat esse alienum. Quarto, hunc fortasse sensum habebit hic locus, Si punit malos, quare non subito occidit? Si præmiat bonos, quare cumulat supplicij & poenis, & de illorum interitu, ridet? Iuxta versionem nostram dicere possis in hunc modum, Postquam ita Deo decretum est, iustos

videlicet & iniustos poenis afficere, optarem ut breui, & citissima morte eum, quem vellet castigare à miserijs huius vitæ eriperet: nec tam longo cruciatu homines affligeret, perinde quasi ei sint voluptati innocentium poenæ. Quemadmodum enim (ut aliquod ad rem explicandam producamus exemplum) leo aut ursus, aut fortissimum aliud, & robustissimum animal vile, & exiguum animalculum deprædatus unguibus tenet, nec subito illud dilacerat, aut discerpit, sed longo cruciatu per multam temporis moram mauult affligere, ac deinde morti dare: sic & S. Iob, de Deo loquitur, tanquam oblectamento & voluptate afficiatur piorum cruciatus & poenas in multum tempus differendo, ac deinde conficiendo morte. ¶ [ Terra data est (inquit) in manus impij, vultum iudicum eius operit, quod si non ille est, quis ergo est? ] Adducit S. Iob, quod aduersariorum sententias labefactet, ad inconueniens longe grauissimum. Si tanta est (inquit) rerum humanarum confusio, atque perturbatio, peioremque videmus esse piorum hominum sortem, impiorum autem fortunam meliori causa hære: fit profecto necessario, ut istarum rerum gubernationem à diuina prouidentia prorsus alienam dicamus, nec penes Numen esse curam aliquam, & prospectionem rerum humanarum: dicemusque Deum Opt. Max. quemadmodum solent principes, & reges pondere rerum publicarum, & moderationis regni defelsi, altericarum rerum curam, & prospectionem committere: ita & supremum imperatorem & regem Deum facere. Et quemadmodum principes atque reges summos magistratus eis hominibus interdum committunt, qui per

violentiam remp. opprimunt, & tyrannide potius quàm paterno amore in remp. ducti diripiūt omnia, cōfundunt, atq; perturbāt nulla habitata ratione æquitatis atq; iustitię: ita de Deo iudicandum sit, vt impio alicui, & nefario homini mortaliū res moderādas tradiderit, qui per fas atque nefas innocentiam opprimat, & fontes simul, & insontes supplicio, & pœnis afficiat, meliorēq; iudicet impiorum, quàm piorum sortē. Sed & illud Deo tribuēdum esset, quod ab illius prospectione circa res humanas maximè videtur alienū, [quod vultum iudicium eius (nempè terræ) operit:] hoc est, rationem & intellectum confundit, atq; perturbat, & quasi tenebras obijciendo, veritatis, iustitię, æquitatisq; splendorem videre non sinit: sed odio & amore, multarum rerū cupiditate, avaritia, alijsq; perturbationibus duci permittit. [Quod si non ille est,] ac si dicat, Quod si non ab hoc principe tyranno, & reipub. oppressore hæc fiunt, [quis igitur est,] qui tantā pestem ac luem in res humanas inuexit. Eleganter verò dictum est à sancto Iobo, [vultū iudicū ei⁹ operit.] Legimus enim, Thebanos viros prudentissimos, huiusmodi simulachra finxisse ante decorum altaria, quod se natum boni principis hac imagine exprimerent: sedebant primò iudices: quoniam constantes, graues, & quietos eos esse oportet, nec facile cōmoueri: vt est apud iurecōsultos ff. de officio præsidis, vel quia semper obseruatum, vt magistratus seu iudices pro tribunali sederent, vt innumeris penè iurib⁹ expressum est, capite finali de re iudicata libro sexto. L. qui pro tribunali. ff. eodem titulo: sic & S. David de Salomone filio, Salomonem elegit Dominus, vt

3. reg. 1. d.

federet in throno. Manibus præterea carebāt, ne ius dicentes, aut munera acciperent, aut donis aut promissis corrūpi paterentur: quod & legibus, & pœnis hodie prohibetur: vt in. l. Plebiscito, De officio præsidis. Horum autē princeps fingebatur cæcus: quo significabatur, illum auribus tantum absque omni affectu, seu personarum respectu, constāter ac iustè senatus decreta peragere debere. Quā longè diuersum est inter se, principem cæcum esse, vt finxere Thebani, & vultus habere cooperitos, vt inquit S. Iob? Nam aliud pertinet ad priuatos affectus, qui excæcare solent iudices, aliud verò pertinet ad affectos ipsos resecādos, ac rescindendos. Sūt qui velint, ijs verbis sanctum Iob dæmonem voluisse significare, cui terra tradita quodāmodo sit in potestate. Obtinet enim imperiū in impios homines atq; nefarios: atq; illi interdū committuntur iusti excrucianti, atq; conterendi. Verū tamē quāuis regnauerit ille, ac per multū tempus obtinuerit imperiū in mortales homines, non tamen ea ratione illi cōmissum est imperiū, vt res humanas ipse per se moderetur. Neq; enim illi liberum est, aut fuit vnquā liberè facere quod cupit, ac suam explere nequitiam: quidquid enim ille operatur, à diuina prouidentia pendet vel prohibente, vel permitte: Quocirca si seruitus hominum, ac dæmonis imperium, à peccatis atque sceleribus duxit originem, & hæc seruitus peccati non sufficit, ad expediendam quæstionem propositam de piorum atque impiorum supplicijs, [neq; ille est,] (vt inquit S. Iob.) hoc est, dæmon non est, qui has res confundit, atq; perturbat: [quis ergò est,] qui hæc efficere possit? Quasi dicat,

Alia

Alia à nobis ratio inuestiganda est. Hebræa alium videntur subindicare sensum huius loci. Habent enim in hunc modum. [ Terra data est in manu impij, facies iudicium eius ipse operiet, & si non est, vbi nam est, & quis est? ] Habent hæc verba hunc sensum. Ex his quæ diximus (inquit Iob) si ita res habet, apertum sanè videtur, terram datam in manus impij gubernandam, ac moderandam, & quod amplius est, qui terram moderandam tradit impijs & nefarijs, faciem eius nempe terræ videtur obuelare: impij enim coniuētibus iudicibus omnia faciunt impune, quia dissimulant iudices sese videre sceleratorum flagitia. Quòd si hæc Deus non agit, cedò, vbi nam est qui hæc efficere possit? ¶ [ Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt, & non viderunt bonum. ] Elegantissime sanè id quod propositum erat, nempe ærumnas, & calamitates piorum hominum, sub propria persona lamentatur. Non opus est (inquit S. Vir) ad aperiendam & explicandam hanc rerum humanarum confusionem, longè petere exempla. Me ipsū ego in exemplum producam, vt nulli obscurum esse possit, & terram datam in manus impij, & iudicium omne in terris, & omnem æquitatis rationem funditùs subuersam. Principid, ego, quem nulla sceleris conscientia accusat, nunquam ea felicitatis parte vsus sum, quæ maxima cenletur inter mortales, nempe diuturnitas: parùm enim iuuat, ad culmen te felicitatis humanæ peruenisse, si inter ipsa initia florentis felicitatis tibi manibus eripiatar. Nihil enim felix iurè ac beatum appellari possit, quod non sit diuturnū, aut quod vno temporis momento euaneſcat nullam sui relinquens vesti-

gium. Videtis me (inquit) prope extremum halitum constitutum, atq; exacti dies velociores fuere cursore perniciosissimo equo insidente. Vix enim hora aut momentum fuisse videtur totum hoc tempus quod transegi. Itaque id quod mortalibus longè gratissimum videtur, nempe vita, ad eò angusta fuit atque breuis, vt instar cursoris rapidissimi aufugerit. Dicetis fortasse, me in hoc breuissimo vitæ cursu, magna habuisse oblectamēta, & vitæ sustentationes, quæ meum animum recreare poterint. Atqui [ fugerūt ] potius inquit Iob [ neque viderunt bonum, ] Nihil solatij per totam vitam accepi. Neque in tam exiguo vitæ cursu aliquā accepi consolationis partem: mæroribus semper atque anxietudinibus plenus fui. Nam partim cura rei familiaris, partim liberorum educatio, partim bellum illud exitiale, & plusquam ciuile, quod inter canē, & spiritum est, vt innumera alia omittam, me multis modis conficiebant. Quæ mala atque pericula aduersum pietatis cultores perpetuò insurgant nemo ignorat. Duabus deinde similitudinibus appositissimis & breuitatem humanæ vitæ, & vanitatem explicat. [ Per transferūt quasi naues poma portantes. ] Naues enim leuissimis fructibus aut rebus onustæ currunt celerrimè, tùm propter leuitatem oneris, tùm propter naturam mercium, quæ si diu seruentur, facile putrescunt: quo fit, vt nauæ mercium natura explorata, iter, & nauigationem maxime ac celerent. Elegantissima sanè similitudo, qua & fugacitas humanæ vitæ, celeritate properantis nauigij explicatur, & quidquid in hac vita dulce, ac preciosum existimamus. Quidquid nobiscum circumferimus, vt

dignitas, imperium, & fortunæ omnes, eis mercibus comparatur, quæ breui tempore putrescunt, atque deficiunt: ita vt nullus iam sit earum mercium vsus, nulla vtilitas. Poma sunt, inquit S. Iob, corruptioni proxima, robur & agilitas corporis, venustas, salus integra & alia id genus. Denique onusti in hac vita nauigamus, atque eis mercibus congerendis operam damus, quæ magnis periculis semper sunt expositæ. Hebræa videntur sonare, [Sicut nauis voluntatis.] Velocissimus re vera cursus esset nauigij, quod sola nauis voluntate, ac nutu veheretur, paruo enim temporis momento huc illucq; trajceretur. Quibus elegantissimè, & vita humana, & vitæ præsentis momentanea felicitas exprimitur. Postremo inquit, [Et sicut aquila volans ad escam.] Aquila inter cæteras alites perniciosior volatus est, tùm verò maximè cursum, & volatum accelerat, cùm vrgentissima fame infestatur, & iacèria cadauera odoratu percipit. Multò magis (inquit S. Iob,) humanæ vitæ cursus ad mortem festinat, & si rem (vt oportet) consideretis, etiam volantem, atq; famescentè aquilam præuertere possit. Illud verò quod de esca, aut fame S. Iob dixit, pertinere mihi videtur ad explicandam vrgentissimam illam famem, quæ mortales omnes in hac vita conficit, & mortalium animas vrget, quæ breuiorem efficit vitæ cursum, cùm satis per se angusta sit. Ea est stultitia mortalium, quæ breuiorem vitam efficit, perpetua rerum periturarum & fluxarum fame. Nam quis ignoret, cupiditates illas, quæ nos partim ad perfruendas voluptates, partim ad congerendas diuitias excitant, & impellunt, instar esse vrgentissimæ famis, quæ huma-

næ vitæ cursum breuiorem efficit? ¶ [Cùm dixerò, Nequaquam ita loquar, commuto faciem meam & dolore torqueor.] Ac si diceret, Ista omnia ad miseriarum mearum quælecunq; solamen me loqui cogit doloris quædam necessitas. Frequenter mihi venit in mentem (fateor) superuacanea esse huiusmodi verba, nullumq; habere pondus ad leuandum animum, & sustentandum: Ob eamq; rem satius esse abstinere ab huiusmodi querelis iudico: sed statim internus incrudescit dolor, adeò vt foris in vultu liceat immutationem quandam & oppressionem mentis percipere: nam grauiori dolore intra me ipsum excrucior. Ea enim natura conditi sumus mortales, vt quemadmodum proprias miseras, & calamitates verbis exprimere magnam nobis partem leuamenti adfert: ita intumescunt interni doloris fluctus, dum ita constringuntur, vt non possint in latum diffluere.

*V*erebar omnia opera mea, sciens, quòd non parceret delinquenti. Si autem & sic impius sum, quare frustra laboraui? Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissima manus meæ: tamen sordibus iminges me, & abominabuntur me vestimenta meæ. Neq; enim viro qui similis mei est, respondebo: nec qui mecum in iudicio ex æquo possit audiri. Non est qui vtrunq; valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus. Auferat à me virgam suam, & pauor eius non me terreat. Loquar, & nò timebo eum: neq; enim possum metuens respondere.

Hic

**H**IC Locus cū Gregorij doctrina magnam præbuit Germanis nostris temporibus ansā errandi. Gregor. Inquit Gregorius super hunc locū, Quæ aperte egerim, video, sed quid in his latenter pertulerim ignoro. Nullus igitur est inter cultores pietatis, qui certō sciat, se quidpiam agere bonum: nullumque pietatis opus erit, in quo non sit vehementer pertimescendum scelus aliquod, & criminis nota. Sed validius sumitur argumentum ex verbis Iobi. Inquit enim, [ Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti. ] Sanctus igitur vir singulis operibus delinquebat. Deinde illud etiā videtur significare, quod longē perniciosius est: nullam videlicet esse remissionem peccati, neque eam à summo Deo fore expectandā. Sed si diligenter animis aduertamus, facit insigniter hic locus contra Germanos. Nam si S. Iob omnia opera sua verebatur, hoc est, diligenter examinabat, ne scelere aliquo inficeretur: vanum profectō erat studium sancti viri, & stultē singula opera diligenter adeo obseruabat, si aliter fieri nō poterat, quin singulis actionibus contraheret sordes peccati. Deinde id quod sequitur, [ Sciens quod non parceres delinquenti. ] Grauisimē Martinum Lutherum vrget. Nam aut ei, quem suorum scelerū poenituit, Deus peccata remittit aut non. Si remittit peccata, propter poenitentia remittit, ac proinde aliqua actio est, quæ nullo inficitur crimine, aut peccati nota. Si verō propter poenitentiam pareit sceleribus, igitur poenitentia peccatum non est. Alioqui propter peccatum parceret peccato: ac deinde poenitentia, propter quam homo iustificatur, aliam exigeret poenitentiam: atque ita fieret

in infinitum abitio. Sententiam igitur Gregorij explicemus, ac proinde quid S. Iob insinuare velit his verbis. Diuus Gregorius illud vehementer exaggerat, quod S. Iob de proprijs operibus, quæ cum summa pietate essent coniuncta, inquit, [ Verebar omnia opera mea. ] Satis enim indicat huius libri historia ac rerum ordo, qualia fuerint studia sancti Iob. Nam diluculo surgens, pro singulis filijs offerebat holocausta, & liberorum peccata diligenter expiabat, non tantum externa, verum etiam & ipsos mētis cogitatus. Dicebat enim, ne forte benedixerint Deo filij mei in cordibus suis. De qua re copiosius multo à nobis in superioribus fuit disputatum. Proximi charitatem, & veram amicitie rationem ita coluit, vt ipse dicat, flebam super eū, qui afflictus erat. Nec defuit illi summū pietatis studium, qui dixit, Oculus fui cæco, & pes claudo. Multa de summa continentia, de humilitate potuissem dicere, de summa in pauperes liberalitate, de iudicis officio, & magistratus munere rectē administrato, quæ omnia, vt decebat virum sanctum, suo loco & tempore beatus Iob est executus. Quid ergo est, (inquit Gregorius,) quod sanctus vir, qui egregiē adeo pietatis opera semper fuit executus, dicat, [ Verebar opera mea, &c. ] Docemur ergo, (inquit Gregorius,) vt si placere Deo veraciter cupimus, postquam peruersa opera procul abegimus, ipsa etiam rectē gesta timeamus. Ac deinde ostēdit Gregorius quid singulis actio-Gregorij nibus, iustis hominibus sit pertimescendum. Timenda (inquit) est desidia, timendaque fraus. Nam cum hominem maledictum existimat Ieremias, qui opus Domini & desi-

diosè facit, & fraudulèter. Nascitur verò desidia à torpore, fraus verò à priuato amore cuiusque nostrum.

Ac de fraude propriam sententiam explicans Gregorius inquit in hunc modum, Fraus cõmittitur, cum nostris operibus, aut tacitam humani cordis gratiam, aut popularem auram, aut rem quamlibet exteriorem desideramus. Vnde per prophetam de iusto homine dicitur, Beatus vir qui excutit manus suas ab omni munere. Is ergò in bonis operibus fraudem non facit, qui virtutis splendore delectatus, & incitatus Dei amore, sola virtute contentus in studia pietatis incitatur. Concludit tandè Gregorius, hæc esse verba cuiuspiã humilis confessionis, Ac si dicat S. Iob, Quid aperte egerim, video: sed quid latenter pertulerim ignoro.

Quibus aperte colligitur ex sententia Gregorij, iustos homines nõ semper singulis actionibus peccare: tamen si interdum & fraus & torpor illorum vitæ & actionibus insidientur. Hoc enim significare voluit Gregorius, quod D. Augustin. libro de peccatorum meritis & remissione dixit: vbi habita mentione Noë, Danielis, & Iob, docet, eos non fuisse prorsum ab omni peccato immunes. Nam Noë (vt ille inquit) inebriatus est. Daniel verò de se ipso inquit,

Cum orarem, & confiterer peccata mea. Et sanctus Iob docet aliquas se contraxisse peccati sordes. Qui ergò aliquibus actionibus peccabat, iurè poterat pertimescere, ne fortasse ipsis pietatis operibus aliquod subesset peccatum. Sed his prætermisissis tamen ad Hebræos fontes non recurramus, non video profectò, quo pacto hinc possit Lutherus argumentum sumere ad probandum, pium hominem in omni actione peccare.

Huc enim reuocanda sunt verba sancti Iob, Ego si citra timorem Dei, & pietatis cultum exactos iam dies transegissem, nullam fortasse lamentandi rationem haberem, quòd tot ponderibus malorum premerer: nunc autem ita semper vixi, vt singulas meas actiones vererer: ac si dicas, excuterem ne vel leui aliqua cogitatione diuina mandata violarem: sollicitè semper attendens, quo pacto possem totam vitæ rationem ad diuinas leges exigere, maxime cum certo scirem, [ te non parcere delinquenti. ] Hoc est, nullum scelus abire impunitum. Quauis enim ad vindictam lento gradu procedas, seuerè tamen animaduertis in ea flagitia, quæ nondum per poenitentiam à nobis sunt damnata. Quòd si his delectatus studijs pietatis adhuc impius sum (vt mei amici arbitrantur) [ frustra igitur laboraui. ] Nam si hoc tanto pietatis studio, & obseruatione iusti nihil profeci, vt quasi multis per totam vitam fuerim sceleribus coopertus diuexer, ac premar: irriti profectò fuerint mei conatus, atque in re nullius momenti laborauerunt omnia mea studia, & cogitatus. Ex quibus facile colligitur, Germanos non posse ducere argumenta ex hoc loco ad confirmanda falsa sua dogmata. Hebræi in hunc modum videntur habere, [ Metuo omnes labores, siue dolores meos, sciens quòd me non dimittes impunitum, vel quòd non me mundares. ] Hoc est, quòd me non esses absoluturus. Quæ in eundem sensum recidunt ( vt mihi videtur ) cum his, quæ communis habet, aut vulgata versio. ¶ [ Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint veluti mundissimæ manus meæ, tamè sordibus intinges me, & abominabuntur

Isai. 33.

Augus. de  
peccat.  
merit. lib.  
2. cap. 10.

Dani. 6. c.

Iob. 13.  
14. 22.

bantur me vestimenta mea.] Locus etiam difficilis est, atq; loci difficultate vehementer auget doctrina Gregorij super hunc locum. Eam etiam adducunt Germani ad firmandum locum perniciosissimum dogma de peccatis: quo singulis iustorum hominum operibus insidiatur. Inquit ergo Gregorius. Interim quod poena corruptionis astringitur, quantumlibet rectis operibus insudemus, veram mundiciam nequaquam apprehendimus, sed imitamur. Hinc Germani argumentum petunt: Si nemo sanctorum veram mundiciam, & exactam in operibus puritatem assequitur, sed tantum eam refert, & imitatur: nulla ergo actio a iusto homine procedit, quae non aliquo nexu sceleris sit infecta. Illud ergo aduertendum est ad explicandam Gregorij sententiam, quod Comprehensorum manus appellat mundissimas: hoc est, beatorum opera: & veram mundiciam appellat eam, quae inter coelestes illos spiritus, atq; felices inuenitur. Sanctorum vero opera, interim quod in terris versantur, simillima quidem esse beatorum actionibus, non tamen peruenire posse in hac vita ad illud puritatis fastigium. Ob eam rem fortasse S. Iob non dixit: & fuerint mundissimae manus meae, sed [si fuerint velut mundissimae.] Quod ergo dixit Gregorius, Non apprehendimus veram mundiciam, sed imitamur: perinde est, ac si dixerit, ad illam felicitum mentium puritatem nondum pertingimus, tum propter carnis corruptionem, tum propter foedas & nefarias appetitiones: quae humanam mentem vehementer perturbant. Vnde Gregorius post multa concludit. Dicat ergo vir iustus, cum sancto Iob, Si locus fuero quasi aquis niuis, & fulserint tanquam mundissimae manus

meae, sordibus tamen intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea: Quia quantumlibet in contemplatione ad summa conscenderit, quanuis ad pietatis opera exequenda magno studio se accinxerit, indignum tamen aliquid adhuc de corpore mortis sentit, & se abominabilem considerat in multis, quae de pondere corruptionis portat. Gregorius ergo in his verbis nunquam docet, eadem opera iusti hominis & bona esse & mala. Sunt qui velint, sanctum Iob geminam his verbis puritatem significare voluisse, quarum altera poenitudine constat, altera vero cum summa innocentia coniuncta sit. Priorem puritatis partem significauit, cum dixit, [Si locus fuero quasi niuis.] Nam aquae niuis, aut quae ex solutis niuibus gignuntur, peculiarem habent virtutem expurgandi. Posteriores vero puritatis partem expressit cum dixit, [Et fulserint velut mundissimae manus meae.] Appellatione autem manus actionem significat more sanctarum scripturarum. Igitur si utramque puritatis partem nactus fuero, sordibus tamen intinges me. Quae sunt ad iustitiam humanam cum diuina comparatam referenda. Vt enim sol fulgentissimum astrum res purissimas quasque suo splendore & luce, impuras, atq; foedas esse ostendit: sic & diuina iustitia, & innocentia humanae comparata. Ideo inquit Iob. [Sordibus intinges me.] Omnis enim humana sapientia ignorantia est, si eam velis ad diuinam sapientiam exigere. Idem dicito de innocentia, & puritate. Tunc enim satis deprehenditur, quanta sit inconstantia humani cordis, quanta ignorantia, & rationis debilitas, quam peruersae affectiones mortalium, cum mentis aciem in diuinam

sapientiam atque immutabilitatem deſigimus. Et ad rem exaggerandā ſubiicit, [ Abominabuntur me veſti mēta mea. ] Lepidè ſanè venuſtèq; dictum ad ſignificandam, quam habet homo mundicię defectionem, & impuritatem. Inquit ergò, Cùm me puriorem exiſtimo, & ab omni labe prorsùs alienum, ſi ante conſpectum tuum venire contigerit, tùm maxime me immundum & deprehendo, & agnoſco: ita vt vel me iudicante, & ſententiam ferente, iurè veſtes meę meum aut ornare, aut contegere corpus dedignentur. Namque videtur indumenta mea veluti in iudicium aduerſum me inſurgere, ac dicere ſingula, Quid tam immundū cooperimus corpus? cuius victu & coniunctione nihil aliud quā meras ſordes nobis comparabimus. ¶ [ Neq; enim viro, qui ſimilis mei eſt, reſpondebo: nec qui mecum in iudicio ex æquo poſſit audiri. Non eſt qui vtrūque valeat arguere, & manum ſuā ponere in ambobus. ] Haecenus S. Iob oſtenderat quā longo intervallo, ſi de puritate agitur, à Deo excederetur: iam nunc incipit oſtendere, ſe non poſſe vlla ratione de maiſtatis autoritate cum illo contēdere. [ Non reſpondebo (inquit) viro, qui eſt ſimilis mei. ] Ac ſi dicat, Si mortalium quiſpiam mihi impuritatem aut ſœditatem obieciſſet, nō potuiſſem vtiq; dicere, Medice cura te ipſum. Et Heus tu, eiſce primò trabem de oculo tuo, &c. Quæ igitur Deo reſpondere poſſum? Cuius tanta eſt autoritas, atq; maietas, tantaq; puritas? [ Nō eſt qui, &c. ] Neq; erit (inquit) qui lites inter nos exortas poſſit cōponere, & nos ex æquo audire, & ſententiam de rebus propoſitis ferre. Nā cùm duo homines inter ſe de iure & æquo contēdunt,

poſſunt vel vtriuſque arbitrio vel alia ratione iudicem habere, & ſuperiorem magiſtratum, qui vtriuſque cauſam diligenter exequat, vt poſſit deinde ſententiam ferre: quæ tamen inter Deum & hominem, ſi inter ſe contenderent, contingere non poſſent duplici ex cauſa. Primò quòd in iudice debeat perſpici excellētiore quædam ſapientia, ad quam tanquā ad amuſſim exigantur vtriuſq; partis allegationes. Diuina autem ſapientia, ſuprema regula eſt, ad quam debeat exigi veritas hominis. Ob eamque rem ſubiicit illicò. [ Nō eſt, qui vtrūque poſſit arguere, ] & quaſi maiori ſapientia & præſtātiori corrigere. Altera ratio ſumitur à ſumma poteſtate, quæ in iudice debet eſſe, qua concertantes inter ſe partes poſſit coërcere. Sed tanta eſt diuina potentia, vt cùm omnes mortales inter ſe poſſit comprimere, nullus ſit qui poſſit ei reſiſtere. Hebræa habent, [ Non eſt vir, vt ego, cui reſpondere audeam, atque ſimul in ius ambulemus, neque eſſet inter nos arbiter, qui controuerſiam noſtram dirimeret. ] & tandem cōcludit vir ſanctus. [ Auferat à me virgam ſuam, & pavor eius non me terreat. ] Nō poſſum, fateor, cum Deo contendere, qui omnibus metuentus eſt, & ſubiectus nemini. Auſim tamen cū illo contendere, pactis primū quibusdam cōditionibus, & meam cauſam agere, & tueri iuſtitiam. Primò vt hanc intolerabilem plagam, & calamitatem inaudiram à capite meo depellat. Alioquin nunquam timore & dolore preſſus liberè dicam, quod ſentio. Deinde vt non me terreat ſeueritas diuini iudicij, in quo nemo innocens deprehenditur. His ergò conditionibus pactis atque firmatis, [ Loquar, &

non